Ad Usum Fr: Pris Adami
Stroszewski
O. P. de Observaa C. S. L. B.

Începutul

THEOLOGIA MORALIS

EX SOLIDIS PROBATORUM AUCTORUM PRINCIPIIS

Et Variorum Casuum fictorum, & factorum Resolutionibus, usitato in Scholis Ordine, ac Methodo

AD COMMODIOREM USUM

IN ALMA UNIVERSITATE HERBIPOLENSI

CONCINNATA A P.

EDMUNDO VOIT,

SOCIETATIS JESU,

SS. Theologiæ Doctore, ejusdemque Professore Publico, & Ordinario.

EDITIO PRIMA ITALICA

POST SEX GERMANICAS ACCURATIOR,

Et Tractatu Prodromo numquam antea edito DE ACTIBUS HUMANIS, atque aliis plurimis accessionibus nunc primum locupletata.

PARS PRIMA

De Actibus Humanis, Conscientia, Legibus, Fide, Spe, ac Charitate, Præceptis Dei & Ecclesiæ.

IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVI.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

0-18-0-1384
8°-6426

IN NOVAM HANC EDITIONEM

TYPOGRAHPI

AD

LECTOREM ADMONITIO.

THeologia Moralis a Clariſs. P. Edmundo Voit, Sacræ Theologiæ Doctore, atque in alma Univerſitate Herbipolenſi ejuſdem Profeſſore publico, & ordinario elucubrata Herbipoli primum prodiit anno 1750. & paucorum annorum intervallo quinquies ibidem recuſa fuit. Tantus hujuſmodi Editionum tam brevi tempore in Germania peractarum numerus effecit, ut de illa typis etiam noſtris proferenda cogitaremus. Quod jamdiu a nobis factum eſſet, niſi innotuiſſet, doctiſſimum ejus Auctorem de quibuſdam additionibus ad illam faciendis meditari. Sed cum jam certo nobis ſignificatum ſit, eumdem graviſſimis aliis curis occupatum conſilium hoc penitus abjeciſſe, viſum eſt non diutius editione tam eximii Operis Italiam noſtram fraudare. Quare illud præſtantiſſimo cuidam Theologiæ Mora-

lis Professori expendendum tradidimus, eique provinciam dedimus, ut si quid illustratione dignum, aut ex Auctoris mente adjiciendum duceret, nobis communicaret. Laudavit ille maxime & Theologiam ipsam, & nostrum ejus recudendæ consilium, misitque insuper plures accessiones hic illic eidem inserendas, ac præcipue exiguum Tractatum prodromum de Actibus Humanis, qui in nostro Opere desiderabatur. Hæc autem additamenta ut ab Auctoris nostri textu dignoscerentur, curavimus ut commatibus hoc pacto „ margini appositis exprimerentur. Speramus fore, ut Italia nostra duplidi ex capite nobis gratiam habeat, & quod egregium utilissimumque opus nos primum illi communicamus, & quod præterea lucupletissimis illustrationibus locupletandum curavimus. Vale.



PARS PRIMA
THEOLOGIÆ
MORALIS.

THEOLOGIA Moralis versatur circa actiones humanas, docendo, quomodo eæ debeant componi in ordine ad vitam Christianam: tradit principia recte judicandi de actuum humanorum (quos vocamus *casus conscientiæ*) bonitate vel malitia ad directionem tum propriæ, tum alterius conscientiæ. Solet autem hæc scientia latissime diffusa in duas partes dividi, quarum *prima* agit de regulis actuum humanorum, de peccatis in genere, de præceptis Dei & Ecclesiæ: *altera* de Sacramentis, & censuris.

Ea, quæ magis speculativa videntur, Theologiæ Scholasticæ relinquo, inhærens principiis

practicis ad mentem probatorum Authorum ; nec latum (ut ajunt) unguem deflectam a sensu orthodoxæ Ecclesiæ & Patrum, Decretisque Summorum Pontificum, quæ ut continuo coram oculis versantur, huic opusculo Theologico propositiones ab *Alexandro VII. Innocentio XI.* & *Alexandro VIII.* damnatas lubet præfigere, quas per decursum secundum numeros citare sufficiet, ne eædam ad literam allegatæ sæpius recurrant : additur singulis propositionibus tum numerus Romanus I. II. qui indicat partem primam & secundam ; tum Arabicus, qui indicat numerum marginalem, ubi agitur de propositione damnata.

PRO-

PROPOSITIONES XLV.

AB

ALESSANDRO VII.

Per Decretum editum Feria V. die 24. Septembris, Anno 1665. confixæ.

1. HOMO nullo nunquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium. I. 345. 400. 401.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. I. 679.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. die 18. Julii in Conſiſtorio S. Congr. Eminentiſſ. Card. viſa & tolerata eſt. II. 1485. & 833.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa. II. 833.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe Hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis. I. 370.

6. Confeſſarius, qui in ſacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſolicitaſſe in confeſſione; ac proinde non eſt denuntiandus. II. 883.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi. II. 886.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere: applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus celebranti correſpondentem; idque poſt Decretum Urbani VIII. II. 427.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt ſacerdos, cui Miſſæ celebran-

brandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. II. 432.

10. Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi, promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro alio offeram. II. 435.

11. Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere. II. 577.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. II. 845.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. II. 613. & 748.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. II. 609. I. 196.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. II. 640.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario. II. 753.

17. Est licitum Religioso vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur. I. 678.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare I. 678.

19. Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. I. 673.

20. Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam daclaratoriam Judicis, eo quod sit pœna. II. 1068.

21. Habens Capallaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. II. 1068.

22. Non est contra justitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. I. 494. sub fin. & 485.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur non peccat

cat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto. I. 987.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem. I. 758.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. I. 738.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. I. 110.

27. Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectum esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem. I. 94.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam. I. 144.

PROPOSITIONES RELIQUÆ,

Ab eodem Summo Pontifice

ALEXANDRO VII.

Per Decretum editum Feria V. die 18. Martii anno 1666. confixæ.

29. IN die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. I. 284. 992. & 1000.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. I. 989.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant. I. 989.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget. I. 994.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quasdam eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. II. 1068.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto. II. 1060.

35. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti & craſtino. II. 1067.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Conciliu m Trid. I. 265.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revalidatæ. II. 665.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum. II. 271.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur. II. 271.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſualem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis. I. 725. & 305.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam; ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *regalo*, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur. II. 742. & 738.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus. I. 921.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos. I. 953.

44. Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ. II. 1407.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur. II. 1428.

PRO-

PROPOSITIONES LIX.

AB

INNOCENTIO XI.

Per Decretum editum Feria V. die 2. Martii anno 1679. confixæ.

1. NON eſt illicitum, in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopolis. I. 86.

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem. I. 88.

3. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quamtumvis tenui, modo probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. I. 83.

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. I. 106.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. I. 400.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum. I. 401.

7. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus. I. 401.

8. Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. I. 328. & 329.

9. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. II. 1207.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. I. 700.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos. I. 700.

12. Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui. I. 710.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non qui-

quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. I. 715.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pignis hæreditas. I. 715. & 631.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. I. 715. & 631.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se. I. 445.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere. I. 349.

18. Si a potestate publica quis interrogetur; fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. I. 351. 361.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. I. 345.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. I. 345.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus. I. 345. 348. & 107.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris. I. 346.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit. I. 345.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. I. 526. 546.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. I. 546.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non feciſſe aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. I. 536.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa. I. 536.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis,

gentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. I. 536.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentum administrationem simulandi. I. 71.

30. Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat. I. 678.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. I. 678.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. I. 676.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem. I. 676.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur. I. 668.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. I. 670.

36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. I. 768.

37. Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. I. 809.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. I. 804. & 781.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. I. 775.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. I. 923.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. I. 922.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. I. 924.

43. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere? I. 969.

44. Pro-

44. Probabile est, non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix nulla erit opinio probabilis in Theologia. I. 969. & 962.

45. Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut econtra. I. 486.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis. I. 486.

47. Dum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locatione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. I. 737.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali. I. 749.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. I. 746.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. I. 645. & seq. & 689.

52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus. I. 615. 621.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit. II. 471.

54. Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. II. 1041. I. 241.

55. Præ-

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. II. 324. 268.

56. Frequens Confessio & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. II. 385.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam. II. 495.

58. Non tenetur Confessario interroganti fateri peccata alicujus consuetudinem. II. 730.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut indulgentiæ II. 576.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem. II. 723. 324.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. II. 736. 324.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. II. 737.

63. Licitum est querere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi. II. 737.

64. Absolutionis capax est homo, quamtumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. I. 365. & 21.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse. I. 349.

DUÆ PROPOSITIONES

A B

ALEXANDRO VIII.

Per Decretum editum die 24. Auguſti anno 1690. confixæ.

1. BOnitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformatione actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit ut actus moralis tendat in Finem ultimum interpretative. HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORTALIS. I. 401. in fine.

2. Peccatum philoſophicum ſeu morale eſt actus humanus, diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis, Philoſophicum, quamtumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. I, 278.

PRO-

PROPOSITIONES ALIÆ XXXI.

A B

ALEXANDRO VIII.

Per Decretum editum Feria V. die 7. Decemb. anno 1690. confixæ.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis. I. 280.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali. I. 25. & 228.

3. Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam. I. 81.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus & ſolis Fidelibus. I. 346.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum; adeoque hic recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam & inermem, ſine omni gratia ſufficiente. I. 346. II. 97.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic, ut proinde merito poſſimus petere: A gratia ſufficiente *Libera nos Domine*. II. 97.

7. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio vel mundi; ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt. II. 385.

8. Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare. I. 374.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum, mere ob ejus turpitudinem & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu. I. 279.

10. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens. I. 406.

11. Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ dilectionem operatur, peccatum eſt. I. 406.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiamſi videatur credere, non eſt fides divina, ſed humana. I. 374.

13. Quiſ-

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. I. 406.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis. II. 495.

15. Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. II. 495.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante. II. 645.

17. Per illam praxin mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. II. 645.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. II. 645.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali. II. 122. 536.

20. Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ. II. 613.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis. II. 613.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. II. 358.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers. II. 385.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis. I. 276.

25. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare. I. 412.

26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est. I. 412.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac formula collatus: *In nomine Patris* &c. prætermissis illis: *Ego te baptizo* &c. II. 131.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde

corde ſuo apud ſe reſolvit: *Non intendo, quod facit Eccleſia.* II. 168. & 57.

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertatio de Pontificis Romani ſupra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate. I. 95.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. I. 95.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia.

Adverte: In hac Bulla URBANI VIII. edita anno 1641., confirmantur Conſtitutiones PII. V. & GREGORII XIII. quibus damnantur quadraginta novem Baji propoſitiones: in eadem iterum prohibetur liber Cornelii Janſenii, cui titulus: *AUGUSTINUS*. Hanc Bullam Bajani & Janſeniſtæ dixerunt eſſe ſubreptitiam, tanquam editam a Pontifice veritatis ignaro; cum tamen Pontifex in ea aſſerat, *ex matura ac diligenti ejuſdem libri, cui titulus, AUGUSTINUS, lectione* compertum eſſe, in eodem libro multas Baji propoſitiones proſcriptas contineri. *Viva* in hanc propoſitionem.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ad Approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato, *Theologia Moralis ex solidis probatorum Auctorum principiis &c. concinnata a P. Edmundo Voit S. J. Parti due col supplemento manoscritto &c. Stamp. e Mss.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza a *Gio. Battista Remondini* Stampator *di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Febraro 1765. M. V.

(Angelo Contarini Procur. Ref.

(Andrea Tron Kav. Ref.

(Girolamo Grimani Ref.

Registrato in Libro a Carte 266. al Num. 1653.

Davidde Marchesini Segr.

TRA-



TRACTATUS PRODROMUS DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

De Natura Actuum Humanorum.

„ I. QUÆR. Quid sit actus humanus?

„ R. Est ille qui procedit a voluntate „ cum rationis advertentia & libertate.

„ Dicitur 1. *Qui procedit a voluntate*: „ sive immediate, ut amor, odium &c. „ Et tunc dicitur, *Actus elicitus*; sive „ mediate, ut meditatio, ambulatio, „ &c. Et tunc dicitur, *Actus imperatus*, „ quatenus ex imperio voluntatis elicitur ab alia potentia, ni„ mirum meditatio ab intellectu, & deambulatio a potentia „ motrice.

„ Dicitur 2. *Cum rationis advertentia & libertate*: per quod „ distinguitur ab *Actione hominis*, quæ naturaliter procedit ab ho„ mine absque rationis advertentia & libertate. Ut adeo talem „ actum vel ingrediantur, vel comitentur quinque prædicata, „ hoc Tractatu accuratius consideranda: Voluntarietas, Libertas, „ Moralitas, Meritum, & Supernaturalitas. Sequitur

„ *Corollarium*: Non potest dari actus humanus expers omnis „ mortalis; cum enim dari nequeat *peccatum Philosophicum*, „ consequens est, non posse aliquid explicite cognosci conforme,

„ vel difforme rationi, ac creaturæ rationali, quin implicite
„ cognoscatur etiam conforme vel diforme legi Dei, quæ est
„ regula mortalis, directiva rationis, & naturæ rationalis. V.
„ Viva in prop. 2. ab Alex. VIII. damn.

„ 2. Q. 2. Quæ actuum humanorum œconomia?

„ R. Octo enumerantur actus, quorum tres circa *Finem*,
„ amor, intentio, fruitio: quinque circa *Media* versantur, scili-
„ cet, consultatio, electio, consensus, imperium, usus. *Amor*
„ est actus, quo bonum simpliciter appetitur, abstrahitque ab il-
„ lius præsentia, & absentia. *Intentio* efficax, seu, quod idem,
„ desiderium efficax est volitio finis, aut boni absentis cum or-
„ dine ad media, quibus obtineatur. *Fruitio* est delectatio &
„ quies in fine ut jam possesso. His opponuntur *Odium*, quod
„ est aversio a malo, ut in se simpliciter spectato: *Fuga*, quæ
„ est efficax nolitio mali in ordine ad illud declinandum: *Trifti-*
„ *tia*, seu dolor est vitalis inquietudo voluntatis in malo præsente.
„ *Consultatio* est actus intellectus, quo in media idonea inqui-
„ ritur cum comparatione inter eorum aptitudinem. *Consensus*
„ est simplex complacentia approbativa medii propositi. *Electio*
„ est actus Voluntatis unum medium præ alio assumentis. *Im-*
„ *perium* est actus rationis practicæ præcipientis sibi executio-
„ nem mediorum electorum; & cum juxta P. Viva in hoc actu
„ duo reperiantur: intimare, quid faciendum, & ordinare, ut
„ fiat; exigit hic actus exercitium tam intellectus, quam volun-
„ tatis. Ultimo *Usus* tum activus, quo voluntas applicat poten-
„ tiam executivam ad exequendum imperium, tum passivus, qui
„ est ipsa operatio potentiæ executivæ per voluntatem applica-
„ tæ, complet ordinem mediorum.

„ Paradigma hujus œconomiæ datur in homine appetente con-
„ versionem, ingressum religionis, aut sanitatem. *Amor* simpli-
„ ci affectu complacet sibi in corporis valetudine: *intentio* effi-
„ caciter illam appetit per media aliqua in confuso: *Consultatio*
„ deliberat de mediis: *Consensus* approbat e. g. inediam præ a-
„ liis: *Electio* illam assumit: *imperium* imperat potentiæ illam
„ exequenti: hæc potentia per *Usum* eandem servat: *fruitio* ob-
„ tenta valetudine delectatur, & quiescit.

„ 3. Q. 3. Quæ actuum humanorum firmitas?

„ R. Firmitas actus *Valor* nuncupatur ab actus licentia di-
„ stinctus: *Licite* namque fieri actum dicimus, quando ita actus
„ ponitur, ut circa illum observentur leges latæ, circumstantiæ
„ debitæ loci, temporis & modi quas legislator jure exigit;
„ *Valide* autem fit, quando ita ponitur, ut omnes causæ ad il-
„ lius substantiam requisitæ adsint, qui valor locum duntaxat
„ habet in quinque actuum generibus, videlicet judiciis, contra-
„ ctibus, Sacramentis, votis, & juramentis.

„ Præterea geminam *infirmitatem* valori oppositam Authores

„ obser-

„ observant; unam *omnimodam*, qua actus ipso jam fui initio „ est invalidus, nullus, carens robore, quod contingit, cum de- „ est aliquid, quod tanquam substantiale requirit vel *jus natu-* „ *ræ*, e. g. contractus initus a persona usu rationis destituta, „ aut circa materiam impossibilem physice, aut moraliter, seu „ intrinsice peccaminosam: vel *jus humanum*, e. g. si hoc in- „ habilitet personam ad efficiendum ejusmodi actum, veluti pu- „ pillum, prodigum &c. si pro forma actus requirat aliquas „ conditiones, veluti pro alienatione rerum Ecclesiasticarum quas- „ dam solemnitates &c. si actum ipsum directe annullat dicen- „ do: *est irritus, pro infecto habeatur &c.* sive postea accedere „ debeat declaratio Judicis, sive non.

„ Alteram *non omnimodam*, qua actus initio valet, sed irri- „ tari potest vel per *Sententiam rescissoriam* Judicis, e. g. si al- „ teruter contrahentium est læsus ultra dimidium &c. vel per „ actum alterius habentis *potestatem dominativam* in alium, e. g. „ si pater annullat vota filii impuberis. Dices: igitur actus in- „ validus erit etiam illicitus, cum sit contra legem. Resp. Hoc „ aliquando esse verum, quando invalidatur ut noxius, & bonis „ moribus oppositus; seu quando est contra legem irritantem, „ & prohibentem simul. Vide peculiariter pro hoc tractatu P. „ Sim. Karchne *Dissertationes de actibus humanis*; P. Dom. Vi- „ va *Opuscula Theologico-Moralia op.* 1.

CAPUT II.

De Voluntarietate Actuum humanorum.

„ 4. QUÆR. 1. Quid & quotuplex Voluntarium? „ R. Communiter juxta mentem D. Thomæ & „ Aristotelis quoad substantiam definitur Voluntarium: *Quod* „ *provenit ab intrinseco cum cognitione*. Duo itaque exigit Essen- „ tia physica voluntarietatis; 1. ut sit ab intrinseco, hoc est „ voluntate. 2. ut præeat cognitio eorum, secundum quæ actus „ dicitur voluntarius. v. g. si quis invito tibi manum arripiat, „ & deleat laceretve chirographum; si explodat sclopum in ve- „ prem, ubi latere feram credit, cum sit homo, nec illa lace- „ ratio, nec istud homicidium erit voluntarium, licet volun- „ taria hic sit occisio viventis simpliciter.

„ Prima divisio fit in *Voluntarium simpliciter*, idque mixtum „ aut purum, & *Voluntarium secundum quid*: illud est, quod est „ juxta voluntatem hominis absolutam & efficacem: si detur in „ contrariam conditionata & efficax nolleitas, appellatur *Mix-* „ *tum*, seu *Voluntarium simpliciter*, & *involuntarium secundum* „ *quid*, prout contingit in mercatore projiciente merces suas in „ mare ad salvandam vitam &c.: si nulla detur hujusmodi actua-

„ lis nolleitas, dicitur *Voluntarium purum*, quale habet peccator
„ ex metu gehennæ serio pœnitens &c. *Voluntarium secundum*
„ *quid* est, quod est juxta voluntatem hominis conditionatam &
„ inefficacem, licet hic & nunc adsit nolitio prævalens, e. g.
„ lusor libenter produceret lusum, nisi urgeret tempus Sacri.

„ 5. Q. 2. Quid Voluntarium indirectum?

„ R. Quod est a Voluntate, sed non positive id appetente,
„ aut in id influente. *Declaratur*. Potest quid esse Voluntarium
„ *in se*, in quod voluntas suo actu directe tendit, & hac de cau-
„ sa *Voluntarium directum* nuncupatur: v. g. homo inquieti in-
„ genii appetit ebrietatem, & rixas simul ex hac prævisas. Pot-
„ est esse voluntarium *in alio*, in quod voluntas non tendit ex-
„ plicite, determinate &c. quamvis tendat in aliud, ex quo in-
„ tellectus prævidet, hoc esse secuturum, e. g. si rixas determi-
„ nate non appetat, modo appetat ebrietatem, ex qua prævidet
„ rixas, jam indirecte censetur etiam rixas velle; quod appel-
„ latur *Voluntarium in causa*, si medium ad hunc effectum est
„ actio positiva, & *Voluntarium indirectum*, si prædictum me-
„ dium sit quid negativum, vera omissio actionis, e. g. si pa-
„ ter familias possit impedire has rixas, omittat tamen impedire.

„ *Corollarium*. Ut effectus ex omissione mea secuturus, atque
„ ipsa hæc omissio mihi sint voluntaria, duo necessaria sunt, 1.
„ ut prævideantur; 2. ut in mea potestate sit, illos impedire,
„ e. gr. explodenti sclopetum, & non prævidenti subortum inde
„ incendium, hoc illi neutiquam est voluntarium; nec mors ægroti
„ est medico voluntaria, si nulla arte curari jam prævalens mor-
„ bus possit.

„ 6. Q. 3. An voluntarium in alio semper sit volenti imputabile?

„ R. Non semper esse moraliter illi imputabile ad culpam:
„ certe Deus voluntarie non impedit, sed permittit peccatum ho-
„ minis, quin hoc illi sit imputandum. Ut ergo effectus ex cau-
„ sa secutus vel non impeditus sit mihi culpabilis, præter *præ-*
„ *visionem*, saltem confusam effectus inde secuturi, præter *poten-*
„ *tiam impediendi* requiritur etiam *obligatio impediendi*: quod,
„ quam omnibus certum, tam difficile est determinare, quando-
„ nam prævidens obligetur ad impediendum. Qua in re præ-
„ placet opinio Recentioris: *Tunc effectus malus secuturus est im-*
„ *putabilis ponenti causam aut omissionem, quando causa vel o-*
„ *missio hæc est prohibita, & quidem ideo, nec ex illa sequatur*
„ *ejusmodi effectus*. Vel aliter: Voluntarium in alio est volenti
„ imputandum, quando est effectus *per se* ex natura sua sequitur
„ ex causa aut omissione, vel si *per accidens* solum sequatur,
„ quando datur lex prohibens effectum hunc specialiter ut de-
„ pendentem ab hac causa aut omissione. Hæc vero culpa im-
„ putabilis erit eo major vel minor, quo pejor est effectus, &
„ potentior allicientia causæ ad talem effectum.

„ Ca-

„ *Corollarium*: 1. Pollutio secuta in Chirurgo ex inspectione „ ægroti, vel in Confessario ex auditione confessionis, si volun- „ tas eam non approbet, non est culpabilis, siquidem causa non „ est prohibita.

„ 2. Pollutio nocturna secuta ex comestione carnis die jeju- „ nii, ebrietate &c. si voluntas eam non amplectatur, non im- „ putatur comedenti &c. quia causa, licet prohibita in se, ta- „ men non est prohibita ideo, ne sequatur in dormiente pollutio.

„ 3. Motus obscœni ex imagine indecenti obiter per curiosita- „ tem aspecto orti non censentur moraliter peccaminosi, quia „ aspectus ejusmodi non est causa vehementer alliciens ordina- „ rie.

„ 4. Lapsus aut relapsus proximi ex malo tuo exemplo, aut „ omissione culpabili correctionis fraternæ est tibi imputabilis „ pro gravitate lapsus; & ex liberiori aspectu partium inhone- „ starum alterius sexus secuta pollutio &c. quandoquidem causa est „ graviter prohibita, & quidem ideo, ne sequatur talis effe- „ ctus.

„ *Dices*. Ergo voluntarium in causa sufficiet pariter ad me- „ ritum, sicut ad demeritum. R. N. Plus requiritur ad bo- „ num, quam ad malum; ..... quia bonum ex integra causa, „ malum ex quolibet defectu. De quo infra.

„ 7. Q. 4. An detur pura omissio libera.

„ R. *Sub Distinctione*. Potest dari pura absque omni actu „ voluntatis *directe* in illam tendente, e. g. omissio Sacri est „ Cajo libera, quamvis positive secum non intendat: *Volo omit- „ tere Sacrum*, dummodo prævideat illam ex luxu secuturam. 2. „ An autem dari possit absque omni actu voluntatis *indirecte* il- „ lam attingente, quo causam omissionis attingat vel motivum „ ad omissionem impellens amplectendo, vel ab ea absterrens „ repellendo, est lis mere speculativa. Illud certum est, omis- „ sionem actus est honestam vel inhonestam, si motivum omit- „ tendi est honestum aut inhonestum, e. g. omissio eleemosynæ „ ex avaritia.

„ 8. Q. 5. Quandonam taciturnitas habeat vim consen- „ sus?

„ R. In quatuor circumstantiis *qui tacet, consentire videtur*. 1. „ In *obligatione prohibendi*; cum Superior vi officii deberet & „ facile posset dissentire, nec dissentit. 2. In *Acceptatione favo- „ ris*, quivis enim censetur consentire in commodum suum, nisi „ positive excipiat: aliter utique in incommodis. 3. In *consen- „ sione & comparatione plurium*; quando in Senatu, capitulo, „ judiciis pars videt agi inique, aut quando in judicium voca- „ tus ex objectis sibi duobus criminibus unum negat, alterum „ silentio præterit. 4. In *Speciali juris dispositione*, v. g. si fi- „ lia taceat in sponsalibus a parente contractis.

„ *Dices*. Igitur etiam sufficit consensus mere *præsumptus*, aut „ ratihabitio *de futuro* tantum, qua agens cogitat: Consentiet „ Superior, si rogaretur. Resp. Quando agitur de valore actus, „ e. g. in jurisdictione confessarii, dispensatione Papæ ad matri- „ monium, deputatione Sacerdotis ad assistendum matrimonio „ loco Parochi &c. N. extra casum valoris C.

CAPUT III.

De Libertate Actuum Humanorum.

„ 9. QUÆR. 1. Quid & quotuplex liberum?

„ R. Libertas in genere est immunitas a servitute „ & subjectione; quoniam vero quinque modis potest homo esse „ subjectus, quintuplex enumeratur libertas; videlicet *a lege* jux- „ ta illud: libertas est in possessione contra legem dubiam: *a* „ *peccato*; qui enim peccat, est servus peccati. Rom. 6. *a pœna* „ vel miseria; *a violentia* seu coactione, & *necessitate* seu de- „ terminatione ad unum independenter ab exercitio liberi homi- „ nis arbitrii orta, quæ libertas indifferentiæ dicitur.

„ 10. Q. 2. Quæ natura liberi arbitrii?

„ R. Ex Bellarmino Tom. 3. Controv. l. 3. Liberum Ar- „ bitrium est potestas libera, intelligenti naturæ superaddita, eli- „ gendi medium aliquod ad finem præfixum propter gloriam „ Dei. Hoc arbitrium *in actu primo* est ipsa potentia voluntā- „ tis, ut directa a ratione tanquam a radice sua; *in actu secun-* „ *do* autem est electio voluntatis præsupponens prævium judi- „ cium rationis: vera porro & essentialis *arbitrii libertas* est li- „ bertas a necessitate, seu indifferentiæ, quæ ex prævia delibera- „ tione pro libitu eligit agere vel non agere vel agere oppositum, „ definiturque: *potentia quæ positis omnibus ad agendum requi-* „ *sitis potest agere, vel non agere*. Quanquam hanc definitionem „ Billuart Tom. 4. Diss. 2. a. 1. sub alia explicatione admit- „ tat, quam Henno, tentans principia Thomistica cum Scoti- „ stis conciliare, patent dicta partim ex Trid. Sess. 16. passim: „ partim ex damnatione prop. Baii &c.

„ *Coroll.* 1. Rejicitur opinio requirens ad rationem liberi ar- „ bitrii solam immutationem a coactione, aut *spontaneitatem* „ *cum debita advertentia*, quæ dicit duntaxat voluntarium juxta „ inclinationem, licet cum necessitate conjunctum: quam opi- „ nionem teste Billuart docuit *Henricus a S. Ignatio*, *Vincentius* „ *Lenis seu Fromondus*, & potissimum *Jansenius*, cujus hoc est „ Systema: 1. Quidquid homo agit, agit ex delectatione antece- „ dente omnem actum voluntatis; 2. quod fit ex delectatione, fit „ libere; quamvis inimpedibili necessitate fiat; 3. hæc delectatio „ vel terrena est ex motu concupiscentiæ ad peccatum, vel cœlestis

„ ex

„ ex gratia medicinali Christi ad Justitiam; 4. illa ex delecta-
„ tionibus his prævalet, quæ est intensive major, quemadmo-
„ dum evenit in ponderibus bilanci impositis &c. quod fovet
„ Manichæismum & Fatalismum.

„ 2. Rejicitur opinio, quæ admittit solam libertatem *quoad*
„ *exercitium*, qua homo potest aliquam actionem ponere vel non,
„ quamvis detur necessitas *quoad specificationem*, qua debeat ta-
„ men alium actum ex eadem linea mali ponere, e. g. loco odii
„ Dei blasphemiam, loco fornicationis adulterium &c. quasi Ju-
„ dex reo diceret: suspende te ex hac vel illa arbore, prout lu-
„ bet, sed suspende te tamen &c.

„ 3. Rejicitur denique definitio illa libertatis: *facultas eligendi*
„ *ex pluribus possibilibus id, quod magis placet ex sufficienti ra-*
„ *tione objectiva*, vi cujus mediata solum voluntati electio tri-
„ buitur; per imperium nempe suum applicando intellectum ad
„ consultandum &c. id, quod locum habere nequit tunc, quan-
„ do homini subito oboritur judicium suadens, e. g. maturatio-
„ nem pœnitentiæ &c.

„ 11. Q. 3. Quæ libertas necessaria ad merendum?

„ R. Libertas indifferentiæ, quippe Innoc. X. damnavit prop.
„ Jansenii: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ*
„ *non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit liber-*
„ *tas a coactione*. Et jam prius Pius V. & Gregorius XIII.
„ hanc Baii: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neces-*
„ *sario facit*. Certe sicut liberum arbitrium debet necessario habe-
„ re dominium in suos actus, ita meritum debet necessario esse
„ in nostra potestate, quod ceu pretium quoddam præmii dari
„ ab homine vel non dari queat; & demeritum debet esse actus
„ ejusmodi, ob quem redargui merito ad culpam agens possit;
„ utique, quod inepte lex statuatur ad id, quod quis agere per
„ se compellitur. Sermo autem hic est de actu *formaliter libero*,
„ qualis est solus actus voluntatis, non de *denominative libero*,
„ quales sunt actus intellectus & alienarum potentiarum, qui
„ denominantur liberi ob imperium voluntatis, suntque proprie
„ materia confessionis & legis prohibentis.

„ *Corollarium* 1. Non raro confunduntur voluntarium, spon-
„ taneum, & liberum, sed neutiquam secundum rigorem scho-
„ lasticum; nam latius patet *voluntarium*, quam *liberum*, eo quod
„ omne liberum sit voluntarium, sed non vicissim, ut palam est in a-
„ more beatifico. *Spontaneum* concernit appetitum tum sensitivum,
„ tum rationalem, *liberum* vero solum appetitum rationalem &c.

„ Equidem quoad actus humanos perinde est, actum dici
„ violentum, coactum, & positive involuntarium, nihilominus
„ ex rigore *Violentum* est oppositum appetitui innato, qui com-
„ petit rebus quoque inanimatis, e. g. lapidi sursum projecto;
„ *coactum* appetitui sensitivo & spontaneo, qui brutis convenit,

„ *positive involuntarium* appetitui tantum rationali, qualis in „ homine datur, ſicut *neceſſarium* opponitur libertati indifferen- „ tiæ. Quare voluntarium non convenit *univoce* bruto & Homi- „ ni, quod Billuart aſſerit.

„ 3. Tametſi ad eſſentiam arbitrii, & rationem meriti in ge- „ nere loquendo non ſit neceſſaria *libertas contrarietatis* ad duo „ contraria malum & bonum; qualis nec in Chriſto fuit &c. „ ſed ſufficiat *libertas contradictionis* ad duo contradictoria ad bo- „ num vel omiſſionem boni, ad malum vel negationem mali; „ neceſſaria tamen eſt utraque ad libertatem puri viatoris in na- „ tura lapſa ex mente Eccleſiæ; neque ſufficit ſola *libertas exer-* „ *citii* cum neceſſitate *ſpecificationis* ſuperius declarata, ſiquidem „ in hac ne quidem datur ſimpliciter libertas contradictionis, „ cum homo non poſſit ſimpliciter omittere peccatum.

CAPUT IV.

De contrariis Voluntario & Libero.

„ 2. QUÆR. 1. Quæ opponantur Voluntario & Libero?

„ R. Ex parte intellectus opponitur *ignorantia*, quæ „ eſt privatio notitiæ debitæ, & *error*, qui privationi hujus „ notitiæ ſuperaddit opinionem quandam veritati diſformem. Ex „ parte voluntatis opponitur *Vis*, quæ a Juriſconſulto dicitur: „ *Majoris rei impetus, qui repelli non poteſt per reſiſtentiam paſ-* „ *ſi*, ſive hoc interius conſentiat voluntate, ſive non, & *concu-* „ *piſcentia*, per quam intelligitur motus ſeu paſſio appetitus „ ſenſitivi proſequentis bonum, ſicut metus refugit malum. Ex „ quo deſumitur, aliquam *vim abſolutam* dici, in qua datur actio „ impetum inferens ab extrinſeco, & ab intrinſeco paſſi poſiti- „ va renitentia ſimpliciter: aliquam *conditionatam*, in qua cau- „ ſæ malum inferenti accedit interna volitio actus, ad malum „ hoc evitandum elicita, utique non elicienda, ſi mali cauſa ab- „ fuiſſet; talis eſt metus, in quo *ſemper* reperitur ratio ſimul „ boni, quod intenditur, & mali quod ſubitur, & *ſæpe* affectus „ inefficax volitioni actus contrarius, non tamen ſemper, ut in „ attritione ſeria &c. *Voluntati* tamen quoad actus immediate ab „ ea elicitos nulla inferri violentia poteſt, ſicut poteſt aliis po- „ tentiis quoad actus a voluntate imperatos.

„ 13. Q. 2. Quomodo opponatur ignorantia?

„ R. Juxta triplex genus ignorantiæ. 1. Ignorantia *antecedens* „ *& invincibilis*, quæ præcedit advertentiam rationis, eſtque „ cauſa actus, ac talis, ut ſuperari nequeat vel ob impotentiam „ acquirendi debitam notitiam, vel quia operanti non venit in „ mentem dubitare aut magis inquirere, tollit voluntarium & „ liberum ſimpliciter ex parte circumſtantiæ ignoratæ, e. g. igno-

„ rans

„ rans esse diem jejunii &c. Ratio, e. gr. comestio carnis non „ procedit a voluntate sub rationc prohibitionis ignoratæ, imo „ relinquit affectum contrarium actui, quia ignorans non egis„ set, si sciviſſet.

„ 2. Ignorantia *consequens & vincibilis*, quæ sequitur adver„ tentiam rationis, ingerentis quandam dubitationem, & vinci „ potuiſſet ac debuiſſet, relinquit, aut facit voluntarium sim„ pliciter. Ratio. Ignorantia est simpliciter voluntaria: igitur „ & actus, qui ex illa procedit; etsi autem hæc ignorantia „ non excuset a *toto* peccato, excusat nihilominus a *tanto*, id „ est, ordinarie minuit gravitatem peccati.

„ 3. Ignorantia *concomitans*, quæ comitatur actum ea ratio„ ne, ut nec sit causa movens ad actum, nec absterrens ab „ actu; cum homo ita determinatus ponatur, ut tamen age„ ret, licet sciret circumstantiam, e. g. non feram, ut credit, „ sed inimicum suum latere sub dumeto &c. hæc, inquam, „ ignorantia nec causat voluntarium, nec involuntarium posi„ tive; *Ratio*: hæc ignorantia nec est expresse volita, nec re„ jecta, immo ne cognita quidem. *V. Libellum &c. Claud.* „ *Frere*.

„ 14. Porro ignorantiam vincibilem dividunt in *directe vo„ luntariam seu affectatam*, qua studiose quæritur, ut liberius „ sine conscientiæ remorsu agi queat, & in *voluntariam indi„ recte*, quæ solum admittitur per negligentiam in inquirendo; „ ut adeo juxta Bonacinam, Palao &c. *tres gradus mortalis* „ *ignorantiæ* distingui debeant: prima est *simpliciter gravis*, quæ „ pro materiæ gravitate nimis modicam in indaganda notitia „ diligentiam adhibet; secunda *crassa aut supina*, quæ nullam „ omnino diligentiam impedit; tertia pessima, *affectata*, quæ „ intendit etiam privationem notitiæ.

„ *Dices*. Ponamus Titium *interpretative* ita constitutum, ut, „ si sciviſſet, latere ibi inimicum suum, quem feram putabat, „ tamen, imo avidius explosurus fuiſſet sclopetum; ignorantia „ illum non excusat a peccato homicidii; idem est, si *Consue„ tudinarius* veniret in hanc vel illam occasionem, prævide„ returque a Deo lapsurus &c. R. *N. illat.*: si nunquam *actua„ liter* Titius talem animum habuit: Deus quippe non im„ putat actum, quem solum homo habuiſſet in aliis circumstan„ tiis.

„ 15. Q. 3. Quæ vis causet involuntarium?

„ R. 1. Vis absoluta, seu violentia, e. g. si violenter arri„ piatur manus ad immolandum Idolo: idcirco de fœmina, „ quæ vi ad impudica compellitur, procedit dictum S. Luciæ: „ *Non inquiratur corpus, nisi de consensu mentis; si invitam* „ *jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*. Ratio „ est, quia violentum non procedit ab intrinseco.

„ R.

„ &. 2. Vis conditionata seu metus non tollit liberum quo-
„ ad substantiam, nec inducit involuntarium simpliciter, sed
„ tantum secundum quid; sive causat mixtum ex voluntario &
„ involuntario, ita ut tamen plus relinquat de voluntario,
„ ut ait S. Thom. hic a. 6. Ratio est, quia actus ex metu fa-
„ ctus procedit ab intrinseca voluntate.

„ Est autem metus juxta Ulpianum *L. ait Prætor. 1. ff. quod*
„ *metus causa*: *mentis trepidatio instantis, vel mox futuri peri-*
„ *culi causa*, quæ 4. gradus habet; nam alius metus est *abso-*
„ *lute gravis*, ubi datur gravis periculi propinqua instantia, &
„ cadit in virum constantem, e. g. si imminet mors, mutila-
„ tio, jactura famæ & bonorum &c.: alius *respective gravis*,
„ qui non respicit solam rationem mali absoluti, sed etiam
„ conditionem personæ, e. g. fœminæ, pueri, senis, qui ratio-
„ nabiliter etiam levioribus malis graviter percelluntur: alius
„ *levis*, ubi datur aut levis periculi, aut gravis quidem, sed
„ remota solum intentatio: alius denique *reverentialis*, qui ori-
„ tur a persona, cui metuens peculiarem debet reverentiam, e.
„ g. filius Patri, uxor marito, subditus Superiori, cliens patro-
„ no &c. qui modo ad gravem, modo ad levem, pro qualitate
„ mali refertur.

„ *Coroll.* Metus gravis relinquit libertatem sufficientem ad
„ peccandum, aut Sacramentum valide suscipiendum; secundum
„ modernos tamen metus gravis injustus directe incussus annul-
„ lat contractus, juramenta, vota, & actus illos, qui inducunt
„ novam obligationem, de quo alias.

„ 16. Q. 4. An Concupiscentia causet involuntarium?

„ *Nota*: Concupiscentia hic generatim sumitur pro actu cujus-
„ cumque passionis vehementis rationem valde turbantis, qualis
„ est tristitia, ira &c. cujus actus possunt antevertere omnino
„ rationis usum, & dicuntur *motus primo primi*; vel possunt
„ illum valde impedire, ut aliquod dumtaxat rationi lumen
„ relinquant, & appellantur *secundo primi*; vel relinquunt
„ sufficiens deliberationi spatium, & tunc vocantur *Secundi*.

„ &. 1. Concupiscentia sumpta pro appetitione boni delecta-
„ bilis *auget voluntarium*. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 7. ad 2. quia actus
„ ita positus fit magis ad intrinseco; cum fiat juxta inclinatio-
„ nem.

„ 2. *Minuit* tamen, & quandoque penitus tollit liberum;
„ quia minuit indifferentiam voluntatis, & advertentiam præ-
„ cedentem volitioni liberæ. *Patet*, quod quandoque rationem
„ omnis peccati tollat prorumpens ira; quandoque faciat solum
„ venialiter peccaminosum actum blasphemiæ: quandoque tan-
„ tum intra lineam peccati gravis minuat culpam desperatio-
„ nis.

„ *Dices*: ergo *Consuetudo* peccandi inveterata tollet pariter

„ ra-

„ rationem peccati; quia tandem transit in naturam, & cau-
„ sat motus primo primos. R. N. *illat.*: tum quia est *impu-*
„ *tabilis in causa*; tum, ut advertit *Gobat*, sicut habitus in
„ peragenda officii sui functione non tollit advertentiam, sed
„ eandem *facilitat* tantum, & celeriorem reddit, ita non raro
„ consuetudo peccandi; nihilominus pro ratione nullius vel le-
„ vis advertentiæ &c. erit nullum vel leve peccatum.

CAPUT V.

De Moralitate Actuum Humanorum ex objecto & fine.

„ EX tribus capitibus petitur potissimum bonitas & malitia
„ actuum; nempe ex *objecto*, *& circumstantiis*, *& fine*. Ad
„ bonitatem actus requiritur, ut tria illa bona sint; ad mali-
„ tiam sufficit, si unum ex illis sit malum, juxta illud Diony-
„ sii de div. Nom. *Bonum est ex integra causa*, *malum ex sin-*
„ *gulis defectibus*. 2. Licet Philosophi distinguant causam mora-
„ lem, *quæ movet*, *quia est* a fine, *qui movet*, *ut sit*: sæpe
„ tamen apud Moralistas hæ duæ causæ confunduntur, & una
„ voce *causa inductiva*, quæ ad actum principaliter induxit,
„ appellantur.

„ 17. Q. 1. Quomodo bonitas & malitia petatur ab obje-
„ cto?

„ R. Ut actus dicatur *materialiter*, *seu objective* bonus, re-
„ quiritur, ut habeat objectum conforme primæ regulæ hone-
„ statis; ut autem etiam sit *formaliter & subjective* bonus re-
„ quiritur, ut advertatur insuper, objectum esse conforme pri-
„ mæ regulæ honestatis; seu actum & objectum illius esse hic
„ & nunc conforme voluntati divinæ, præscindendo jam, an sit
„ conforme *positive* vel solum *negative*, non difforme: *Ratio*:
„ actus omnis specificatur a suo objecto: ergo & moralis, sal-
„ tem materialiter.

„ *Coroll.* 1. Ergo potest actus esse objective malus, e. g. vo-
„ luntas mentiendi casu, quo quis putat, mendacium hic &
„ nunc esse licitum, & Deo gratum &c. & formaliter bonus;
„ quia actus sumit malitiam suam formalem ab objecto, non
„ prout est in se, sed prout est in mente operantis.

„ 2. Si actus voluntatis habet pro objecto actum externum
„ virtutis moralis, vel huic oppositum, e. g. voluntas dandi
„ eleemosynam &c. desumit manifeste ad hoc suam bonitatem
„ &c. si vero habeat pro objecto aliquid distinctum ab actu ho-
„ minis, e. g. Deum &c. ut bonus sit, necessarium est, ut fe-
„ ratur in hoc objecti bonum, & quidem modo proportionato
„ qualitati objecti, e. g. ut feratur in Deum modo prosecutivo
„ amoris, non aversivo fugæ &c.

„ 18.

„ 18. Q. 2. Ut actus sit positive bonus, quid requira-
„ tur?

„ R. Ut actus virtutis moralis sit positive bonus requiri-
„ tur, ut habeat objectum honestum, seu conforme primæ re-
„ gulæ honestatis saltem putativæ. 2. ut illud amplectatur pro-
„ pter honestatem, hancque saltem confuse, & in actu coer-
„ cito intendat tanquam finem, seu motivum. Ita S. Thom.
„ q. 19. a. 7. ad 3. S. Augustinus in Psal. 31. Anselmus, Theo-
„ logi communiter cum Aristotele Eth. 4. c. 2. Commune est
„ omnibus virtutibus, ut actus earum fiant honestatis causa.
„ Certe motivum voluntatis est bonum vel utile, vel delecta-
„ bile, vel honestum: ergo cum priora duo non possunt refun-
„ dere bonitatem honestatis in actum, debet hic illam desume-
„ re ex bono honesto: ergo hoc debet derivari per positivam il-
„ lius prosecutionem & appetentiam.

„ *Dices*: Vix contingit, ut honeste agens *positive* agat pro-
„ pter honestatem. 2. sufficit *interpretative* amplecti malitiam
„ ad actum malum: ergo & sic bonitatem ad actum bonum;
„ *contrariorum eadem est ratio*, sed Resp. ad 1. communiter ex-
„ ercite fit, licet rarius signate & reflexe, quod non requiri-
„ tur; *ad* 2. C. A. N. C. plus requiritur ad bonum, *axioma*
„ agit de scientiæ traditione: eadem disciplina agit de utroque,
„ bono & malo opposito.

„ 19. Q. 3. An actus fiat supernaturalis ex objecto?

„ R. Licet Cajetanus, Arrubal, Maurus supernaturalitatem
„ ex objecto derivent; e. g. si cognoscitur, creditur mysterium
„ Trinitatis, incarnationis &c. objectum materiale est super-
„ naturale; si creditur propter auctoritatem Dei, objectum for-
„ male erit tale &c. nihilominus cum Scoto, Granado, Lugo,
„ Viva de Just. d. 1. a. 2. & in thes. dam. prop. 57. ab Inn.
„ XI.

„ Dico supernaturalitatem actus desumi *ex principio activo*
„ *supernaturali*, influente in ratione causæ efficientis sive dire-
„ ctive, sive affective, e. g. si objectum proponatur per *fidem*
„ divinam; si *gratia* actualis supernaturalis illustret intellectum,
„ & inclinet voluntatem ad actum; si *habitus* fidei, spei, cha-
„ ritatis &c. vel in defectu horum *omnipotentia* Dei specialiter
„ applicata, vel alium *donum Spiritus S.* efficienter concurrat
„ ad actum, actus erit supernaturalis: si vero ratio mere na-
„ turalis suadeat Incarnationem, authoritatem Dei revelantis
„ &c. actus erit naturalis. Hæc opinio explicat facile illud
„ Theologorum, quod homo non possit discernere actum super-
„ naturalem, etiam proprium a naturali ordinarie; secus pot-
„ est esse certus de efficacia suæ conditionis, & statu gra-
„ tiæ.

„ *Dices*: ergo non poterit amplius *fides humana* a divina dis-
„ cerni:

„ cerni: 2. *attritio* ex metu malorum temporalium erit super-
„ naturalis. R. *ad* 1. N. humana fides dicitur illa, qua cre-
„ ditur homini; divina qua Deo &c. *ad* 2. si mala temporalia
„ per fidem proponantur ut a Deo vindice nobis peccantibus im-
„ missa, erit supernaturalis attritio.

„ 20. Q. 4. An detur actus indifferens in specie?

„ R. Datur. *Ratio*: datur actus, cujus objectum in se præ-
„ cise spectatum neque est præceptum neque prohibitum: ne-
„ que positive honestum, neque positive inhonestum seu illici-
„ tum, & quod consequens est, neque positive meritorium præ-
„ mii, neque demeritorium pœnæ: ergo S. Hieronymus Ep.
„ 89. dicit: *bonum est continentia, malum est luxuria, inter*
„ *utrumque ambulare*. 2. Datur in Deo non tantum lex præce-
„ ptiva & prohibitiva, sed etiam permissiva: ergo actus huic
„ conformis erit permissus tantum.

„ *Dices*: homo ad supernaturalem finem creatus teneatur ten-
„ dere ad illum positive, quod non fit per actus indifferentes.
„ 2. Talis actus est otiosus, sicut verbum juxta Hieronymum
„ otiosum est, *quod sine utilitate loquentis dicitur, & audientis*.
„ R. ad 1. sic probaretur necessitas assidua etiam actuum super-
„ naturalium; quod nimium probat, nihil probat: nempe ho-
„ mo tantum tenetur ad finem illum tendere per actus præci-
„ puos, & præceptos fidei, spei, charitatis, perceptiones Sa-
„ cramentorum &c. non per omnes. *Ad* 2. ille actus est otio-
„ sus, *qui non habet finem rationabilem*, aut ad illum non con-
„ ducit: S. Hieronymus sumit verbum otiosum in sensu magis
„ restricto, prout otiosum est non positive proficuum ad bo-
„ num utile, licet adhuc pertineat ad honestum.

„ 21. Q. 5. An possit dari actus indifferens in indivi-
„ duo?

„ *Nota*: in individuo ille dicitur indifferens, qui non tan-
„ tum objective, seu ex objecto indifferente est talis, sed et-
„ iam subjective quoad finem & circumstantias, in quibus hic
„ & nunc deliberate ponitur, & consideratur quoad licentiam
„ & honestatem.

„ Negant hanc indifferentiam *Thomistæ* passim cum Bellar-
„ mino, Valentia &c. quia potest homo facile actionem suam
„ dirigere ad finem honestum, & tenetur appetere *bonum ho-*
„ *nestatis*: cum sistere in bono delectabili sit modus brutis pro-
„ prius: 2. quia si homo advertit *licentiam* actionis, jam erit
„ actus positive bonus & conformis implicite primæ regulæ ho-
„ nestatis, si non advertit, erit actus neutiquam moralis, de
„ quo non est sermo. 3. si daretur, potissimum dari deberet
„ in *cibo, potu, actu conjugi* permisso ex mera delectatione po-
„ sito: atqui Innoc. XI. damnavit hanc n. 8. *comedere, & bi-*
„ *bere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est pecca-*

„ *tum*,

„ *tum, modo non obſit valetudini; quia licet poteſt appetitu*
„ *naturalis ſuis actibus frui:* & n. 9. *opus conjugii ob ſolam vo*
„ *luptatem exercitum omni penitus caret culpa, & defectu ve*
„ *niali.*

„ Defendunt vero hanc indifferentiam *Vaſquez, Leſſius, Sco-*
„ *tus cum ſuis & multis aliis*, quia non tantum *per accidens*
„ e. g. ſi quis per invincibilem ignorantiam, vel oblivionem,
„ aut probabilitatem exiſtimatam hujus opinionis operatur, non
„ dirigendo actionem ſuam ad finem honeſtum &c. ſed etiam
„ *per ſe*, ex deſtinato agens poteſt ſibi pro fine negative tan-
„ tum ultimo præfigere delectationem rationabilem, & mode-
„ ratam, quin agat contra rationem hominis, qui eſt animal
„ rationale. 2. Lex prohibitiva debet poſitive probari; cum
„ nulla obligatio multiplicans peccata induci poſſit ſine ne-
„ ceſſitate manifeſta; hæc autem multiplicaret peccata nimium.

„ *Ad objecta* Reſpondent hi Auctores: *ad* 1. homo differt a
„ *bruto* in duobus; quod delectatione utatur cum advertentia ad
„ licentiam, ſeu regulam mortalis, & hoc cum moderatione:
„ *ad* 2. licet homo advertat licentiam, tamen non agit poſitive
„ honeſte; quia agit ſolum *cum liceat*, ut licentia ſit conditio;
„ non, *quia licet*, ut ſit cauſa: imo licet hoc faceret, nondum
„ ſequeretur actus poſitive honeſtus: *ad* 3. ſufficere, quod ad-
„ mittatur actus indifferens *in aliis ſenſibus*, non adeo depri-
„ mentibus animum ad terrena e. g. ſpectare hortum, audire
„ muſicam, olfacere flores, legere librum jocoſum, comœdiam
„ ingenioſam &c. ex mera delectatione. *Deinde* iſtæ propoſitio-
„ nes ſunt damnatæ ob *univerſalitatem* actuum appetitus natu-
„ ralis, *vel*, ut alii, quia *uti* licitum eſt multis, non item *frui*,
„ quod in cauſali exprimitur. *Vel* ut nonnulli, quia *ſatietas* jam
„ dicit exceſſum in temperantia, qui datur, quando ita ſatia-
„ tur appetitus, ut quodvis aliud nauſeet. Porro, ut adeo hæc
„ ſententia nec *formaliter* in terminis, nec *virtualiter* tanquam
„ antecedens, ex quo inferatur aliquis damnata legitime, confi-
„ xa ſit.

„ Q. 6. An actus fiat malus ex fine malo?

„ R. Si agens, hunc finem actu intendat, fit poſitive ma-
„ lus totus actus, e. g. ſi quis ſitienti det potum, ut eum ine-
„ brier. Sed de hoc mox plura.

CAPUT VI.

De Moralitate actuum ex circumstantiis & mediis.

„ 22. QUÆR. 1. Quid sit circumstantia, & quotuplex?
„ Rr. Ex S. Thoma: *affectio actus humani extra*
„ *ejus essentiam, conferens aliquam bonitatem, vel malitiam*
„ *moralem*. Duo igitur exigit Angelicus ad circumstantiam: 1.
„ ut non tribuat actui primam essentiam; sic in furto, eleemo-
„ syna &c. rem esse alienam, proximum esse indigentem &c.
„ constituunt essentiam. 2. ut aliquam moralitatem in actum
„ referat, quod non facit e. g. quod manu dextera, vel sini-
„ stra, quod mane vel vesperi abstuleris &c. quia hæc habent
„ se impertinenter in genere moris.

„ Aliquæ circumstantiæ *mutant speciem*, e. g. si carnaliter co-
„ gnoscas uxorem alienam: aliquæ *aggravant vel minuunt* a-
„ ctum intra eandem speciem, e. g. si furaris majorem vel mi-
„ norem summam.

„ 23. Q. 2. Quandonam circumstantia mutet speciem?
„ Rr. Quando pertinet ad lineam alterius virtutis, & per
„ modum unius assumitur a voluntate agentis, e. g. si fur aut
„ voluntas furantis feratur in acceptionem rei alienæ, & locum
„ sacrum per modum unius, induet actus diversam speciem repu-
„ gnantem duabus virtutibus, Justitiæ & Religioni: si delecte-
„ ris turpiter de persona ut sacra, & Deo per votum dedicata,
„ habebis delectationem sacrilegam; sic enim circumstantia tran-
„ sit in essentiam actus.

„ *Coroll.* ergo *Crumeniseca*, qui solum in loco sacro, vel
„ tempore sacro, durante concione crumenam proximi aufert;
„ 2. qui solum peccat peccatum, *quod sperat* facile delendum
„ per sacramentalem confessionem &c. non habet peccati spe-
„ ciem diversam: aliter vero si peccet, *quia sperat*; si res sit
„ *depositum* loci sacri ut infra dicetur.

„ 24. Q. 3. Quæ sint circumstantiæ in particulari?
„ Rr. S. Thomas ex Oratore Romano 7. enumerat: *Quis*,
„ *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

„ *Quis*, indicat qualitatem & conditionem accidentalem per-
„ sonæ operantis v. g. an fornicans sit consanguineus, Sacerdos,
„ voto obstrictus, conjugatus &c.

„ *Quid*, designat quantitatem & qualitatem objecti. e. g. an
„ res furto ablata sit sacra vel profana; gravis aut levis; an
„ percussus sit Clericus, vel laicus; an Parens vel extraneus;
„ non autem intelligitur ipsum objectum secundum se.

„ Ubi,

„ *Ubi*, denotat qualitatem loci, an ſacer, ſeu prophanus, in „ quo commiſſum eſt peccatum.

„ *Quibus auxiliis*, denotat media & inſtrumenta operandi; „ v. g. ſi quis ope dæmonis aliquid conſequi voluerit.

„ *Cur*, finem extrinſecum operantis ſignificat: v. gr. an „ occiderit ad ſpoliandum; an furatus ſit ad ſe inebrian„ dum.

„ *Quomodo* indicat modum actionis accidentalem: v. g. an in„ tenſe aut remiſſe; an plena, an cum ſemiplena advertentia; „ an ex malitia &c.

„ *Quando* denotat durationem & qualitatem temporis acci„ dentalem: e. g. an die feſto; an cum mora brevi vel lon„ ga. Idem de circumſtantiis *actuum internorum* dici poteſt, „ quales potiſſimum ſunt major vel minor deliberatio & liber„ tas; intenſio & duratio.

„ 25. Q. 4. An electio accipiat mortalitatem tam a medio „ quam fine?

„ R. Si malitia medii ſit alterius rationis a malitia finis, „ electio accipit duplicem malitiam, unam a medio, alteram „ a fine, eritque actu coaleſcens in peccatum tertiæ ſpeciei: „ (neque enim erunt duo numero peccata in uno actu; ſed „ unum diverſæ ſpeciei, ut alibi dicitur) idem eſt de actu „ bono cognoſcente, & amplectente finem & media habentia „ bonitatem diverſam, e. g. qui *furari* ſtatuit, ut habeat pecu„ niam alendi Concubinam: qui *dat eleemoſinam* indigenti, ut „ eum ſibi inimicum reconciliet.

„ *Coroll.* Si medium ſit *indifferens*, electio ab illo nihil ac„ cipit bonitatis vel malitiæ, ut per ſe patet. 2. Si medium „ eſt *ejuſdem malitiæ*, vel bonitatis cum fine, electio non in„ ducit aliam ſpeciem moralitatis. 3. Omnis electio *mali me„ dii* eſt mala; non e contrario, omnis electio *boni medii* eſt „ poſitive bona; quia ut ſupra dictum, ad malitiam partici„ pandam ſufficit volitio objecti, quod *cognoſcitur* eſſe malum; „ ad participandum autem bonitatem objecti, debet bonitas ob„ jecti *intendi* poſitive; ſaltem aliquo modo in confuſo.

„ 26. Q. 5. An electio boni medii vitietur per intentionem „ finis mali?

„ R. Si electio boni medii *intrinſece* reſpiciat finem ma„ lum, vitiatur, e. g. Cajus accedit ad Euchariſticam commu„ nionem, ut durante illa proximi horologium furari queat. „ Non item, ſi finis ſit tantum extrinſecus; ſiquidem tunc e„ lectio non reſpicit finem, & hic habet ſe impertinenter ad „ illam, v. g. qui ſtatuit dare eleemoſynam largam, accedere „ ad ſacram Synaxim, poſtea autem ſibi vane complacet in o„ ſtentatione divitiarum, veſtium &c.

„ Co-

„ *Coroll.* Etiam electio mali medii minuitur per intentionem
„ boni finis, cum S. Augustinus dicat: *pejor est, qui concupi-*
„ *scendo, quam qui miserendo furatur*; sic enim non fertur in
„ medium malum secundum se, minusque afficitur erga mali-
„ tiam medii.

„ *Dices:* S. Aug. l. 10. Homiliarum hom. 7. ait: qui pau-
„ peribus dat id, quod abstulit, addit potius peccatum:
„ Rx. Ibi S. Pater loquitur de eo, qui dat tunc, cum res
„ esset domino restituenda; quo casu datur peccatum furti
„ commissionis, & omissionis in negata restitutione.
„ 27. Q. 6. An intentio boni finis vitietur per electio-
„ nem medii mali?

„ Rx. *Cum distinctione*, si finis intenditur *cum ordine* de-
„ terminato ad medium malum, actus fit absolute malus: non
„ item si intendatur finis sine ullo ordine ad medium. *Exem-*
„ *pla sunt*: Titius furatur, ut dare possit eleemosynam *ex furto*:
„ & Cajus intendit dare eleemosynam, hic & nunc nihil cogi-
„ tans de medio; postea ex avaritia eligit eam dare ex furto,
„ quod propterea committit; prima intentio eleemosynæ fuit
„ bona in Cajo.

„ *Coroll.* Quod hic de fine & mediis dictum, dicendum cum
„ proportione pariter est de actu, in quo concurrunt *duo fines*,
„ e. g. Sempronius in Paschate communicat, ut Sacramentum
„ percipiat, legi Ecclesiasticæ satisfaciat, &c. simul ut pius
„ videatur aliis: orat ex Religione simul & vanitate &c. di-
„ cta cum proportione accommodanda casui, quo *finis vanus*
„ intenditur.

CAPUT VII.

De Actibus Meritoriis.

„ 28. QUÆR. 1. Quid requiratur, ut actus sit meritorius?
„ p. 2. c. 6. n. 68. „ *Nota*: Actus meritorius juxta Platelium
„ us obsequium positus, de se aptus ad obtinendum præmium;
„ cum præmium & meritum sint correlativa. 2. Meritum
„ est duplex: *congruum* quod non habet æqualitatem cum præ-
„ mio, nec promissionem præmiantis, quamvis ex convenientia
„ hic possit dare præmium intuitu facti operis: & *condignum*,
„ quod habet æqualitatem cum præmio, & saltem in actu se-
„ cundo promissionem præmiantis, meritum hoc acceptantis,
„ involvit.

„ Rx. Ad meritum *Condignum*, quod est proprie tale, re-
„ quiruntur sex, nempe, duæ conditiones ex parte hominis
„ merentis; tres ex parte actus meritorii; & una ex parte
„ Dei præmiantis.

„ *Ex parte hominis*, requiritur 1. quod sit justus, nam „ Christus, *Joan.* 15. dicit: *Sicut palmes non potest ferre fru-* „ *ctum ex semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in* „ *me* (per gratiam sanctificantem) *manseritis* .... 2. Quod „ sit viator, Joan. 9. *Venit nox, quod nemo potest operari*, „ ubi per *noctem*, intelligit mortem.

„ *Ex parte actus*, requiritur 1. quod sit liber a necessi- „ tate; unde hæretica est hæc Jansenii prop. *Ad merendum*, „ *vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in ho-* „ *mine libertas a coactione* .... 2. Quod sit bonus & ho- „ nestus, 2. Petri 1. *Satagite ut per vestra bona opera certam* „ *vestram vocationem & electionem faciatis* .... 3. Quod sit „ supernaturalis, tum *in entitate*, ita ut eliciatur ex gratiæ „ actualis auxilio, tum *quoad modum*, ita ut eliciatur ex im- „ perio charitatis: *Hoc amore opus est*, inquit S. Augustinus „ l. 4. contra Julianum, cap. 3. *ut bonum beatificum sit*, id est „ meritorium beatitudinis.

„ *Ex parte Dei*, requiritur promissio mercedis, nam Deus „ non potest nobis debitor fieri, nisi intercedat promissio ex „ parte ipsius; unde vita æterna dicitur in Scripturis promis- „ sio, Heb. 10. *Ut voluntatem Dei facientes reportetis promissio-* „ *nem*.

„ 29. Q. 2. Quid homo possit mereri de condigno?

„ R. 1. Homo justus per actum supernaturalem potest me- „ reri *augmentum* gratiæ sanctificantis, & gloriæ in cælo, cujus „ sementis est gratia. Ita Trid. sess. 6. c. 16. *vitam æternam* „ *esse mercedem ex Dei promissione ipsorum meritis reddendam*, „ cum ergo gratia sanctificans sit mensura gloriæ, pari passu „ proceditur &c.

„ 2. Homo justus non potest de condigno mereri *gratiam* „ *actualem efficacem, aut finalem perseverantiam*. Præterquam „ enim, quod ex Patrum sententia ejusmodi gratiam Deus mi- „ sericorditer largiatur, & finalis perseverantiæ donum sit „ Benevolentiæ divinæ effectus ex primariis unus, quem sup- „ plici prece emereri, non item mereri homo queat, ipsum- „ que meritum adæquetur augmento gratiæ sanctificantis & „ gloriæ; nullibi certe in Scriptura justis hæc gratia promitti- „ tur (qualis tamen promissio necessaria foret ad meritum „ condignum) ut sic mortalis semper in salutari timore, & „ humilitate vivat, ita Theologi communiter.

„ *Dices*: qui potest de condigno mereri finem, qui est glo- „ ria, debet etiam posse mereri medium, quod est perseveran- „ tia. 2. Homo potest absolute loquendo mereri gratiam pri- „ mam: ergo & ultimam. R. ad 1. Hominem posse de con- „ digno mereri *gratias sufficientes* ad perseverandum, quod „ necessarium simul, & satis est ad finem; cum efficax non sit

„ de-

„ determinate necessaria: ad 2. Hominem de congruo solum „ posse mereri primam gratiam habitualem, sicut Angeli di- „ cuntur esse meriti; primam vero actualem nullo modo posse „ mereri; tum quia *principium meriti non potest cadere sub me-* „ *ritum*, quia non posset illam mereri per actum naturalem, „ utpote improportionatum, non per supernaturalem &c.

„ 30. Q. 3. Quid requiratur ad opus satisfactorium?

„ *Nota:* Juxta doctrinam in Ecclesia receptam opera nostra „ bona triplicem vim continent. 1. *Meritoriam gratiæ & glo-* „ *riæ*, & hæc soli operanti applicatur. 2. *Impetratoriam* ad „ alia, quæ petimus nobis & aliis obtinenda. 3. *Satisfacto-* „ *riam* ad delendum reatum peccatorum commissorum, quæ „ satisfactio etiam aliis applicari potest: hæc ex communione „ Sanctorum, & exemplis Ecclesiæ, ac damnatione propp. 60. „ & 77. Baii &c. patent.

„ 2. Satisfactionum gemina est species: una *proprie talis*, „ quæ satisfacit pro culpa; altera *minus propria*, seu potius „ *satispassio*, quæ pro pœna: prior exigit submissionem sui & „ honorationem alterius æqualem culpæ: altera passionem seu „ tolerantiam æqualem pœnæ debitæ; quia illa est compensa- „ tio honoris alieni per peccatum læsi, hæc solutio mulctæ in „ vindictam peccati constitutæ.

„ Rx. Conditiones requisitæ ad satisfactionem sunt sequen- „ tes. *Ex parte satisfacientis*: Prima est quod sit in gratia, „ ut satisfaciat de condigno, vel quod deposuerit affectum ad „ peccatum ut satisfaciat de congruo late: Secunda quod sit „ in statu viæ, quia eodem modo quoad hoc loquendum est „ de satisfactione ac de merito. Vide n. 640. P. II.

„ *Ex parte operis*. Prima est, quod sit liberum; quia est „ actus humanus. Secunda quod sit bonum: quia per opera „ mala potius merentur pœnam, quam pœnæ remissionem. „ Tertia quod sit supernaturale; quia remissio pœnæ pertinet „ ad ordinem supernaturalem; pœnæ enim debitum retardat „ nos a fine ultimo supernaturali consequendo. Quarta quod „ sit pœnale. *Conditio ex parte Dei* est quod acceptet tale opus „ in satisfactionem.

„ 31. Q. 4. An actus voluntatis efficaciter imperatus ha- „ beat propriam moralitatem?

„ Rx. Cum utrumque æquis studiis inter Scholasticos agite- „ tur, affirmantibus *Suarez*, *Vasquez*, *Ripalda*; negantibus „ *Lugone*, *Arriaga*, *Oviedo*; illud certum, hominem ex me- „ tu gehennæ imperantem sibi actum contritionis salvari, sive „ hæc prerogativa oriatur ex propria libertate & moralitate „ contritionis, sive ex promissione Dei gratiam omni contri- „ tioni, etiam mediate tantum liberæ, annectentis. Vasquez li- „ bertatem propriam propugnans 1. 2. dist. 15. c. 5. rem sic

„ explicat: quando actus imperans est efficax intentio finis „ & imperatus electio medii, vel quando voluntas per alium „ distinctum actum reflexum imperat sibi actum, e. g. pœni- „ tentiæ, contritionis &c. actus imperans non aliter concurrit, „ quam impellendo intellectum ut *applicet motiva* ad contri- „ tionem, quibus applicatis adhuc est *in potestate voluntatis* „ abstinere a contritione: itaque si eliciatur, habebit suam „ etiamnum libertatem.

„ 32. Q. 5. An actus externus augeat meritum, vel deme- „ ritum interni?

„ R. *Per se loquendo* non auget meritum substantiale quoad gra- „ dus gratiæ, & gloriæ; si modo internus sit efficax, quantum „ ad se. Ratio 1. quia Scriptura sæpe reputat voluntatem pro „ facto, e. g. immolationem Isaaci, oblationem a fœmina pau- „ pere per duo minuta plus omnibus offerente, concupiscen- „ tiam conjugis alienæ in mœcho &c. 2. Actus externus non „ habet peculiarem moralitatem, libertatem, advertentiam ad „ regulam moralitatis, tendentiam in objectum, ita S. Thom. „ q. 20. a. 4. contra Scotum & Scotistas.

„ *Dices*. 1. Ergo, qui serio vellet *infinitis pauperibus* dare „ eleemosynam, haberet voluntatem infinite meritoriam. 2. Qui „ vellet *per omnem vitam quotidie* jejunare, & superviveret „ 10000. diebus mereretur uno actu totidem gradus gratiæ, „ & gloriæ: 3. Homo non plus mereretur per martyrium ac- „ tuale, quam per *desiderium* illius, quod est contra S. Bernar- „ dum Ep. 77. R. ad 1. N. quia actus ipse est tantum fini- „ tus; cum etiam intellectus sibi tantum finitam multitudinem „ actuum externorum repræsentet, vel saltem solum confuse „ in infinitam multitudinem tendat. Ad 2. N. quia aliter lo- „ quendum nonnihil de actibus externis, qui compleri suc- „ cessive per plures actus debent, quorum quilibet exigit di- „ stintam libertatem. Ad 3. plus meretur vel præmii substan- „ tialis per accidens, vel præmii accidentalis per se, quod 5. „ modis fieri potest. 1. Ratione *numeri*: cum durante martyrio „ eliciuntur plures actus voluntatis. 2. Extensionis, durationis „ longioris actus externi. 3. Intensionis, ob arduitatem operis „ actus voluntatis solet esse ferventior. 4. *Ex opere operato*, „ ut fit in Sacramento & martyrio in re recepto. 5. *Aliorum* „ *emolumentorum*, martyrium causat Aureolam, seu laureolam „ peculiarem, pœnalitas operis externi addit vim satispassionis, „ oratio ipsa vim impetrationis &c.

„ 33. Q. 6. Quomodo voluntas humana debeat se conforma- „ re divinæ?

„ *Nota*. Triplex est modus se conformandi; 1. in ratione „ *causæ efficientis* volendo, quod Deus vult nos velle. 2. *Ob-* „ *jecti materialis* volendo idem, quod vult Deus. 3. *Objecti* „ *for-*

„ *formalis* volendo aliquid ob eam causam, ob quam id vult
„ Deus.

„ R. 1. Homo tenetur se conformare primo modo, intel-
„ ligendo hoc de voluntate præcepti in Deo, & non consilii
„ duntaxat, aut meræ approbationis, quia homo tenetur obe-
„ dire Deo præcipienti.

„ 2. Potest quidem; sed non tenetur se conformare secundo
„ aut tertio modo. *Potest* quia licitum est etiam mala ut sub-
„ stantia divinæ voluntati; tanquam primæ regulæ honestatis,
„ approbare, sicque secundum Anselmum l. de similitudinibus
„ c. 63. locati in cælo se conformant &c. modo se non im-
„ misceat affectus odii absolutus &c. *Non tenetur*, quia potest
„ sæpe affectu inefficaci & conditionato nolle id, quod scit
„ Deum efficaciter velle, ut Aug. Enchir. c. 101. potest bo-
„ nus filius velle patrem vivere, quem Deus vult mori.

„ 34. Q. 7. Utrum quidquid homo vult deliberate, illud
„ velit propter finem ultimum?

„ R. Illud vult *implicite* saltem & *virtualiter* propter finem
„ ultimum spectatum confuse, & in communi, quia semper
„ operatur ut bene sibi sit; non autem illud vult semper pro-
„ pter finem ultimum spectatum in particulari & determinate;
„ quia talis finis est Deus; atqui quidquid homo vult delibe-
„ rate, illud non vult propter Deum, quia plura vult quibus
„ se avertit a Deo; ergo.

„ 35. Q. 8. Quid & quotuplex est beatitudo, seu ultimus
„ finis hominis?

„ R. 1. Beatitudo est *Status omnium bonorum aggregatione per-*
„ *fectus*.

„ 2. Est duplex, *Objectiva*, quæ est bonum, cujus possessione
„ satiatur appetitus hominis; nempe Deus qui solus potest ho-
„ minis animam ita satiare, ut nihil amplius ipsi desiderandum
„ superst, juxta illud S. Aug. l. 19. de Civit. Dei cap.
„ 26. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum*
„ *donec requiescat in te*. Hinc sequitur res terrenas, puta ho-
„ nores, divitias, scientias, &c. animam occupare posse,
„ non satiare; & *formalis*, quæ est actio, qua cum summo
„ voluptatis sensu, possidetur objectum beatitudinis: Thomi-
„ stæ eam reponunt in visione Dei intuitiva; Scotistæ, in so-
„ lo amore fruitivo; plurimi in gaudio beatifico, quod defi-
„ nitur; *Intimus ac suavissimus creatæ mentis sensus, quo mens*
„ *adeo sibi conscia est se bene esse, ut nihil ultra expetat*. Ho-
„ rum sententia probabilior est: nam 1. Scriptura Matth. 27.
„ dicit: *Intra in gaudium Domini tui*. Et D. Aug. l. 10.
„ Confes. c. 23. *Beata vita*, inquit, *est gaudium de veritate*.
„ 2. Beatitudo formalis, est status beati, quo in Summo bo-
„ no clare viso & amato, tanquam in suo fine ultimo o-

„ mni-

„ mnimode ſatiatus, ſuaviſſime conquieſcit, atqui talis ſtatus „ formaliter habetur per gaudium, ut conſtat ex ejus definitio„ ne; ergo.

„ 36. Q. 9. Quæ & quot ſint dotes animæ & corporis „ beati?

„ R. 1. Dotes animæ beatæ ſunt tres; nempe *inamiſſibili„ litas gloriæ*, *impeccabilitas*, *& modus quo diligit Deum*. „ Nam 1. Beatitudo eſt *inamiſſibilis*, alias cum timore poſſi„ deretur, & ſic non eſſet ſtatus omnium bonorum aggrega„ tione perfectus. 2. Beati ſunt *impeccabiles*, nam peccatum, „ quod eſt averſio a Deo compati non poteſt cum amore bea„ tifico, qui eſt intima unio cum Deo. 3. Beati neceſſario „ amant Deum; tum neceſſitate ſpecificationis, ita ut non „ poſſint eum odiſſe, tum neceſſitate exercitii, ita ut non poſ„ ſint ab ejus amore ceſſare.

„ 2. Dotes corporis beati ſunt quatuor, quas refert Apoſt. „ 1. Cor. 15. nempe; *impaſſibilitas*, qua excluditur a corpore „ Beati omnis paſſio corruptiva. *Subtilitas*, qua redditur alte„ rius corporis penetrativum. *Agilitas*, qua redditur imper„ ceptibiliter ac celeriſſime mobile. *Claritas*, qua redditur „ luminoſum & ſimile cryſtallo.

„ 37. Q. 10. Quid & quot ſint aureolæ?

„ R. 1. Aureola eſt animæ beatæ gaudium accidentale de „ excellenti victoria ſua, in corpus ſpeciali fulgore redun„ dans.

„ 2. Sunt tres. Prima eſt Martyrum, qui de mundo; Se„ cunda Virginum, qui de carne; Tertia Doctorum, qui de „ Diabolo triumpharunt. Sed de his ſatis; qui plura vult, „ adeat Theol. Scholaſt. nunc ad ſcitu utiliora pro praxi redea„ mus.

Casus I.

„ Titia confitetur: 1. ſemel a filia ad gravem iram & im„ precationes ſum incitata; 2. ſemel maritum frangendo vaſ„ culum ad ſimilia concitavi; 3. ſemel a quodam oſculum ac„ cepi, & ſemel inhoneſtum tactum; nuper prolem parvulam „ mecum in lecto de nocte collocaveram, quam mane dolen„ ter inveni oppreſſam & mortuam. Q. Quid de Titia judi„ cabit Confeſſarius?

„ R. *ad* 1. Si motus iræ fuit omnino ſubitus, præveniens „ omnem advertentiam rationis, non peccavit, defectu Volun„ tarii; alias venialiter; imprecationes enim, ſi non fuerint „ ſeriæ (ut in parentibus fieri ſolet) etiam ſuppoſita delibe„ ratione, ſunt tantum veniale. *Ad* 2. Si advertenter fregit, „ prævidens virum graviter exacerbandum, peccavit graviter

„ con-

„ contra charitatem; magis, si hoc intendisset: alias vel nul-
„ lo modo, vel leviter tantum. *Ad* 3. si osculum absque alio
„ fine honesto ex sensuali delectatione, magis, si tactum vo-
„ luntarie admisit, peccavit graviter; si præter vel contra in-
„ tentionem, ex improviso, obiter (ut fieri solet in conjugata
„ honesta) non peccavit, & quia de his merito dubitatur, exa-
„ minanda est; Confessarii enim est inquirere; an pœnitens pec-
„ cavit graviter, si aliunde prudenter colligi nequeat. *Quod ad-*
„ *do*; Si enim confiteretur sæpius admisisse similia, vel observa-
„ ret esse lascivam, potest supponere peccasse graviter; quæ be-
„ ne notanda sunt in multis aliis pro praxi. *Ad ult.* Si prævi-
„ dit periculum, & fuit negligens in præcavendo, est rea homi-
„ cidii; est autem periculum grave, si lectus sit angustus, pa-
„ rens inquieti somni &c. & est semper dissuadendum.

Casus II.

„ Adalbertus Sacerdos 1. non approbatus audit Confessiones
„ videnti ac tacente Episcopo; 2. assistit matrimonio suæ so-
„ roris, certus hoc gratum fore Parocho, si audiat: quem ob-
„ litus est rogare, & nunc non potest: 3. ex certo modo cu-
„ bandi novit sequi pollutionem: 4. Nepti abeunti dat oscu-
„ lum, ex quo per experientiam novit se valde moveri: deni-
„ que post largum potum vadit ad infirmum ungendum, &
„ in via aere aperto inebriatur, pergensque ad infirmum, qui
„ in phreneſim incidit, eum inungit.

„ Q. Quid ad hæc resolvat Theologus?

„ R. *ad* 1. Absolutiones datæ, antequam Episcopus vidit,
„ sunt invalidæ, ideoque sacrilegæ: postquam autem vidit ab-
„ solventem, sunt validæ, si vere Episcopus consensum tacitum
„ præbuerit; cum tacitus consensus a parte rei existat; quod
„ feciſſe præsumitur, & suo silentio ut signo sensibili expressis-
„ se. R. *ad* 2. Matrimonium est invalidum; cum enim ad
„ valorem requiratur actualis jurisdictio, & consensus Parochi
„ saltem habitualiter existens, seu non revocatus, non sufficit
„ mere præsumptus aut ratihabitio; cum nihil det actui: aliud
„ est, dum de sola licitate agitur, & absens interrogari non
„ potest. R. *ad* 3. Si adsit aliqua necessitas vel utilitas sic cu-
„ bandi, non peccat, si non intendatur, nec adsit periculum
„ consensus; habet enim tunc jus sic cubandi. Similiter R. *ad*
„ 4. cum actio de se sit honesta, nec sit causa per se motus
„ turpis; modo iterum absit periculum consensus in delectatio-
„ ne venerea. Interim Sacerdotem dedecet.

„ *Ad* ult. R. Si infirmus Sacerdotem ab ante petiit, debe-
„ bat inungi; mansit enim intentio habitualis: functio tamen fuit
„ invalida ex parte ministri; non enim mansit intentio virtua-
lis;

„ nam ſpecies phantaſiæ, quæ manſerunt, movent appetitum ſen-
„ ſitivum ad talem actionem, quæ non eſt voluntaria reſpectu
„ volitionis humanæ liberæ ante habitæ, ſed tantum eſt effe-
„ ctus potentiarum ſenſitivarum in ebrietate operantium, po-
„ ſito, quod ſit perfecta ebrietas.

Casus.

„ Edmundus 1. legit varias hiſtorias prævidens inde ſecutu-
„ ram delectationem de objecto turpi: 2. ambulans per hor-
„ tum Principis curioſe aſpicit nuditates ſtatuarum, inſurgen-
„ tibus tamen motibus conſenſum denegat: 3. dum naturaliter
„ incidit cogitatio de objecto turpi, & inde ſenſitiva delecta-
„ tio, eam negligit repellere: 4. ſæpe in ſomno pollutionem
„ patitur: denique ſemel delectationem turpem habuit, ſed
„ dubitat, an in ſomno, an vigilans.

„ Q. Quid de eo judicabit Confeſſarius?

„ R. *ad* 1. Si ex aliqua cauſa honeſta legat, non peccat:
„ ſi ex curioſitate, peccat venialiter: quia cauſa non eſt, niſi
„ venialis, & ſequitur per accidens, ſecluſo ſemper periculo
„ conſenſus: ſi ſine cauſa ſit circa objecta valde turpia, eſt
„ mortale, ob periculum complacentiæ. *Ad* 2. peccavit gra-
„ viter, tum ob motus turpes indirecte voluntarios, qui per
„ ſe ſequuntur; tum ob periculum gravius labendi. *Ad* 3. pra-
„ ctice loquendo, peccat graviter, teneturque ſtatim elicere
„ diſplicentiam & cogitationes alio divertere, dum plene ad-
„ vertit, ob periculum complacentiæ; quia vehementiſſima
„ hic eſt objecti allicientia, & talis converſio ad objecta ho-
„ neſta præſertim grata vel indifferentia eſt tutiſſimum reme-
„ dium in hac materia. *Ad* 4. videndum eſt, an & per quid
„ de die cauſam dederit, ſi v. g. vacando veſperi turpibus co-
„ gitationibus, jam dupliciter peccavit, poſito, quod de peri-
„ culo pollutionis cogitaverit: & licet bonum ſit, quod ipſam
„ etiam pollutionem in ſomno ſecutam confiteatur, per ſe ta-
„ men ſatis eſt dicere: inhæſi turpi cogitationi, prævidens pe-
„ riculum pollutionis; hæc enim in ſe peccatum non eſt, dum
„ in ſomno fit. *Ad ult.* præſumere poteſt fuiſſe in ſomno;
„ quæ enim cum plena advertentia a vigilante fiunt, facile
„ facta cognoſcuntur.

Casus IV.

„ Petrus ob potum vini 1. in ſomnum incidit, ideoque
„ Miſſam in die feſto non audiſſet, niſi caſu excitatus fuiſſet:
„ 2. in ebrietate varia commiſit peccata: 3. uxorem gravidam
„ ex ira percuſſit, ex quo contra voluntatem ſequitur abortus:

„ de-

» denique cum sit Chirurgus, aspiciendo & tangendo secretiora
» frequenter in se sentit motus ac pollutionem, sentitque se
» magis promptum, dum ad fœminam, quam dum ad virum
» vocatur. Q. Qualiter in his peccaverit?

Rx. *ad* 1. Si somnum prævidit, & de periculo omissionis
» cogitavit, nec curavit solicite, ut excitaretur, peccavit gra-
» viter contra præceptum audiendi Missam ob periculum, licet
» illam casu audierit. *Ad* 2. illa tantum in foro conscientiæ
» ipsi imputantur, quæ poterat prævidere. *Ad* 3. Est reus abortus
» etiam noliti; est enim indirecte voluntarius; peccavitque
» graviter eam percutiendo, & facile in confuso prævidetur pe-
» riculum; quod licet non nisi semel vel iterum ex viginti
» vicibus sequatur, adhuc abstinendum est propter gravissimum
» damnum, quod infertur fœtui præsertim animato. *Ad.* 4. Si
» similibus non præbeat consensum, non censentur voluntarii;
» cum justam habeat hæc faciendi necessitatem vel causam.
» Promptitudo illa naturalis est naturæ corruptæ defectus, at-
» tamen ob periculum consentiendi tenetur contrariis protesta-
» tionibus & bonis actibus animum firmare, motibus subortis
» resistere. Si vero per experientiam sciret, se solitum consen-
» tire, nec periculum posset extenuare, deberet desistere: de quo
» alibi.

Casus V.

» Barbara famula ab hero suo sæpe solicitata admittit quidem
» oscula & tactus turpes, non tamen copulam; cum vero nu-
» per violenter ab illo opprimeretur, noluit clamare, ne herum
» & seipsam diffamaret, imo ne ab ipso præ libidine furioso
» occideretur. Q. Quid sit violentia? an tollat Voluntarium,
» & quid ad casum?

Rx. 1. Violentia est vis ab extrinseco illata contra naturalem
» inclinationem passi: si sit simpliciter talis, ita ut in- & ex-
» terne totis viribus resistatur, facit actum positive involunta-
» rium; alias relinquit indirecte voluntarium in omissione suf-
» ficientis resistentiæ. Rx. 2. Barbara peccavit graviter, quo-
» ties admisit oscula & tactus, licet copulam semper recusave-
» rit solius utique infamiæ timore; tenebaturque Confessarius
» urgere, ut, quantum fieri moraliter poterat, domum dese-
» reret. Rx. 3. Peccavit mortaliter non clamando; quia non re-
» stitit quantum utiliter potuit ac debuit. Herus suæ mali-
» tiæ imputet infamiam, illa laudem meruisset, imo teneba-
» tur clamare cum evidente periculo mortis; cum enim ipsa
» lubrica esset, debuit prævidere se moraliter certo consensu-
» ram in delectationem, quod est intrinsece malum; idque

» ve-

„ verum, licet sciat se esse in gravibus peccatis, nec possit
„ tam cito elicere contritionem, ideoque putet se damnandam;
„ non damnabitur autem, quia se exponere morti ac gehennæ
„ potius, quam in peccatum consentire, est actus amoris per-
„ fectissimus, quo mortalia præterita remittuntur ob dolorem
„ virtualem; deberet tamen conari ad dolorem, quantum
„ posset.

Casus VI.

„ Bernardus per metum gravem 1. cogit Judæum, ut se
„ baptizari permittat: 2. Sacerdotem, cui confessus est, ut
„ absolvat: filium suum, ut Canonicatum & sacros Ordines
„ suscipiat: inter Hæreticos, ne agnoscatur, carnes comedit
„ diebus vetitis. Q. An metus tollat voluntarium & quid
„ ad Casum?

„ Rr. 1. Metus quicunque non perturbans rationem, relin-
„ quit actum simpliciter voluntarium; quia omnibus consi-
„ deratis voluntas se resolvit ad volendum: si tamen voli-
„ tio efficax secum patiatur volitionem conditionatam & af-
„ fectum ad oppositum, reddit actum involuntarium secundum
„ quid.

„ Rr. 2. *ad* 1. Cum consensus in Baptismum sit simpliciter
„ voluntarius, valet baptismus, obligaturque dein legibus Ec-
„ clesiæ, non vi consensus injuste extorti, sed vi legis divi-
„ næ, qua tenetur suscipere fidem Christi satis sibi propositam, & in ea obedire Ecclesiæ. *Ad* 2. Si absolutio valide
„ dari possit, valet: quia simpliciter voluntaria: si non pos-
„ sit, peccat graviter, vel Sacramentum conferendo indigno
„ & incapaci, vel sine hac intentione proferendo formam;
„ est enim simulatio & mendacium in re gravissima. *Ad* 3.
„ Valide ordinatur, sed non tenetur voto castitatis, nec
„ horas orare; quia Deus non acceptat votum injuste extor-
„ tum, nec Ecclesia censetur illum obligare: hinc secluso scan-
„ dalo posset uxorem ducere; si tamen cessante metu semel
„ actum ordinis exerceat, tenetur; quia est ratificatio Ordi-
„ nis. *Ad* 4. Si præcise ne agnoscatur, irrideatur, peccat
„ graviter; si, ne gravis mali periculo se exponat, non pec-
„ cat; quia lex humana tunc non obligat, nisi contemp-
„ stio cedat in contemptum Religionis, vel ex circumstan-
„ tiis habeatur pro signo distinctivo fidei, de quo plura in-
„ fra.

Casus VII.

„ Georgius 1. Confitetur: volens occidere Petrum Clericum „ inimicum occidi Cajum amicum etiam clericum; 2. globo „ jaculando cervum simul trajeci inimicum ad necem quæsi- „ tum in dumeto latenter stantem: 3. ignorans esse vigiliam „ manducavi carnes, sed ex pigritia die Dominica non fueram „ in Ecclesia. Q. Quid de Georgio judicabit .... Confessarius?

„ R. *ad* 1. Si non adhibuit diligentiam moralem ne alius „ homo occideretur, incurrit irregularitatem & onus restitu- „ tionis; quia occisio Caji est illi voluntaria in omissione di- „ ligentiæ debitæ: si illam adhibuit, nihil incurrit; quia actus „ externus non est formaliter injuriosus Petro, cum illum non „ tangat, nec Cajo, quem omnino involuntarie occidit. *Ad* „ 2. Si iterum adhibuit diligentiam debitam, occisio est nega- „ tive involuntaria, non positive, sicut prior; & non inducit „ pœnas, ad quas non sufficit actus internus malus, nec at- „ tenditur, quid quis faceret, sed quid fecerit. *Ad* 3. Si die „ Dominica, dum Missæ noluit interesse, obvenit cogitatio de „ jejunio, & neglexit inquirere, aut alios prudentes desuper „ interrogare, est ignorantia vincibilis, & peccavit contra præ- „ ceptum jejunii: si autem nec tunc, nec expost inciderit co- „ gitatio, licet peccaverit omittendo Missam, non peccavit „ non jejunando.

Casus VIII.

„ Alexander confitetur: graviter detraxi aliis; ter fornicatus „ sum, semel alium dormientem tentavi turpiter tangere. „ Confessarius in 1. interrogat: *quoties*? & nil amplius. Q. „ an bene.

„ R. Non bene; debebat enim interrogare, quot personis, „ & coram quibus detraxerit: an per detractionem aliud „ damnum intulerit: non tamen in qua materia; quia lædi- „ tur idem bonum famæ: nec probabiliter, an imponendo cri- „ men falsum, an revelando verum occultum; quia non di- „ stinguuntur specie, licet major sit malitia in 1. *Ad* 2. licet „ moraliter sit idem per se loquendo, ter peccare cum una, „ ac semel cum tribus: majus tamen videtur scandalum soli- „ citare tres, præsertim innocentes; hinc prudenter & hoc in- „ terrogasset; etiam dum respondet cum una, merito dubita- „ tur & interrogatur de occasione proxima. *Ad* 3. An ille „ dormiens fuerit consanguineus, affinis &c.; esset enim spe- „ ciem mutans; quia repugnans reverentiæ sanguini debitæ.

TRA-

TRACTATUS I.

De Conſcientia.

ACTIO humana bona, ac proinde licita, vel mala moraliter, ideoque illicita eſſe cenſetur, quatenus regulis morum vel conformis, vel difformis eſt. Regula autem dirigi actiones humanas duplex eſt, alia *remota*, quæ mediante regula proxima nos dirigit, eſtque ipſa lex Dei æterna aliquid prohibens, vel præcipiens, vel permittens; ad quam reductive pertinent leges humanæ, tanquam regulæ ſecundariæ, & ſubordinatæ, utpote quæ vim obligandi in conſcientia trahunt a lege Dei jubentis obtemperare etiam legibus humanis. Alia *proxima*, quæ applicat regulam remotam dictando, quid illi conforme vel difforme ſit; hæc communiter vocatur conſcientia, de qua breviter nunc agemus.

CAPUT I.

De Conſcientia in genere, & de recta, atque erronea in ſpecie.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Conſcientia?

QUÆR. 1. Quid ſit Conſcientia? R. cum *Laymann* L. 1. T. 1. C. 2. N. 1. eſt *Actus intellectus practici judicantis, aliquid hic & nunc agendum eſſe vel fuiſſe tanquam bonum & honeſtum, vel fugiendum tanquam turpe & inhoneſtum*. Dicitur 1. *Actus intellectus*, non voluntatis, ut vult *Durandus*; intellectus enim debet quaſi ducere voluntatem, quæ de ſe eſt potentia cæca, eique proponere, quid licitum ſit, vel illicitum, quo agnito voluntas ſe determinat ad actus ſuos bonos vel malos; hinc Conſcientia eſt quaſi ſcientia vel judicium de honeſtate vel inhoneſtate actus. 2. *Actus intellectus practici*, hoc eſt, immediate dirigentis hominem ad hanc actionem hic & nunc, id eſt, in his vel illis circumſtantiis licite ponendam, vel non ponendam; alias etiam dicitur *Dictamen ultimo ſive practice practicum*. Differt a *Syntereſi*, quæ eſt habitus cognoſcitivus primorum & univerſaliſſimorum principiorum moralium, v. g. bonum eſſe faciendum, malum fugiendum; Deum eſſe colendum &c. Item differt a Conſcientia *ſpeculativo-practica*, quæ

quæ quidem versatur circa principia magis particularia, ea tamen non applicat huic numero actioni in his illisve circumstantiis, sed tantum in genere dictat, quid sit licitum vel illicitum, præceptum vel prohibitum, v. g. die festo Sacrum esse audiendum, non esse laborandum serviliter &c. Conscientia autem proprie dicta, seu dictamen *practice practicum* dicit: Tu non impeditus hoc die festo teneris audire Sacrum.

2. *Quæres II.* Quotuplex sit Conscientia? Rx. 1. Alia, minus proprie talis, dicitur *consequens*, quæ versatur circa actus præteritos, illos vel improbando tanquam male factos, & vocatur *Remorsus Conscientiæ*, vel approbando tanquam honeste factos, & vocatur *Testimonium Conscientiæ*, de quo 1. ad Corint. 1. v. 13. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Hæc est mere speculativa. Alia, & quidem proprie talis, est *antecedens*, quæ proxime dirigit actiones vel ut licitas, vel tanquam illicitas, præceptas vel prohibitas.

3. Rx. 2. Conscientia ex modo, quo insinuat, aliquid esse bonum vel malum, alia est *obligans* vel *præcipiens*, quæ dictat, peccatum esse, si hic actus tanquam prohibitus ponatur, vel ut præceptus omittatur. Alia *permittens*, quæ dictat, hunc vel illum actum posse poni vel omitti citra culpam. Alia *consulens*, quæ dictat, aliquid esse omittendum vel agendum, non quidem ex obligatione, sed quia vel magis est conveniens morum honestati, gratius Deo, vel utilius animæ saluti.

4. Rx. 3. Conscientia ratione objecti materialis alia est *recta* sive *vera*, quæ dictat, hoc esse licitum vel præceptum, quod revera tale est, vel dictat, hoc esse illicitum & prohibitum, quod vere est illicitum & prohibitum. Alia *erronea* sive *falsa*, quæ dictat, aliquid esse licitum vel præceptum, quod tamen in se est illicitum, nec præceptum, vel econtra, quæ dictat, aliquid esse illicitum & prohibitum, quod tamen est licitum vel præceptum.

5. *Adverte cum Laymann* L. 1. Tract. 1. C. 3. N. 1. Potest Conscientia speculativa esse recta, practica vero erronea, quando nimirum principium verum hic & nunc male applicatur, v. g. Christianus die festo debet audire Sacrum: ergo etiam Petrus ægrotus tenetur hoc festo audire Sacrum. Quando vero principia speculativo-practica secundum omnes circumstantias recte applicantur, emergit conscientia simpliciter recta.

6. Rx. 4. Conscientia *erronea* iterum duplex est, alia *vincibilis*, cujus error adhibita morali diligentia vitari; ideoque illa deponi potuit, si etiam debuit, simul *culpabilis* est; quia voluntarius est error. Alia *invincibilis*, cujus error morali etiam diligentia adhibita vitari, eaque deponi non potuit, si nec debuit, *inculpabilis* est, quia error non voluntarius

tarius est. *Moralis diligentia* illa censetur, quam homines prudentes in re alicujus momenti communiter adhibere solent. *La Croix* Lib. 1. N. 5. etiam conscientiam rectam & erroneam subdividit in physice & ethice, vel moraliter talem. *Physice recta* est, quæ enunciat de objecto, sicut a parte rei est. *Physice erronea*, quæ aliter enunciat de objecto, quam a parte rei est. *Ethice recta*, quæ est conformis appetitui recte ordinato, hoc est, parato ad implendam Dei legem, econtra *ethice erronea* est difformis appetitui bene ordinato. Hinc conscientia physice recta potest esse ethice erronea, v. g. si Petrus adolescens de homine, qui tanquam Pater toti familiæ hucusque præfuit, temere dicat: Hic homo non est Pater meus: ergo nec a me amore filiali honorandus. Hæc conscientia, ex supposito, quod vere ille homo non sit Pater Petri, est physice recta, non tamen ethice, quia est difformis appetitui recto, vi cujus quilibet tenetur velle honorare eum, de quo prudenter dubitare non potest, quin sit Pater suus, etiamsi forte Pater non sit: adeoque secundum hanc conscientiam operans peccat. Econtra si de eodem homine dicat: Hic homo est Pater meus, ideoque honorandus, habebit conscientiam ethice, non physice rectam. Idem exemplum est de adoratione hostiæ forte non consecratæ.

7. Rx. 5. Conscientia, in ordine ad motivum ponendi vel omittendi actum, alia est *certa*, alia *probabilis*, alia *dubia*, alia *perplexa*, alia *scrupulosa*; de quibus infra. Ob defectum judicii practici dubia & scrupulosa non merentur nomen conscientiæ propriæ dictæ.

8. Denique ratione subjecti conscientia alia dicitur *tenera*, quæ solicite, prudenter tamen curat vitare peccata, etiam levia. Alia *laxa*, quæ neglectis minoribus, solum curat vitare gravia. Alia *pharisaica*, quæ magna parvi, & parva magni æstimat, secundum illud Matth. c. 23. v. 24. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes*. Alia *cauteriata*, per quam operans ob depravatum vel induratum animum non curat instinctus & motus honestos, de qua 1. ad Tim. v. 2.: *Et cauteriatam habentium suam conscientiam*.

§. II.

Principia practica de Conscientia recta & erronea.

9. Principium I. *Conscientiam rectam præcipientem & prohibentem semper tenemur sequi, ita ut quis peccet, si id omittat, quod conscientia recta dictat, sub præcepto esse agendum, vel agat illud, quod dictat, esse prohibitum*. Ita *Laimann* L. 1. C. 4. cum *communi*. Prob. 1. ex illo ad Rom. c. 14. v. ult.; *Omne autem, quod non est ex fide* (hoc est, quod non fit secundum,

dum, sed contra dictamen conscientiæ, ut ait S. Ambros.) *peccatum est*. Confirmatur ex cap. 13. de restit. spoliat. ubi Innocentius III. ait: *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*. Prob. 2. ratione S. Thomæ 1. 2. q. 19. art. 3. & 4. Voluntas peccat, quando non sequitur in operando regulam proximam actionum humanarum; atqui conscientia recta est regula proxima actionum humanarum; ergo. *Confirmatur*. Per conscientiam præsertim rectam intimatur nobis lex æterna Dei, juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Ergo sicut tenemur in operando sequi legem Dei; ita etiam tenemur sequi conscientiam rectam legi Dei plane conformem. *Dixi supra: Conscientiam præcipientem vel prohibentem tenemur sequi*; per se enim patet, quod conscientia *consulens* tantum suadeat vel dissuadeat: ergo non obligat ad sui sequelam.

10. Principium II. *Conscientia invincibiliter erronea dictans, aliquid faciendum esse tanquam præceptum, aut omittendum tanquam prohibitum, etsi revera prohibitum non sit, nec præceptum, pariter nos obligat tum negative* (*ne operemur contra eam, quamdiu eam non deponimus*) *tum positive* (hoc est, ut juxta eam operemur.) *De Castro Palao* Tract. 1. Disp. 1. puncto 2. cum *Vasquez* hanc sententiam ait esse certam, ita ut contraria sine temeritate & periculo erroris non possit affirmari. *Prob.* 1. Rom. c. 14. v. 14. ait Apostolus: *Scio & confido in Domino JESU, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est*, hic agitur de cibis in V. L. prohibitis, qui vocabantur communes: hinc sensus est: Licet Christus nullum cibum prohibuerit, respectu tamen illius, qui judicat, aliquem cibum prohibitum esse, cibus se habet, ac si vere prohibitus esset, & vi hujus fidei sive dictaminis debet ab eo abstinere, alias peccat: *Nam omne, quod non est ex fide peccatum est*, ibidem v. ult. *Prob.* 2. Habens conscientiam talem bona fide judicat, existere legem Dei præcipientem, v. g. mendacium ad avertendum ab alio malum; ergo qui operatur contra hoc dictamen suum, contemnit Deum Legislatorem, æque ac si lex ista vere existeret; & e contrario si agat conformiter huic dictamini, reveretur authoritatem Dei. *Prob.* 3. Lex Dei non applicatur nobis per se ipsam immediate, sed per dictamen rationis, adeoque hoc dictamen est immediata regula actionum humanarum: ergo si voluntas deflectat ab hoc dictamine, deflectit a sua regula: ergo hoc ipso non est recta. *Confirmatur*. Voluntas non fertur in objectum, ut est a parte rei, sed ut proponitur ab intellectu: ergo si proponatur hoc vel illud ut præceptum, voluntas debet illud eligere; si ut prohibitum, debet illud fugere; alias hoc ipso vellet facere malum, eligendo id, quod ab intellectu bona fide proponitur ut

pro-

prohibitum, vel omittendo, quod proponitur ut præceptum; atqui velle facere malum, hoc ipso est malum: ergo.

11. Principium III. *Conscientia vincibiliter erronea non obligat, nec tamen licet eam sequi, sed tenemur prius inquirere in errorem, & sic eam deponere*; 2. *quamdiu autem non deponitur, non licet contra eam agere. Ratio primi est*, quia agens juxta conscientiam erroneam, quam posset, sed non vult deponere, voluntarie errat: ergo actio vel omissio, quam contra præceptum ex errore indirecte voluntario admittit, ei imputatur ad culpam. *Confirmatur* hoc & præcedens principium ex *S. Thoma*, qui 1. 2. q. 19. a. 6. in ☉ ait: *Ignorantia quandoque causat involuntarium, quandoque autem non: & quia bonum & malum morale consistit in actu, in quantum est voluntarius, manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollit rationem boni & mali moralis; non autem illa, quæ involuntarium non causat; dictum etiam est supra*, scil. q. 6. a. 8., *quod ignorantia, quæ est aliquo modo volita sive directe, sive indirecte, non causat involuntarium, & dico ignorantiam directe voluntariam, in quam actus voluntatis fertur; indirecte autem propter negligentiam, ex eo, quod aliquis non vult illud scire, quod scire tenetur: si igitur ratio vel conscientia erret errore voluntario vel directe, vel propter negligentiam, quia est error circa id, quod quis scire tenetur, tunc talis error rationis vel conscientiæ non excusat, quin voluntas concordans conscientiæ sic erranti sit mala. Ratio secundi* est ex illo communi, quod nunquam liceat agere contra conscientiam, quia sic agens committeret id, quod judicaret esse prohibitum; vel omitteret id quod judicaret esse præceptum. Nec homo in tali casu constitutus, etsi futurus sit perplexus, & ex hypothesi necessario peccaturus, necessitate consequente, eoquod stante conscientia vincibiliter erronea non possit effugere peccatum, absolute tamen & simpliciter non peccabit necessario, quia talem conscientiam nec sequi debet, nec contra eam facere, sed potest & debet eam deponere cum sit error vincibilis & culpabilis, & tunc operari.

12. Principium IV. *Conscientia consequens nec potest actionem præteritam reddere bonam, nec malam*; quia non est regula respectu illius; actio enim præterita non amplius potest dirigi, nunc autem talis est coram Deo, qualis tunc fuit conscientia, quando actio fuit posita. Unde notandum, peccata olim in juventute, aut alias commissa exponenda esse non secundum judicium, quod quis nunc de illis habet, sed secundum illud, quod tunc habuit, quando peccavit; attendendum tamen, an conscientia erronea, in qua quis peccavit, vincibilis, an invincibilis fuerit. Attendi etiam eadem conscien-

tia

tia consequens utiliter potest in ordine ad dirigendos actus futuros; neque inutiliter quærunt pœnitentes, quomodo peccaverint, ut nimirum sciant, quid imposterum fugere debeant, an forte scandalum tollendum. Inutiliter autem sæpius quærunt anxii ex libris, & Confessariis, quodnam tunc habuerint dictamen, quando operati sunt; hoc enim Confessarius scire nequit, sed ipse pœnitens se debet prudenter, non nimis anxie, examinare. Ita *La Corix*, Lib. 1. N. 44. Plura de scrupulosis infra.

§. III.

Resolutio Casuum de Conscientia recta & erronea.

Casus I.

Aaron opifex die Dominica aliquot horis laborat contra conscientiam dictantem, hoc esse peccatum, quin tamen cogitet, an sit grave vel leve.

13. *Quær.* I. Quomodo peccet agens contra conscientiam? Rx. cum *Laymann* L. 1. C. 4., *Taberna* Tract. 2. C. 2. q. 2. peccat mortaliter vel venialiter, & in ea specie peccati, prout conscientia dictaverit, peccatum esse grave vel leve, contra hanc vel illam virtutem, v. g. putans esse jejunium, quando non est, peccat contra temperantiam, si non jejunet. Item qui arbitratur, ex lege misericordiæ se graviter obligari ad mentiendum ad utilitatem proximi, peccat graviter contra misericordiam non mentiendo. *Ratio* est, quia actus voluntatis specificatur ab objectis suis, non prout sunt in se, sed prout proponuntur ab intellectu, & prout voluntas in illa tendit: ergo si objectum ex se malum invincibiliter proponatur ut bonum, specificabit volitionem sui ut bonam, & econtra ut graviter malam, si ita proponatur ab intellectu.

14. *Q.* II. Quomodo peccet Aaron? Rx. cum *Burghaber* Cent. 1. Casu 20. & aliis ibidem cit. Ex supposito, quod abstrahat plane a malitia mortali vel veniali, peccat venialiter. *Ratio* est 1. Quia ad peccandum mortaliter requiritur cognitio prohibitionis, & malitiæ gravis, aut obligationis gravis ulterius inquirendi: atqui hanc cognitionem non habet Aaron: ergo. 2. Quia nimis durum videtur, hominem, qui cum tali cognitione abstractiva leve mendacium committit, reum judicare pœnæ æternæ. 3. Quia sic operans præsumitur se virtualiter determinare ad levius peccatum. Contrarium tenent *De Castro*, *Palao*, *Azor* &c. *Dixi*, Aaronem venialiter peccare, quia ad hoc sufficit cognoscere malitiam quamcumque. *NB.* Hæc mitior sententia videtur esse certa in iis, qui ordinarie a peccatis gravioribus abhorrent.

R. 2. cum *Taberna* & *Janſen*. Si vero Aaron ita eſſet comparatus animo, ut velit laborare, ſive ſit mortale ſive veniale, peccaret graviter; ſimiliter ſi ſtudio negligat occaſionem inquirendi, an ſit mortale vel veniale, ne teneatur abſtinere a labore. *Ratio* eſt; quia ſic periculo peccati mortalis ſe libere exponeret, imo re ipſa amplecteretur ſaltem indeterminate malitiam mortalem, quam ſufficienter agnoſceret.

15. *Quær.* III. Quid Confeſſario obſervandum ſit circa ejuſmodi pœnitentes, quales ſolet eſſe rudes, qui ſe accuſant de imprecationibus, contumeliis, pravis congitationibus &c. quin cogitent de malitia gravi vel levi? R. cum *La Croix* & *Janſen*. Cum in praxi raro conjuncta eſſe videatur plena inadvertentia ad omnem malitiam, quamvis reflexa & ſignata illius cognitio ſæpe abſit, quærat Confeſſarius 1. an non ſaltem confuſe adverterit pœnitens materiæ gravitatem vel levitatem. 2. An voluntas ita ſit conſtituta, ut ordinarie tale objectum fortiter refugiat, & tum ſignum eſſe poterit, quod apprehenderit malitiam gravem; ſecus, ſi tantum leviter. 3. Quærat, an non ſaltem in confuſo ſuſpicatus fuerit, ſubeſſe periculum peccati gravioris, quo caſu graviter peccaſſe cenſendus eſt. Alias regulas ipſe ſtatus pœnitentis, & prudentia Confeſſarii pro circumſtantiis præſentibus facile ſuggerent ad rectum judicium formandum.

Casus II.

Agar *ancilla ruſtici confitetur*: 1. *Decies omiſi preces Confraternitatis ex negligentia* (*non addendo, quod judicaverit, ſingulas omiſſiones eſſe graviter peccaminoſas.*) 2. *Ter diebus Dominicis non audiendo Sacrum graviter deliqui, debeham autem domum cuſtodire, & cibos coquere.* 3. *Semel neglexi Sacrum, ideoque graviter peccavi, ſed eram eo tempore periculoſiſſime decumbens, imo jam deſtituta omnibus ſenſibus.* 4. *Sub precibus ſæpiſſime habui incaſtas & blaſphemas cogitationes, ita ut numerum exprimere nequeam. Blaſphemis cogitationibus dum conor reſiſtere, reſiſtentia mihi non videtur ſeria; hinc ſemper anxia ſum. Confeſſarius diſſimulans errores, pœnitentiam injungit, & pœnitentem abſolvit.*

16. *Quær.* I. An quoad primum Agar peccaverit mortaliter, item an recte fuerit confeſſa? R. ad 1. Ex conſcientia erronea peccavit graviter, ex dictis N. 10. & 13. R. ad 2. Non ſatisfecit ſimpliciter ita confitendo, ſed debuiſſet addere, ſe apprehendiſſe in ſingulis omiſſionibus malitiam gravem; alias Confeſſarius non potuit venire in notitiam peccatorum gravium, quorum pœnitens rea fuit ex conſcientia erronea.

17. *Quær.* II. An quoad ſecundum peccaverit graviter? R. affirm. cum *Dicaſtillo* de juram. D. 2. N. 234. *Ratio* eſt, quia contra conſcientiam dictantem omiſit Sacrum, quod *abſolute* potuit

potuit audire, & ad quod audiendum se etiam, stante justâ excusatione, ex conscientia erronea obligatam judicabat. Vide *Bonacin.* Disp. de peccatis Q. 4. p. 6. n. 24. & 25.

18. *Quær.* III. An quoad tertium peccaverit graviter? R. cum *Laymann* L. 1. C. 4. *negative*; quia, ut aliquis peccet agendo contra conscientiam, necessarium est, ut actio vel omissio sit libera; atqui omissio Sacri in nostro casu non erat libera, quia non erat in potestate periculosissime decumbentis ancillæ audire Sacrum: ergo. Idem est judicium de incarceratis, qui non peccant omittendo Sacrum, quantumcunque putent, se ad illud audiendum teneri. Si *quæras*: Quid ergo deberet facere omittens Sacrum ex conscientia erronea, quod absolute non posset audire? R. Debet conscientiam deponere, formato judicio facile obvio; absolute non possum audire; ergo nec pecco omittendo.

19. *Quær.* IV. Quid de cogitationibus incastis sentiendum in dato casu? R. Ex supposito, quod nec voluntarie iis inhæserit Agar, nec delectata fuerit, multo minus consensum præbuerit, non peccavit, etsi erronee judicarit, se peccare; quia non est in potestate hominis, facere, ut plane non incidant ejusmodi cogitationes, adeoque non sunt liberæ.

20. *Quær.* V. An per blasphemas cogitationes videatur Agar peccasse? R. cum *Burghaber* Cent. 1. Casu 47. *negative*; quia potius Agar ex nimia intensione, & copia phantasmatum, quæ nimis importune se ingerunt, & forte ex horrore peccati simul ita perturbatur, ut discernere nequeat, an serio restiterit. Neque in tam anxio conflictu libertas subsistere videtur.

21. *Quær.* VI. Quid Confessarius debeat agere cum iis, qui laborant conscientia erronea? R. 1. *Per se* loquedo Confessarius tenetur monere pœnitentem, errore etiam invincibili laborantem, quia ut Medicus spiritualis debet providere, ne pœnitens etiam materialiter peccet. *Per accidens* tamen errorem invincibilem prudenter dissimulat, quando ex admonitione non speratur fructus, aut obstat grave scandalum, vel imminet gravi periculum, ne pœnitens, qui hucusque peccavit tantum materialiter, incipiat peccare formaliter, neglecta admonitione. *Ratio* est, quia inter duo mala, quorum utrumque non potest evitari, minus est eligendum. Ex his R. 2. cum *Taberna* Tom. 2. C. 2. q. 6. *Sporer* & aliis, si Confessarius advertat, conscientiam erroneam pœnitentis esse graviter culpabilem, debet illum monere, ut illam deponat, quia sine hujus culpæ correctione confessio esset nulla ex defectu dispositionis in pœnitente.

2. Debet monere, si pœnitens ex quocunque errore aliquid crederet esse mortale peccatum, quod vel nullum, vel tantum leve in se est, vel e contrario; quia Confessarii est, impedire peccatum, & præservare pœnitentem a peccato,

quantum potest: atqui in tali casu potest id præstare per solam admonitionem & instructionem: ergo. Hinc debuisset moneri Agar, quod omissio precum illarum non sit peccaminosa, nec omissio Sacri ob justam causam.

3. Quando ex dissimulatione sequeretur grave damnum vel pœnitentis, vel alterius, vel communitatis, aut nullitas Sacramenti cujuscumque, v. g. si pœnitens putat, hoc vel illud non esse necessarium ad salutem, quod tamen necessarium est; aut dolorem non esse necessariam partem Pœnitentiæ: vel si ob sola venialia doleret, quod pœnas inferni promeritus sit; denique si ipse confitens de gravi errore dubitet, & interroget, in his casibus non licet dissimulare errorem etiam invincibilem, sed Confessarius debet pœnitentem vel instruere, vel sine absolutione dimittere, ac monere, ut instructus redeat. Vide propositionem 64. ab Innocentio XI. damnatam.

4. Nec dissimulandum, si confitens cum impedimento dirimente etiam invincibiliter ignorato matrimonium inire cogitet, aut eo jam inito impedimentum fieret publicum. De hoc plura in P. 2. de Matrim.

Casus III.

Absolon Studiosus inter condiscipulos scandalosa loquitur, non putans esse scandalosa, sed honeste jocosa. Inter loquendum advertit, quod scandalum præbeat: hinc in proxima confessione se accusat de gravi scandalo dato.

22. *Q.* I. An graviter peccaverit, & bene confessus fuerit? R. Si, dum advertit scandalum, statim cessavit ab actu, non peccavit, adeoque male confitetur, quia advertentia sequens actum non potest illum reddere malum; si vero Absolon, quam primum advertit peccatum scandali, perrexit in sermone scandaloso, utique peccavit, & bene confitetur. Ita *P. Schezer in suo Examine* §. 3. *de Conscientia* in simili casu de detractore.

23. *Quær.* II. Quid sit agendum, si quis in ipso actu, aut actui proximus vel postea dubitet, vel timeat, ne peccet, aut peccarit? R. Si actum non possit differre, aut omittere, debet sibi, quantum potest, facere dictamen practicum, quod licite agat, sicut perplexus positus in necessitate agendi: si post actum prudenter dubitet, aut certo deprehendat, se male egisse, de errore commisso, si vincibilis fuerit, doleat, & si error gravis fuerit, eundem confiteatur, damnum inde forte exortum reparare studeat, & posthac cautior sit.

Reliqua hic observanda.

24. I. Juxta P. *La Croix* operans ex conscientia invincibiliter erronea duo dictamina habet. 1. Vocat directum, v. g.

v. g. quando mendacio possum impedire damnum proximi, obligor mentiri; atqui nunc hoc possum: ergo obligor mentiri. 2. Vocat reflexum, v. g. quando bona fide judico, me obligari ad mendacium, pecco, si non mentior; atqui nunc ad impediendum damnum bona fide judico, me obligari ad mendacium; ergo pecco, si non mentior.

25. II. Conscientia erronea licet non derivetur a lege Dei primaria antecedente, & per se obligante, oritur tamen a lege Dei secundaria, consequente, & per accidens obligante tum, quando lex Dei primaria invincibiliter ignoratur. Voluntas *primaria* est illa, qua Deus nos obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum ex supposito, quod habeamus veram legis cognitionem. *Secundaria* autem est, per quam Deus nobis aliquid præcipit vel permittit ex suppositione ignorantiæ invincibilis. Nimirum sicut S. Thomas & Theologi communiter dividunt voluntatem Dei in antecedentem, & consequentem, docentque, quod per antecedentem velit omnes homines salvos fieri, per consequentem autem idem non velit; ita legem vel voluntatem Dei dividimus, & dicimus, quod Deus per voluntatem primariam sæpe aliquid prohibeat, quod per secundariam permittit, vel præcipit. Sic fateri debent omnes, qui invincibilem legis æternæ ignorantiam dari posse, & operantem a peccato formali, stante hac ignorantia, excusari concedunt. Vide propositionem secundam damnatam ab Alexandro VIII. *Ratio* damnationis contra Jansenii sectatores est ex *S. August.* L. de nat. & grat. C. 67. quia *non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quando negligis quærere, quod ignoras*: item ex S. *Thoma* P. 2. q. 76. a. 3. quia *ignorantia invincibilis* cau*sat involuntarium*, *Confirm.* ex eo, quod alias ille, qui invincibiliter putat, hic & nunc mentiendum esse ad salvandam vitam innocentis, necessario peccaret tam me ntiendo, quam non mentiendo.

26. III. Ut Confessarius agnoscat, an pœnitens laboret conscientia erronea vincibili, aut invincibili, interroget 1., an aliquam in hoc vel illo actu indecentiam adverterit? 2. An suspicatus fuerit, subesse peccatum, vel peccandi periculum? 3. An dictaverit conscientia, saltem interrogandum esse Confessarium? 4. An occasionem interrogandi ex verecundia, vel ex metu neglexerit, aut forte ideo, ne posthac teneretur abstinere ab hoc vel illo actu? Si pœnitens ad unum vel alterum ex his (omnia enim omnibus proponenda necessario non sunt) respondeat affirmative, censeri potest, quod fuerit in culpabili errore, secus, si neget. Vide dicta in Casu I.

27. IV. Quando tentati variis cogitationibus pravis, & quasi assuefacti se excusant, quod nesciverint, peccatum committi iis inhærendo; quærat Confessarius, an sine ullo remorsu conscientiæ

iis adhæserint? & advertat, hoc duplicem habere sensum; vel enim *sine remorsu*, significat, quod nullo modo cognoverint, ejusmodi cogitationes esse peccaminosas, hoc sensu non peccassent inhærendo, ex supposito invincibilis ignorantiæ: vel tantum significat, quod non habuerint sensibilem, & actualem anxietatem iis inhærendo, soleant tamen habere judicium tenue, quale habent perfecti artifices imperceptibiliter se reflectendo ad regulas artis, hoc sensu probabile indicium esset, quod error vincibilis fuerit, culpabilis secundum qualitatem materiæ & finis.

CAPUT II.

De Conscientia dubia & perplexa.

§. I.

Prævia Quæstiones ad præsentem materiam.

QUÆR. I. *Quid & quotuplex sit Conscientia dubia?*

28. Rs. 1. *Dubium est suspensio judicii neutri parti assentientis*, vel ut alii: *est suspensio intellectus circa utramque partem contradictionis*. Hinc conscientia dubia est, quæ de actionis honestate hæret suspensa, ideoque proprie non est conscientia, quia stante dubio intellectus nec dictat actionem esse licitam, nec illicitam.

29. Rs. 2. Dubium *primo* aliud est *negativum*, quando intellectus manet suspensus ex defectu sufficientis motivi ad judicandum. Quando autem nullum omnino motivum occurrit, potius ignorantia, quam dubium vocatur a *Bambenst.* T. 1. D. 3. a. 1. §. 1. n. 5. Aliud est *positivum*, quando intellectus est ideo suspensus, quia pro utraque parte habet sufficientia motiva, & hoc merito vocatur dubium prudens.

30. *Secundo* aliud est *dubium juris*, quando dubitatur de existentia legis, vel ejus obligatione, aut legitima facultate agendi, vel de legitimo actus valore. Ita *Laimann* de conscient. C. 5. n. 2. Juxta alios dubium juris est, quod versatur circa licitum, vel illicitum, aut etiam circa validum aut invalidum operis. Aliud *dubium facti*, quando ambigitur, an aliquid factum sit, nec ne, an hoc modo, an alio, v. g. utrum votum sit editum, utrum ætas septennii sit completa. *Laymann* ibid.

31. *Tertio* dubium dividitur in *speculativum & practicum*. *Pure speculativum* est, quod versatur circa rem secundum se tantum consideratam, & omnibus exutam circumstantiis, abstrahendo de operatione & praxi, v. g. si dubitetur, an valeat Baptismus collatus in nomine Christi? vel in quo essentia Sacramenti consistat? *Practicum* est, quod versatur circa rem exercendam hic & nunc, adeoque ut affectam omnibus circumstan-

stantiis, quando dubitatur de aliqua operatione humana, v. g. an nunc licitum sit mentiri. *NB.* Si dubitetur de aliqua operatione generatim præscindendo a circumstantiis particularibus, vocatur *dubium generale, speculative & remote practicum*, ex communi usu etiam simpliciter speculativum, v. g. si dubites, an liceat die festo pingere, Sacrum omittere? Quando autem dubitatur de aliqua actione, vel omissione in particulari in his vel illis circumstantiis exercenda, vocatur *dubium particulare, proxime sive practice practicum*; ut si dubites, an tibi liceat hoc festo propter urgentem necessitatem laborare.

Denique sicut ignorantia & error, ita etiam dubium potest esse *vincibile*, si vinci ac deponi possit, aut *invincibile*, si non possit.

Q. II. *Quid sit Conscientia perplexa?*

32. R. Est dictamen, quo intellectus judicat, committi peccatum, quæcumque pars opposita eligatur, quarum tamen una necessario eligenda est. v. g. putas te peccare, si hoc die festo, quo inservis ægroto, negligas Sacrum; simul judicas, te peccare, si audiendo Missam negligas ægrotum.

§. II.

Principia practica de Conscientia dubia.

33. Principium I. *Nunquam licet operari cum conscientia practice dubia, ideoque peccat, qui actu dubitat, an hæc actio vel omissio sit licita, & tamen stante adhuc dubio agit, vel omittit; & quidem peccato ejusdem rationis, ac speciei, cujus est peccatum, de quo dubitat.* Ita *S. Thom.* Quolib. 8. a. 13. *Th. Sanch.* L. 1. de Præcept. C. 10. n. 6.; *Laymann* L. 1. C. 5. §. 1. *cum communi. Prob. prima Pars.* Juxta Apost. ad Rom. c. 14. v. ult. *Omne, quod non est ex fide* (h. e., quod non fit cum determinato judicio intellectus, licitum esse, quod hic & nunc agitur, vel omittitur) *peccatum est.* Atqui actio vel omissio, quæ exercetur cum conscientia practice dubia, non fit ex determinato judicio: ergo. *Prob. II. utraque Pars:* Quisquis sciens ac volens se exponit periculo peccati formalis, peccat formaliter, & quidem peccato ejusdem rationis, ac speciei, cujus periculo se exponit, juxta illud *Ecclesiast. 3. v. 27. Qui amat periculum, in illo peribit;* atqui operans cum conscientia dubia amat periculum, & quidem proximum peccati formalis, huic libere se exponendo, & eligendo actionem, de qua æque credit, quod sit illicita, ac licita: ergo. *Confirm.* Sic operans implicite & interpretative dicit: Volo hoc agere, sive licitum, sive illicitum sit; quod jam est contra regulas prudentiæ, & virtualis contemptus divinæ legis. Pariter, qui dubitat, an hoc agere sit mortale, & tamen agit; ita compa-

ratus est animo, ut dicat: Etsi hoc agere sit mortale peccatum, tamen agam; ergo hoc ipso graviter peccat. Qui vero de veniali tantum dubitat, delinquit venialiter; qui in genere dubitat, an peccet, nullo modo apprehendendo, an graviter, vel leviter, probabilius tantum peccat venialiter. *Vide* N. 14. & qui dubitat de furto sacrilego, committit furando sacrilegium.

34. Principium II. *Cum conscientia speculative dubia licet operari, dummodo operans practice judicet prudenter, se hic & nunc licite operari*. Ita Scotus in 4. dist. 30. q. 2., & alii Theologi communiter. *Th. Sanch.* l. c. n. 7. ad talem casum duo præsupponit: 1. ut sufficiens diligentia ad vincendum dubium speculativum adhibita sit, ne culpabilis sit ignorantia; 2. ut subsit rationabilis causa variandi practice dubium speculativum, quod deponi nequit. *Ratio principii* est: quia sæpe, adhibita quacunque diligentia, non potest haberi judicium speculativum certum, & tamen practice, hoc est, in particulari potest formari prudens judicium, hoc vel illud in his circumstantiis esse licitum: ergo. *Antecedens* declaratur a *Babenst.* T. 1. Disp. 3. a. 1. §. 2. num. 11. David 1. Reg. 21. prudenter judicavit, propter extremam necessitatem famis licitum esse, comedere panes propositionis, quamvis judicio speculativo sciverit, id Laico esse illicitum. Judæi 1. Machab. 2. prudenter judicarunt, licitum sibi esse, propter instans periculum excidii Sabbato inire prælium, quamvis cognoverint, præliari die Sabbati in Lege esse prohibitum: ergo si cum judicio speculativo de inhonestate actionis stare potest judicium practicum prudens de illius honestate, multo magis stare poterit cum dubio speculativo. *Confirm. I.* ex *S. Aug.* L. 22. contra Faustum c. 75. Subditus licet speculative nesciat, an bellum sui Principis sit justum, in particulari tamen judicare potest prudenter, licitum sibi esse sub Principe suo militare. *Confirm. II.* ex cap. *Dominus*, de secundis nuptiis. Mulier, quæ bona fide contraxit matrimonium; si postea superveniat dubium de valore matrimonii, potest in particulari prudenter judicare, hic & nunc licitum sibi esse, debitum reddere. Ergo stante dubio speculativo, fieri potest dictamen practicum prudens de honestate actionis. Ergo & ipsa actio est honesta.

Quær. I. Ex quibus potissimum regulis possit deponi dubium juris?

35. Bk. Regulæ universales a *P. Stoz.* L. 1. P. 5., *P. Elbel*, aliisque collectæ sunt: *Prima Reg. Sequendo vere probabilem sententiam*, ut dicetur §. seq. *Secunda Reg. Melior est in dubio conditio possidentis*, hoc est si rem aliquam *bona fide* possideas ut tuam, postea vero incipias dubitare, an vere tua sit, an aliena, & post diligentem inquisitionem non possis deprehen-

hendere veritatem, vi hujus principii recte te resolvis, quod stante dubio speculativo possis ea re uti tanquam tua. Desumitur hoc principium ex *reg. 65. juris in 6.*: *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis*. Valet autem hæc regula non tantum in materia justitiæ, ut affirmat *Communis*, sed etiam aliarum virtutum, v. g. temperantiæ, obedientiæ, religionis &c. *per se loquendo, & secluſa lege positiva*, quæ expresse aliud statuat in casu particulari. Ita *Th. Sanch.* L. 1. Decal. C. 10. n. 11., *Suar.* 1. 2. T. 3. D. 12. S. 5. n. 8., *Terillus* hic q. 23., *Stoz.* L. 1. P. 1. *Sporer* n. 75. hanc sententiam nunc receptam vocat contra Azor, Elizalde, Camargo, & alios. *Ratio* est: ideo in materia justitiæ melior est conditio possidentis, quia possessor præter jus dubium, quod habet æquale cum non possessore, simul habet titulum certum possessionis: atqui etiam in materiis aliarum virtutum præter dubiam obligationem habetur certus titulus possessionis pro libertate: ergo etiam in materia aliarum virtutum stante dubio v. g. de existentia legis, voti &c. melior est conditio possidentis, nempe libertatis. *Confirm.* Ideo juxta ipsos adversarios in dubio negativo (quando scilicet nulla ratio gravis affirmandi, vel negandi legis existentiam circa materias aliarum virtutum occurrit) melior est conditio libertatis, tanquam possidentis, quia lex negative dubia non est sufficienter intimata dubitanti, & quia obligatio sequendi tutiorem in ejusmodi dubiis est valde difficilis, occasio scrupulorum, & peccatorum formalium: atqui hæc omnia probant pariter pro dubio positivo: ergo.

36. *Tertia Reg.* Ad deponendum dubium juris etiam servit *authoritas doctorum Virorum: exemplum Bonorum: tolerantia Legislatoris: consuetudo universalis Ecclesiæ, & praxis Ecclesiasticorum tribunalium.*

Quær. II. Ex quibus potissimum regulis possit deponi dubium facti?

37. R. *Prima* est: *In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet*. Desumitur ex L. *in bello, ff. de captivis & postliminio reversis.*

38. *Secunda*: *Quando autem aliquid factum est, præsumptio est pro valore actus*. Intellige: si *factum principale* sit certum, & dubitetur tantum de accessorio, quod faciendum erat: tale accessorium præsumitur, v. g. audivisti Missam, dubitas, an attente, præsumitur attentio. Desumitur ex L. *in contrahenda, ff. de reg. jur.*: *Factum in dubio præsumitur, si illud de jure faciendum erat*, vel communiter fieri solet, aut ex natura rei inesse videatur. *Laymann* de conscient. c. 5. num. 30., ubi addit, quod factum etiam præsumatur, si hæc præsumptio sit favorabilis ei, qui factum affirmat; magis enim est, ut existimemus, munus suum recte obiisse, atque in eo, quod

egit,

egit, nihil necessarium omisisse. Delictum autem & defectus non præsumitur, sed demonstrari debet. Exempla occurrent in resol. cas.

Q. III. *Unde colligendum sit, quænam pars sit in possessione?*

39. R. ex principiis *Suarezii* de LL. L. 6. C. 8. *Bardi* Discept. 5. C. 5., *Mezger* Tr. 5. D. 12. art. 3., & plurimorum RR. I. *In dubio juris* attendendum est, an illa pars, quæ potest inducere obligationem, & arctare libertatem, sit certa, vel prior ante exortum dubium; tum pro lege & obligatione stat possessio: v. g. dubitas post diligens examen de existentia legis, aut juramenti, vel de essentiali requisito ad legem, an sit promulgata; non obligaris lege, & juramento, quia tua libertas est in possessione: certum enim est, quod ante legem & juramentum fueris liber: certa autem libertas per legem aut juramentum dubium non tollitur.

Contra si dubites, an lex cesset, an consuetudo legitima sit abrogata, possessio est pro lege & consuetudine; hæ enim sunt certæ, & ante exortum dubium erant, cessatio autem incerta est, uti & abrogatio.

II. *In dubio facti* attendendum est, pro qua parte stet præsumptio juris, & fori externi; nam pro illa etiam stabit possessio. At *pro qua parte stat præsumptio?* R. Pro illa, quæ onus probandi in aliam rejicit. Vel iterum, ut supra, quæ est certa, & prior exorto dubio, vel saltem magis favorabilis dubitanti de facto, ut n. 38. ex *Laymann* dixi: v. g. post diligens examen dubitas, an juramento satisfeceris? possessio est pro juramento, hoc enim certum est, onus autem probandi, quod satisfeceris, tibi incumbit; adeoque manes obligatus, nec enim debito certo satisfit per solutionem incertam.

Principia practica de Conscientia perplexa.

40. 1. Dubius ex obligationibus & præceptis contrariis, sive perplexus de opere postea faciendo tenetur adhibere media, v. g. exquirere aliorum consilia, si possit, ad tollendam perplexitatem, priusquam tempus operis exequendi adveniat: quivis enim tenetur adhibere media evitandi illud, per quod putat Deum offendi.

2. Si non possit inquirere, vel post inquisitionem maneat perplexus, consideret (quantum tempus patitur) utrum ex duobus videatur minus malum, illudque eligat, & non peccabit; exercite enim tolletur perplexitas hoc dictamine practico: ex duobus malis minus eligendo non pecco.

3. Si utrumque videatur æque grave, non peccabit, quidquid egerit ob defectum libertatis. *Laymann* de Consc. Ca. 4. sub fin. *Henriquez* L. 12. C. 6. n. 7.

Addit *La Croix* hic n. 86., si perplexus sciat, unam partem esse peccatum, & dubitet, an altera sit peccatum; si utrum-

utrumque sit æquale, tenetur eligere id, de quo dubitat, quia, qui eligit tantum dubium, magis recedit a malitia, quam qui eligit certum peccatum.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

Abraham Neo-Catholicus se accusat: 1. *Dubitavi sæpius de reali præsentia Christi in Eucharistia, cogitando de doctrina Calvinistarum, & quærendo in Catechismo probationes hujus articuli fidei.* 2. *Festo S. Burchardi, specialis Patroni Franconiæ, videns multos properare ad templum, dubitavi, an non sit obligatio audiendi Missam: ulterius non inquisivi, sed omisi Sacrum, cogitans, tantum esse scrupulum.*

41. *Q.* I. An dubium Abrahami fuerit vere tale, & peccaminosum? *R.* Cogitando præcise, & inquirendo proprie non dubitavit, nec peccavit; dubium enim non est mera apprehensio partis oppositæ; alias, quisquis tentaretur in fide, dubitaret. Neque etiam inquisitio arguit dubium de se, alias Doctores conquirentes argumenta ad stabiliendam fidem, dubitarent. Dubium autem proprie tale superaddit talem animi dispositionem, qua dubitans explicite vel implicite putet, alteram partem esse incertam. Adeoque peccasset Abraham, si motiva veritati revelatæ opposita ita perpendisset, ut propter illa assensum fidei suspendisset, & saltem virtualiter judicasset, motiva credendi non esse majoris momenti, quam sint motiva contraria. Ita *La Croix* de Consc. num. 70.

42. *Q.* II. An Abraham recte deposuerit pro beneplacito suo dubium? *R. Negative;* quia contra dubium prudens per solum affectum & beneplacitum voluntatis sine rationabili motivo, nec ulterius inquirendo in veritatem, non potuit habere prudens dictamen, imo adhuc se exposuit periculo peccandi. *Ex principiis Tabernæ* T. 2. c. 2. q. 5. Aliud foret, si dubium sine ratione temere conceptum esset, tum potuisset sine nova ratione deponi, uti contingit in scrupulis veris. *Busemb.* de Consc. c. 2. Dub. 1.

43. *Q.* III. Quomodo debeat dubium practice deponi? *R.* Qui dubitat de obligatione aliquid præstandi, tenetur adhibere moralem diligentiam ad cognoscendam veritatem, & obligationem legis, alias operando peccabit ex ignorantia culpabili. Si per inquisitionem necdum possit deponere dubium speculativum, consultum quidem foret, & tutissimum, præstare illud, de cujus præstandi obligatione dubitat; vel omittere id, quod prohibitum esse sub dubio timet;

nihilominus poterit se practice resolvere in alteram partem contra dubium speculativum per prudens judicium reflexum, facile etiam rudibus obvium: v. g. dubito quidem an hodie sit obligatio audiendi Sacrum, sed quia mihi de hac obligatione satis non constat, nec possum experiri, an illa existat, ea non teneor, utpote quam invincibiliter ignoro; ideoque non pecco, hodie omittendo Sacrum. Ita AA. n. 34. cit. Si vero maneat dubium speculativum ex eo, quia vel non potest, vel non vult inquirere in veritatem, neque etiam possit aut nolit dictamen practicum dicto modo facere: tenetur operans eligere partem tutiorem. *Ratio* est: quia, si dubio non deposito eligeret id, quod est minus tutum, exponeret se periculo peccandi formaliter. Huc pertinet regula juris ex cap. ad audientiam, *in dubio tutior pars est eligenda.*

Casus II.

Adamus nocte præcedente Diem Cinerum cum suis domesticis animose adhuc carnes comedit, quamvis dubitet, annon jam esset hora duodecima, adeoque dies jejunii jam inceperit. Alias protraxit cœnam usque ad seram noctem; altera vero die volens accedere ad S. Communionem, dubitat, annon post horam duodecimam adhuc semel biberit? quærit igitur ex Confessario, an liceat sibi accedere ad sacram mensam?

44. *Q.* I. An Adamus peccaverit comedendo carnes, dubius de die jejunii jam inchoato? R. Si practice non deposuerit dubium, peccavit juxta dicta num. 33.; si vero post sufficientem inquisitionem, permanente dubio, practice se resolverit ex eo, quod sit in possessione suæ libertatis, dum habuerit jus certum comedendi carnes ante exortum dubium usque ad initium diei jejunii, quo jure non potuit privari per dubium definito tempore, non peccavit.

45. Ex eodem dictamine is, qui post sufficientem inquisitionem dubius est, an attigerit annum vigesimum primum, quo incipit obligatio jejunandi, prudenter se resolvit, quod non obligetur ad jejunium.

46. Econtra dubius, an compleverit annum vigesimum primum ætatis, tenetur abstinere a suscipiendis sacris ordinibus; quia lex Canonica, quæ ante completos *certos* annos prohibet ordinari, certa est, & in possessione; incertum vero, an completi sint anni requisiti: ergo.

47. Eodem modo qui dubitat ipsa die jejunii, an audita sit hora duodecima noctis: debet abstinere ab esu carnis, quia dies jejunii adhuc est in possessione; incertum vero, an finita sit cum die obligatio jejunii.

48. Pariter Senex dubius, an expleverit annum sexagesimum (ex suppositio, quod tum incipiat relaxatio jejunii) tenetur adhuc jejunare; quia obligatio jejunii usque ad hunc annum cæteris paribus certa est, incertum vero, an is attigerit

rit hunc annum, & consequenter etiam incertum, an finita sit obligatio jejunandi. Ita *Laymann* de Conscient. c. 5. §. 4., & cum eo plerique TT.

49. *Quær.* II. An Confessarius debuerit dissuadere S. Communionem? Rx. Præcise propter dubium non debuit dissuadere, quia impedimentum dubium Adamo non potest tollere jus certum: atqui impedimentum fuit dubium, jus vero ad S. Communionem accedendi certum: ergo. Idem de Sacerdote in simili casu dubio respondent *Laymann* l. c. *Dicastillo* Tom. 1. de Sacram. T. 4. num. 284., *Cardenas* in 1. Cris. Theol. T. 3. de Leg. D. 26. n. 87., quod etiam ex sola devotione sacrificare possit. *Ratio ulterior est*; quia lex Ecclesiastica præcipiens, ut Sacerdos celebret, vel alius communicet jejunus, non videtur tam arcte constringere velle conscientias maxime in dubio facti, quod aliunde non præsumitur. Idem est respondendum iis, qui dubitant, an non inter lavandum guttam aliquam deglutierint?

50. *Nec dicas cum Sanchez*, quod Sacerdos dubius propter reverentiam Sacramenti teneatur partem tutiorem eligere. Nam juxta dictamen practicum nulla est obligatio legis Ecclesiasticæ: ergo etiam nulla irreverentia. Aliud foret, si dubitaretur de aliquo, quod ad substantiam Sacramenti pertinet, & ab Ecclesiæ voluntate non dependet. Vide Propos. primam ab Innocentio XI. damnatam.

Dixi in resp. præcise propter dubium; quia ejusmodi bibuli, qui sæpius medias noctes consumunt bibendo, ex eo merito arcentur a S. Communione, quia mane ob turbatum caput minus dispositi sunt ad devote communicandum.

Casus III.

Almachius Sutor dubitat die jejunii, an propter labores suos ordinarios ab obligatione jejunii sit excusatus? consulit Cajum vicinum fabrum, qui respondet, quod labores quieti Sutorum & Sartorum non excusent ab obligatione jejunii: contrarium reponit adstans Sartor. Hinc Almachius dubius, ut ante, domum revertitur.

51. *Quær.* An Almachius, manente excusatione dubia, debuerit jejunare? Rx. Affirmative: excusatio enim incerta non tollit obligationem certam jam existentem ante exortum dubium. Vide dicta n. 35.

Casus IV.

Anna honesta Matrona, dum se ad confessionem præparat, peccati mortalis olim commissi recordatur, dubiaque hæret, an illud unquam fuerit confessa? 2. Dubitat, an in proxima confessione dolorem elicuerit?

52. *Quær.* I. An teneatur Anna peccatum grave olim commissum, de quo dubitat, adhuc confiteri? Rx. *Laymann*

de

de Consc. c. 5. n. 37. cum *Sanchez* L. 1. Moral. c. 10. n. 71. Ex suppositio, quod non sit merus scrupulus, neque etiam probabiliter possit judicare, quod illud confessa sit, adhuc tenetur confiteri; quia habetur certa conscientia peccati, certa etiam est lex confitendi, dubia autem confessio facta; ergo certa lex confitendi manet in possessione. *Bardi* p. 4. c. 11. §. 2.

53. *Quær.* II. An prudenter Anna possit præsumere, quod in proxima confessione elicuerit dolorem? R. cum *La Croix* hinc n. 90. Potest ita præsumere. Cum enim Confessio Sacramentalis tanquam actus principalis certo positus sit, judicare prudenter potest omnia essentialia ad confessionem fuisse posita. *Idem* n. 91. cum *Stoz* L. 1. n. 150. generaliter monet: quando omnia externa in confessione, oratione, promissione, & similibus posita sunt, actus interni in dubio recte præsumuntur, præsertim ex eo capite, quia in dubio standum est pro valore actus, nisi accedat fortior præsumptio in oppositum. Hinc præstat attendere in tali casu ad statum animæ, si enim homo alias ordinarie pro sua salute solicitus sit, & soleat debitam præparationem præmittere ad digne suspicienda Ss. Sacramenta; merito talis potest hic & nunc præsumere, quod omnia præstiterit. Secus, si quis perfunctorie tantum soleat ad Sacramenta se præparare, & sciat, quod templum vix ingressus ad confessionale properet, ut cito absolvatur, talis ex propria conscientia fortiorem habet præsumptionem in oppositum, & vix ex ratione prudenti poterit judicare, quod dolorem elicuerit. *De peccatis dubiis vide P. II. de Sacram. Pœnit.*

Casus V.

Alexius firmissime decrevit, quotidie recitare rosarium in honorem B. Virginis, postea dubitat, an fuerit votum, an propositum? 2. Idem promisit, se daturum singulis hebdomadis Lazaro florenum, postea facti pœnitens, dubitat, an habuerit animum se obligandi, an tantum fingendi misericordiam? 3. Pridem etiam vovit religionem; dubius autem est an habuerit sufficientem deliberationem, forte ex defectu usus rationis in tenera ætate, ideoque repetit votum; postea iterum dubitat, an voverit religionem strictiorem?

54. *Quær.* I. An Alexius dubius de voto recitandi rosarium obligetur ad illud recitandum? R. negative, quia factum principale non præsumitur, sed probari debet. Vide n. 37. & 38. Arguitur etiam ex L. *Quidquid* 39. ff. *de verb. obligat.* *Quidquid adstringendæ obligationis est, id nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est, ac fere secundum promissorem interpretamur: quia stipulatori liberum est, verba hæc concipere*, *Suarez* L. 4. de voto c. 5., *Laymann* de Consc. dub. c. 5. §. 4. n. 31., *Sporer* n. 84. vocat hanc sententiam communiorem,

tem, & in praxi tutam, contra *Azor*, *Cordubam*, & alios.

55. *Excipe* hic a regula communi de facto principali non præsumendo, sed probando dubium commissi homicidii, in quo dubitans habetur irregularis, ex *cap. Significasti l. 5. Decret. tit. 12. de homicid. voluat. & casu.*

56. Sed quid? Si dubius advertat, animum magis inclinari in eam partem, quod voverit? Respondent iidem quamdiu incertus est *post debitam inquisitionem*, non tenetur. Imo juxta *Sanchez* L. 1. in Decal. c. 10. n. 37. etsi rationes oppositæ videantur probabiliores, quamdiu tamen dubius habet rationes vere probabiles, quod non voverit, prævalet possessio certæ libertatis.

57. *Q.* II. An quoad secundum dubium censeatur ficte tantum promisisse? *R.* Ex supposito, quod constet de promissione facta, præsumendus est, serio promisisse; in dubio enim quivis potius præsumitur recte promisisse, quam nugatorie tantum. *Sporer.* l. c.

58. *Q.* III. Quid ad tertium dubium de sufficiente deliberatione ex defectu ætatis? Respondet *Sanchez* L. 4. in Decal. c. 1. n. 14. Si votum fuerit factum post completum septimum ætatis annum, præsumitur adfuisse sufficiens usus rationis; secus, si ante. Quando autem de hoc etiam dubitatur, an ante vel post septimum ætatis annum votum fuerit amissum, ibidem *Sanchez* ait, standum esse pro voto. *Sporer* tamen n. 87. sub fin. cum *Palao* & *Tambur.* probabile affirmat esse contrarium, quia, si dubitetur de ætate, & simul de sufficienti deliberatione, dubium est de aliquo constituente essentiam voti non facile præsumendo in tenera ætate. Aliud est in adultis, in quibus adest usus rationis, & communis præsumptio sufficientis deliberationis, cum semper præsumatur mens verbis concordare: ergo stante hac præsumptione communi pro valore voti, pro voto stat possessio, non pro libertate.

59. *Q.* IV. An vi ultimi voti teneatur ingredi religionem strictiorem? *R.* cum citatis AA. potest eligere minus strictam, quia in hoc dubio possessio stat pro libertate quoad electionem. *Spor.* n. 89.

60. Porro observa I. Si quis sit immemor verborum voti sui, & post adhibitam diligentiam adhuc dubius sit de quantitate vel qualitate rei promissæ, v. g. eleemosinæ, non tenetur ad majorem quantitatem, vel qualitatem præstantiorem, sed ad utilem, per quam absolute verificatur promissum. Ita teste *Wiestner* doctrina *communis*. *Vide c. ex parte 18. l. 3. Decret. tit. 39. de censibus*. *Excipe tamen*: nisi aliter ferat consuetudo; nam ex hac optime intelligi potest intentio voventis. Unde si quis voveret, Ecclesiæ dare calicem, non satisfaceret dando plumbeum vel ligneum; horum enim usus non est in Sacrificio Missæ.

61. II. Si quis sit memor verborum voti, promissio in du-

dubio intentionis dijudicanda est secundum communem eorum sensum. Addit *Laymann* cap. 3. de voto n. 3., qua verborum proprietate, vel communi acceptatione observata, neque materia vel repugnante strictam potius, quam amplam voti atque juramenti interpretationem in dubio fieri convenit. Ibique hanc doctrinam vocat communem. Hinc qui absolute dixit: Voveo castitatem, obligatur ad perpetuam; quiam (ut ait *Gobat*) hæc verba intelligi solent de perpetua. Qui dixit: Voveo castitatem, & religionem, censetur vovisse castitatem principaliter, & independenter a religione. Qui vero solam religionem expressisset in voto, & dubitat, an voluerit se etiam ad castitatem obligare, vel qui memor est suæ intentionis, quod ad castitatem voluerit se obstringere, dubitat autem, an dependenter, aut independenter a religione, non obligatur ad castitatem extra religionem; sola enim religio expresse promissa est, & qui se ad utramque æque principaliter vult obligare, solet utramque exprimere. *Sanchez* l. 4. op. mor. c. 13. & c. 16. n. 114. *Sporer* de consc. dub. n. 89.

62. III. In dubio de intentione, an quis voverit aliquid sub peccato mortali, vel veniali, judicandum est secundum materiam voti, quia quisque promittens præsumitur tali modo se obligare voluisse sicut rei promissæ natura postulat. *Laymann* de voto c. 3. Hæc si sit valde notabilis & gravis, obligatur sub mortali: si exigua, sub veniali. Si ex materiæ quantitate, aut ex vi verborum id non possit desumi, probabilius obligatur tantum sub veniali; in dubio enim omnibus consideratis manente præsumendum non est quod quis obligationem gravem sibi voluerit imponere. *Sporer* ibid.

63. IV. Dubius, an votum impleverit, tenetur adhuc implere: certa enim obligatio non tollitur solutione dubia. Idem est judicium, si dubitetur, an sit dispensatum in voto, vel an illud sit irritatum. *Vide n. 39., & infra de voto specialiter.*

Casus VI.

Anonymus copulam habuit cum Ancilla, paulo post eandem carnaliter cognovit Amnon. Ancilla parit filium, dubia, an imprægnata ab Anonymo, an ab Amnone?

64. *Quær.* An uterque teneatur alere prolem? R. cum *Palao* de Conscient. dub. puncto 5. nu. 15. *Vasquez* 1. 2. Disput. 66. c. 8. nu. 7., *Azor* l. 2. Institut. mor. c. 19. q. 8. Probabilius uterque tenetur pro rata, & æqualiter alere spurium. Delictum enim est certum, necessitas alendæ prolis etiam certa est; excusatio autem utriusque incerta. Addit *Castillo*: cum dubium sit, uter duorum pater illius sit, iniquum est, ut a neutro accipiat alimenta; & præterea æquitas non patitur: ut unus solvat, & alter sit immunis. Contrarium quidem defendit *Lugo* T. 1. de Just. d. 13. sect. 2. ex eo, quod, licet con-

constet de delicto, dubium tamen sit, uter eorum obligationem contraxerit, ac proinde melior sit conditio possidentis utriusque res suas: sed primæ sententiæ favent plures AA. & in praxi longe tutior est.

65. Idem respondet *Laymann* L. 3. de Justit. Tr. 3. p. 3. c. 14. n. 3. de adultero, qui in utramque partem probabiliter dubius est, utrum proles a se genita sit, nec ne, quia, si constet, delictum admissum fuisse, præsumptio esse solet contra nocentem, ut ipsi probatio incumbat, exinde nullum damnum proveniſſe eorum, quæ suapte natura consequi solent. Contrarium ut probabile defendunt *Sotus*, *Navarrus*, *Lessius*, & alii ex hac ratione: filius in dubio legitimum se reputare potest: ergo etiam adulter ita præsumere. Reponit *Laymann* l. c. Innocentia quidem & favor filii omni jure id meretur, ut legitimus censeatur, donec demonstretur illegitimus, cum hactenus fuerit in possessione filiationis; at vero constat, adulterum injustam causam fuisse, ut maritus alimenta præbeat filio tanquam certo, qui tamen re ipsa dubius est, quod damnum pretio æstimabile marito compensari debet; quod damnum licet adhuc incertum sit, cum tamen adulter libere se exposuerit ejus periculo, non videtur in praxi mitius pro eo præsumendum esse.

66. Advertendum tamen, quod adulter sæpe excusetur vel in totum, vel ex parte a restitutione, quando damnum ab adultera compensatum iri satis probabiliter creditur, vel quando restitutio fieri non potest absque periculo vitæ, vel gravis dispendio famæ &c. ibid. *Laymann* n. 2.

Casus VII.

Agatha, dubia de morte prioris mariti, contraxit matrimonium cum Titio. Anxia confugit ad Confessarium, eique dubium adhuc manens aperit.

67. *Quær.* I. An Agatha possit reddere & petere debitum? Rx. Non licet ei debitum petere, tenetur tamen illud reddere marito, qui eam bona fide duxit. Ita resolvitur *c. Dominus* L. 4. *Decret. tit.* 21. *de secundis nuptiis*. *Ratio primi* est: quia jus petendi debitum non acquiritur, nisi per matrimonium bona fide contractum, & bonæ fidei possessionem: atqui Agatha mala fide contraxit matrimonium: ergo. *Ratio secundi* est: quia Titius ratione matrimonii bona fide initi est possessor bonæ fidei; ergo habet jus utendi re, quam bona fide putat esse suam, adeoque jure petendi debitum non debet privari ob malam fidem alterius, quamdiu non constat, matrimonium esse nullum. *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. n. 23.

68. Neque obstat, quod Agatha reddendo debitum se exponat periculo fornicationis. Quia post diligentem inquisitionem, remanente dubio, est tantum peccatum materialiter tale:

tale: major autem est obligatio non irrogandi injuriam certam alteri, quam vitandi periculum fornicationis materialis.

69. *Quær.* II. Quid? si dubium oriatur de impedimento post matrimonium ab utroque conjuge bona fide contractum? R. Pars dubitans tenetur reddere debitum parti non dubitanti; imo juxta *Sanchez* L. 2. de matrim. Disput. 41. q. 4. n. 45. *Laymnn* loc. cit. n. 24. licitum est conjugi debitum petere. Nam dubium superveniens bonæ fidei possessori obesse non debet: præterea iniquum videtur, ut propter dubium post bonam fidem superveniens, & post debitam inquisitionem persistens amittatur jus legitime acquisitum.

CAPUT III.

De Conscientia Probabili, Sive *De recto usu Sententiæ Probabilis.*

§. I.

Prænotanda circa præsentem quæstionem.

70. NOta I. *Opinio* juxta S. *Thom.* 1. p. q. 79. art. 9. ad 4. *significat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Hæc tamen formido non semper est actualis, sed radicalis. Conscientia probabilis est dictamen deductum ex opinione vel sententia probabili de honestate actionis. Duplex hic movetur quæstio inter Theologos: 1. An liceat sequi opinionem *vere probabilem* libertati faventem in consortio *æque probabilis* faventis legi, seu tutioris? 2. An liceat sequi probabilem stantem pro libertate, etiam in consortio probabilioris stantis pro lege? Ad statum quæstionis utriusque melius intelligendum prænotandum est.

71. II. *Licitum* est, quod nulla lege prohibetur. *Illicitum*, quod aliqua lege prohibetur, ne fiat. *Tutum*, quod removet a periculo; *tutius*, quod magis removet. Triplex autem hic periculum attenditur, scilicet errandi, peccandi, & damni incurrendi. Ideo etiam tutum tripliciter consideratur: Tutum ab errore, a peccato, & a damno. Porro *Error* alius est *materialis*, diciturque assensus mentis, qui revera opponitur certæ veritati, quæ tamen non cognoscitur, nec cognosci debet, aut potest. Alius *Error formalis*, estque assensus mentis scienter approbantis verum pro falso, vel falsum pro vero. Pariter *Peccatum materiale* est actus, qui aliqua lege vere prohibetur, seu qui opponitur certæ legi, ita tamen, ut prohibitio, vel hæc oppositio non cognoscatur, nec cognosci debeat, aut possit. *Peccatum formale* est actio contra legem, quæ vel vere existit, simulque scitur existere, vel debet & potest cognosci existere, vel fal-

saltem existere reputatur. Opinio nec est error materialis, nec formalis: Non materialis; quia opinio non versatur circa certo falsum, sicut error. Non formalis; quia licet opinio sit assensus datus uni parti cum formidine de opposita, non tamen est assensus mentis scienter approbantis verum pro falso, vel falsum pro vero, sicut error formalis. Ad datam definitionem opinionis semper respiciendum, quia sæpe nomen opinionis tum a SS. PP. tum ab antiquioribus Scholasticis sumitur pro levi credulitate, vel apparenti persuasione qualicumque. Denique assensus opinionis non est firmus & perfectus; intellectus enim perfecte assentiri non potest ei parti, quam formidat esse falsam. Firmum autem assensum tantum caulat certitudo & evidentia.

Opinio probabilis est judicium ex se quidem fallibile, nixum tamen absolute & comparative gravi motivo, scilicet tali, quod virum prudentem possit movere ad assensum; vel (ut *Thyrsus Gonzalez* ait) quæ concipitur ob motivum talem præseferens apparentiam veritatis, ut ob illud vir prudens sine ulla præcipitatione judicet esse veram, licet cognoscat, non repugnare, quod sit falsa. *Probabilior* est, quæ nititur uno vel pluribus motivis gravioribus, ideoque adhuc facilius movere potest ad assensum, non tamen excludit vi sui motivi omnem prudentem formidinem, hoc ipso, quod adhuc maneat intra limites probabilitatis. *Tenuiter probabilis* est juxta *Cardenas* Dissert. 4. c. 5. in propos. 3. Innoc. XI., de cujus probabilitate adhuc meritò dubitatur. *Viva* in eandem propos. 3. n. 7. ait *Nomine* opinionis tenuiter probabilis venit opinio, quæ tenuiter inclinat intellectum ad assensum. Juxta alios cum *La Croix* de Consc. n. 119. tenuiter probabilis opinio est, quæ nititur tam levi fundamento, ut non mereatur assensum viri prudentis, licet nondum aperte falsa sit. *Improbabile* dicimus illud, quod vel destituitur fundamento gravi, vel etiam contra se habet motivum certum. Sic etiam *temerarium* hic dicimus, quod nullo motivo gravi, *prudens* vero, quod motivo gravi ac solido nititur. Opinio *probabilissima* est assensus nixus motivo, licet nondum certo, tamen respectu motivorum oppositæ partis maximo. *Æquæ probabilis* est, quæ nititur motivo æquali, atque opposita.

72. III. Motivum *absolute grave* dicitur, quod secundum se, & abstrahendo a motivis partis oppositæ movere potest intellectum prudentis viri ad assensum; dixi *secundum se*, hoc est, non ex accedente quodam v. g. ex pertinacia, inordinato affectu, aut negligentia inquirendi in veritatem. *Comparative grave* dicitur, quod etiam cum motivis oppositæ partis comparatum adhuc movere potest virum prudentem ad assensum.

73. IV. Opinio *probabilis intrinsece* dicitur, quæ nititur ratione gravi petita ex ipsa rei natura, vel principiis intrinsecis, aut proprietatibus rei, quæ judicatur ut licita vel illicita. *Extrin-*

fece probabilis est, quæ nititur auctoritate doctorum Virorum, de quibus præsumitur, quod non sine gravibus rationibus ita senserint. *Probabilis quoad se*, sive absoluta vocatur, quæ a parte rei pro se habet grave motivum, licet forte a nobis non cognoscatur. *Probabilis quoad nos*, vel comparativa est, quæ a nobis invincibiliter judicatur habere grave motivum quamvis forte tale non sit. Ad hoc, ut aliqua opinio sit vere probabilis, requiritur 1. ut ratio sive motivum sit magni momenti non tantum absolute, sed etiam comparative ad rationes in contrarium, ita ut ab his non elidatur, & ut motiva oppositæ opinionis probabilioris apte solvantur; ac propterea hæreses carent motivis vere probabilibus. 2. Ne ex ea sequatur ullum manifeste absurdum. 3. Ne adversetur sacræ Scripturæ, neque traditioni, neque communi PP. sententiæ, neque rationi certe. 4. Ne Ecclesia aliquid in contrarium definiverit. *La Croix* de Cons. n. 108., *Duarte* V. *Opinio*. n. 451.

74. V. Denique notandum hic est, opinionem aliam esse *speculative tantum probabilem*, quæ versatur circa objectum probabile, non autem circa praxin, habita tantum ratione principii universalis, non consideratis iis, quæ cum praxi hic & nunc conjunguntur. Aliam *practice probabilem*, quæ proxime circa actionem versatur, sive quæ enunciat licitam esse praxin consideratis iis, quæ in praxi solent contingere. *La Croix* loc. cit. n. 115.

75. VI. *Evidens* dicitur, quod suamet claritate ita per se lucet, ut aliter apparere, aut percipi nequeat, & ita determinat ad assensum, ut nec imprudentem formidinem secum compatiatur. *Certum* dicimus, quod aliter se habere non potest, cuique mens firmiter sine prudenti formidine adhæret; certitudo tamen non excludit imprudentem formidinem, nisi conjunctam habeat evidentiam; omne enim evidens est verum ac certum, non vero omne verum aut certum est evidens: sic articuli fidei veri sunt & certissimi, non tamen evidentes. *Incertum* est, quod cognoscitur aliter se habere posse, ideoque non firmiter determinat ad assensum. Porro *Certum divina fide* est, quod a Deo est revelatum, & ab Ecclesia propositum ut credendum: hæc certitudo innititur infallibili veracitati divinæ, quæ cum sit summa, etiam parit summam certitudinem, & quod ei opponitur, dicitur proprie *Hæreticum*, *Certum Theologice* est, quod partim ex revelatis, partim ex naturaliter certis ac notis legitime deducitur; quod huic certitudini opponitur, proprie dicitur *erroneum*. *Certum metaphysice* dicitur, quod absolute se aliter habere, aliterque concipi nequit. *Certum physice* est, quod spectato cursu naturali aliter se habere nequit, quamvis absolute aliter se habere possit. *Certum moraliter*, quod neque suapte natura, neque ordinario naturæ cursu habet, ut aliter esse non possit, difficillime tamen, & perraro aliter esse contingit.

git. Hæc certitudo moralis duplex esse potest, Perfecta, & Imperfecta: *Perfecta*, quæ nullam obscuritatem, aut dubium deliberatum, etiam imprudens relinquit; sic Romam existere moraliter certum est, ob universale, & constans hominum testimonium, & historiæ auctoritatem, quamquam isti absolute & falli & fallere possint. *Imperfecta* est, quæ potest relinquere aliquam obscuritatem, & admittere aliquod dubium saltem imprudens, uti contingit aliquando in objectis fidei, de quorum credibilitate moraliter tantum certi sumus. Sic etiam moraliter certum dicitur, quod omnibus, vel fere omnibus verum videtur: quamvis enim possibile sit, difficillimum tamen est, omnes decipi.

§. II.

Principia practica de opinione vere probabili.

76. Principium I. *Quando præcise agitur de licentia & honestate actionis, nec inde sequitur aliquid contra Religionem, Charitatem & justitiam, licitum est sequi sententiam vere probabilem, relicta non tantum æque probabili, sed etiam probabiliore.* Terillus hic q. 22. pro hac sententia citat 200. AA. a se lectos, quibus *Gobat* in Clyp. n. 5. addit alios 25. a Terillo non visos. *La Croix* de Cons. n. 269. ordinarie gravissimos ex omni statu & ordine AA. citat. *Valentia* eam jam anno 1593. vocabat communem, *Navarrus* communiorem. Contra Eliz., Thyrs. Gonzal., Camar. &c. *Terillus* in Reg. q. 38. n. 33. ait, pro hac sententia esse 40., ubi pro opposita unus; ergo in praxi tuta est.

Ad intelligendum hoc principium notandum 1. Probabilistas cum Probabilioristis statuere, quod (quando habetur certitudo de honestate actionis vel ex evidentia, vel ex definitione Summi Pontificis, vel ex communi DD., quamvis forte oppositum olim fuerit probabile) debeamus sequi certam sententiam; quia intellectus tunc non potest aliud judicium prudens reflexum formare, quod contra hanc certam sententiam adhuc licite, & prudenter operetur.

2. Statuunt Probabilistæ, quod (dum non habetur certitudo, sed pro utraque parte motiva æqualiter gravia occurrunt de sola honestate actionis, sive de existentia legis) tunc liceat sequi etiam minus tutam, modo sit vere ac solide probabilis.

3. Quando concurrit opinio vere probabilis cum probabiliore de sola honestate actionis, sive existentia legis, suadent quidem Probabilistæ, ut quilibet sequatur probabiliorem; præsertim si ea simul sit tutior, negant tamen, esse obligationem sub pœna æterna solam semper sequendi probabiliorem; econtra sustinent affirmant, si quis sequatur probabilem: exigunt autem, ut vere ac solide, tam absolute, quam comparative

probabilis cognoscatur esse sententia. Hisce prænotatis.

Probatur principium nostrum 1. *negative*. Si non esset licitum sequi probabilem, relicta probabiliore; ergo deberet constare de lege, quæ prohibeat sequi probabilem, restringat libertatem, & obliget ad probabiliorem semper eligendam; atqui Viris gravissimis post tot annorum solicitam inquisitionem nihil constat de tali lege; ergo vel talis lex non est lata, vel non sufficienter promulgata; neque doctrina morali est adstruenda obligatio sequendi probabiliorem opinionem, relicta minus probabili. Sequela patet ex *S. Thoma*, qui 1. 2. q. 90. a. 4. in ⊖: *Ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent, talis autem applicatio fit per hoc, quod in eorum notitiam deducitur ex ipsa promulgatione; unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, ut lex habeat suam virtutem*. Adde, quod hæc lex non tantum sit dubia, sed a doctissimis Viris negetur; ergo libertas manet in possessione.

77. *Prob.* 2. *positive* cum *Laymann* de consc. c. 5. §. 2. n. 7. Non temere, sed prudenter agit, qui sequitur opinionem, quæ non est aliena a recta ratione; atqui opinio vere probabilis non est aliena a recta ratione: ergo. *Maj. patet*, *min. prob.* Opinio probabilis nititur tum gravi auctoritate, tum ratione gravi; ergo non est aliena e recta ratione. Hanc rationem alii sic proponunt: Licite & honeste agit, qui prudenter agit: atqui sequens vere ac solide probabilem prudenter agit; ergo licite & honeste agit sequens opinionem vere ac solide probabilem. Major ex terminis certa est, minor etiam patet; quia, qui agit ex gravi motivo uno vel pluribus, quod manet grave etiam respectu oppositæ sententiæ, prudenter agit: atqui sequens vere probabilem agit ex tali motivo: ergo.

Neque dicas cum Probabilioristis, probabilem non manere vere probabilem in consortio probabilioris. Nam imprimis sic evertitur status quæstionis contra suppositum admittendum a Patronis utriusque sententiæ: deinde falsum est probabilitatem sola probabilioritate everti, nisi accedat aliunde certitudo; constat enim, gravissimos AA. suam sententiam tum in speculativis, tum in practicis defendere tanquam probabiliorem, quin oppositæ sententiæ suam abnegent probabilitatem. Sic *S. Thomas* Dist. 19. art. 3. ad 1. quæstiunc. ad 4.: *An etiam in foro conscientiæ possit procedi ad accusationem alicujus monitione non præmissa?* Problematice respondet: *Dicendum, ut quidam dicunt, ... vel secundum alios*. Vide *eundem* in 4. dist. 24. q. 1. a. 1. ad 5. quæstiunc. ad 3., item *S. Bonav.* in 2. dist. 24. a. 2. q. 2. dist. 38. a. 1. q. 4., *Scotum* in 4. dist. 33. q. 3., & alios. *Confirm.* 1. *c. Ego solis. dist.* 9. Ex S. Aug. expresse innuitur, quod probabiles rationes possint persuadere prudenter, an ali-

aliquid a vero abhorreat? *Confirm.* 2. In moralibus non facile reperire possumus exactam veritatis certitudinem, sed ferme solam verisimilitudinem: ergo sufficit sequi probabilem.

78. *Prob.* 3. cum *Suarez* in 1. 2. Tract. 3. d. 12. sect. 6. n. 8. Esset onus intolerabile, imo obligatio moraliter impossibilis, si quisque teneretur ante operationem inquirere, quænam opinio sit probabilior; esset obnoxia infinitis scrupulis; adeoque etiam lex moraliter impracticabilis, opposita suavi jugo Christi: ergo signum manifestum est, quod tali legi non velit Deus nos esse subjectos.

79. *Prob.* 4. Obligatio sequendi probabiliorem oritur juxta adversarios ex eo, quod in judicio probabili non possit fundari dictamen practice certum, adeoque operans ex probabili esset practice dubius de honestate actionis; atqui hæc ratio est falsa: ergo. *Prob. min.* Imprimis enim judicium directum vere est probabile: ergo prudens, licet non certum: judicium autem reflexum de honestate formali actionis est moraliter certum, e. g. sit hoc judicium directum: pingere die festo est licitum: hoc dictamen probabile non potest esse dictamen ultimum practicum secundum se; supposita tamen probabilitate hujus judicii accersit intellectus aliunde motiva gravia, ex quibus format dictamen practice certum, reflectendo se super probabilitatem judicii directi, non quidem affirmando, certo licitum esse pingere die festo, sed vere probabile esse. Unde ex hoc, vel simili dictamine reflexo se resolvit: Illa actio die festo est licita, quæ consideratis omnibus non apparet servilis, neque prohibita; atqui pingere est talis actio, ergo est licita die festo. Item: quod non temere, sed prudenter judico, mihi hic & nunc esse licitum, hoc licitum est; atqui non temere, sed prudenter, quia ex gravi motivo, judico licitum esse, pingere die festo, ergo est licitum. In his & similibus syllogismis major & minor propositio non tantum est probabilis, sed reflexe & moraliter certa: ergo etiam conclusio, quæ est ipsum dictamen practicum, & regula proxima actionis, est moraliter certa, adeoque tuta in praxi.

80. Simile judicium reflexum potest formari ex sequentibus principiis communiter receptis; 1. *In dubio melior est conditio possidentis.* 2. *Lex dubia, aut non sufficienter promulgata non obligat.* 3. *Ignorantia invincibilis excusat a peccato.* 4. *Qui agit cum dictamine prudenti practico de honestate actionis, honeste agit* &c. Neque tamen necessario requiritur, ut dictamen reflexum fiat semper per discursum formalem, sed sufficit virtualis.

81. *Prob.* 5. Licet sequi opinionem vel inter probabiles probabiliorem, ut constat ex propos. tertia ab Alexandro VIII. damnata, etsi stante probabilissima, hoc ipso quod adhuc probabilis sit, & non certa sententia, judicium directum sit incer-

certum de honestate actionis: ergo a pari licet sequi probabilem, licet eadem incertitudo manet ex parte judicii speculativi.

82. *Prob.* 6. Juxta Adversarios licet sequi sententiam probabiliorem; sed nobis est probabilior sententia tum ab authoritate, tum a rationibus, quod licitum sit sequi probabilem; ergo hanc licite sequimur. *Plura argumenta suggeret Theolog. Scholast. in Tract. de act. hum.*

83. Principium II. *Non licet operari secundum opinionem tenuiter tantum probabilem*: constat ex propositione tertia ab Innocentio XI. damnata. *Ratio* est ex *La Croix* de Conscient. n. 366.: quia tenue motivum non est prudens, nec dignum assensu Viri prudentis; & illi oppositum communiter est moraliter saltem certum; imo stante tenui tantum motivo, non potest tolli dubium praticum, cum quo non licet operari.

84. Principium III. *Quando agitur præcise de honestate actionis, licet operari secundum sententiam simpliciter tutam, relicta tutiore, etiamsi hæc esset simul probabilior*. Ita AA. n. 76. citati. Exemplum affert *Laymann* de Consc. c. 5. §. 2. Assert. II. cum *S. Antonino* ex *S. Thoma*, qui in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. q. 1. docet probabiliter, quod lapsus in peccatum mortale ordinarie non sit obligatus ad confitendum statim, habita copia Confessarii, cum tamen sententiam contrariam tutiorem doceat Alensis, & S. Bonaventura; & licitum est in praxi sequi sententiam probabilem minus tutam S. Thomæ: ergo.

Probatur etiam iisdem rationibus, quibus principium primum probavi. 1. Nulla lex potest assignari, quæ jubeat sequi perfectiora, & tutiora in rebus moralibus, quando præcise agitur de honestate actionis. *Vide Prob.* 1. *n.* 76. 2. Qui sequitur sententiam probabilem, & simpliciter tutam, agit ex motivo gravi, ergo agit prudenter & honeste. *Vide n.* 77. 3. Probat *Moya* de opin. prob. q. 1. §. 1. ex eo, quod Summi Pontifices dispensent in votis solemnibus contra opinionem tutiorem S. Thomæ, qui negat id licere; dispensat in matrimonio rato, non obstante tutiore S. Bonaventuræ, Scoti, & aliorum. Ipsi Adversarii acceptant præbendas, ducti opinione incerta, an sint dignores, quam cæteri, cum tamen tutius esset abstinere. Ita *La Croix* hic num. 479. 4. Quia admissa hac obligatione, homini nimis grave onus incumberet. *Vide n.* 78. 5. Consilium non differret a præcepto, ut ait *Laymann* l. c. Præceptum tantum est sequi bonum ac tutum, consilium autem sequi optimum ac tutissimum: ergo.

95. Denique *confirmatur* ex eo, quod a Summis Pontificibus varii casus (ubi agitur de valore Sacramenti, de injuria, & damno tertii) excipiantur, ita ut in his non liceat amplius sequi minus tutam, minusque probabilem, relicta tutiore; ergo

hoc

hoc ipso patet, quod liceat sequi minus tutam, ubi agitur de sola honestate actionis.

86. Principium IV. *Illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Patet ex Propos. prima ab Innoc. XI. damnata. Unde graviter peccat Minister Sacramenti tum contra Religionem, tum contra Charitatem (ut ait *Cardenas* in hanc Propos. c. 3. n. 23., *Duarte* V. *Opinio probab.* n. 459.) qui extra casum necessitatis adhibet materiam vel formam dubiam, aut minus tutam, relicta tutiore, aut moraliter certa. *Dixi* 1. *contra Religionem, & reverentiam Sacramenti*; quia illud exponeretur periculo nullitatis; probabilitas enim non potest facere, ut materia dubia vel probabilis tantum fiat sufficiens ad valorem, nec ab ea pendet, ut avertatur periculum, ne invalide administreretur Sacramentum; essentialia enim, qualia sunt materia & forma Sacramenti, non dependent a nostro dictamine, sed ab institutione Christi, & effectus Sacramenti a vera materia & forma, quam Christus instituit. 2. *Contra charitatem proximi*, cui graviter noceret, eum in tali casu exponendo periculo carendi gratia Sacramenti, qua indiget. Ita præter AA. citt. *Suarez* tom. 4. disp. 26. S. 6., *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. n. 13. & 14. Juxta alios etiam *contra justitiam*, si ex officio est Minister Sacramenti.

87. Dixi: *extra casum necessitatis*; quando enim media certa & tutiora non possunt adhiberi, saltem dubia *sub conditione* sunt adhibenda. Sic exigit salus animæ; ab irreverentia excusat ipsa necessitas, & conditio apposita; nec Minister agit contra Decretum Pontificis, proprie enim tutiorem non relinquit, quia supponitur non posse agere juxta eam, & in tali casu minus malum eligit ex duobus. Ita AA. cit. cum *S. Thom.*, qui 1. 2. q. 96. a. 6. in 9. ait. *Necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi.*

88. Principium V. *Judex in civilibus debet sententiam ferre juxta probabiliorem.* Patet ex Propos. 2. ab Innocentio XI. damnata. *Ratio* est; quia Judex constitutus est a communitate, non ut pro placito suo tanquam Dominus, sed tanquam æquus Præses juxta merita causæ ferat sententiam; atqui dum pro una parte efficaciores sunt rationes, respectu ejusdem sunt majora merita causæ: ergo. Hinc merito Judex comparatur vivæ lanci, quæ in eam partem propendet, in qua est majus pondus rationum. *Confirm.* Judex sequens minus probabilem, pronunciat illam potiorem, quæ tamen ab eo cognoscitur esse inferior; ergo committit pernicioſum mendacium. *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. n. 16., *Bardi* disceptat. 4. c. 27. n. 2., *Sanchez* l. 3. de Just. q. 6. a. 5. ad 4.

89. Dixi: *in civilibus*; in criminalibus enim Judex debet amplecti minus probabilem favorem reo, quia si unquam, maxime

me quando agitur de vita & capite, requiruntur ab accusatore probationes indubitatæ, & luce clariores, justa *l. fin. C. de probat.*; tales autem non sunt, quamdiu pro innocentia accusati stat major probabilitas. Unde L. 5. ff. de pœnis dicitur, *satius esse, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare*. *Bardi* l. c. n. 5., qui congrue hic applicat reg. 11. de reg. jur. in 6.: *Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*.

Nec obstat damn. Pontif.; ait enim *Filguera* & plures apud *Diana* addit. 3. p. resol. 13., præsumendum non esse, Sedem Apostolicam velle quempiam pœnis addici, cujus facinora non sint omnino certa.

90. Principium VI. *Medici & Chirurgi tenentur adhibere medicamenta certa, relictis incertis; vel* (hæc enim plerumque desunt) *probabiliora & tutiora, cæteris relictis*. *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. num. 15. cum *Navarro*, *Soto*, *Vasquez* &c. *Ratio* est; quia ex officio, charitate, & tacita conventione cum ægro tenentur ejus sanitatem meliore, quo possunt, modo curare. Si tamen media certa & probabiliora non habeant, præstat adhibere probabile, quam nullum. Imo si mors moraliter certa sit & solum habeatur medium dubium, an profuturum sit, an obfuturum, adhuc licet illud adhibere, quia probabilis spes vitæ præferenda est periculo accelerandi mortem, quæ absque eo subsecutura creditur. *Laymann* l. c. *Bardi* discept. 4. c. 30. cum pluribus ibi citatis.

91. Principium VII. *Denique quilibet tenetur ex lege charitatis sequi tutiorem, relicta minus tuta, quando agitur de evitando damno, sive temporali, sive spirituali ab inhonestate actionis distincto*. *Sporer* tr. 1. c. 1. sect. 3. num. 51. cum *communi*. *Ratio* est: quia in tali casu, quandiu probabilius judico, quod actio vel mihi, vel alteri inferat damnum ab ipso peccato formali distinctum, non possum formare prudens dictamen de honestate actionis: hoc ipso enim, quod eligam actionem, cui probabilius agnosco damnum esse conjunctum, virtualiter eligo damnum. *Confirm.* Sola honestas actionis ita dependet ab ultimo dictamine practico, ut, si hoc prudens sit, removeatur omne periculum peccati formalis; non enim peccat formaliter, qui id agit, quod bona fide & prudenter judicat esse licitum. Judicium autem, quantumcunque prudens sit, non removet periculum vel damnum, quod posita hac vel illa actione imminet. Hinc imprudenter agit, qui ingreditur viam, quam probabilius judicat esse obsessam a latronibus, quamvis probabiliter etiam putet, non esse obsessam ab iis; hæc enim probabilitas nequit esse tam efficax, ut in fugam agat latrones. Item illicite explodit bombardam in objectum, quod putat esse ferarn, si tamen probabilius judicet esse hominem.

92. Prin-

92. Principium VIII. *Dictamen ultimum & practicum ad honeste operandum debet esse saltem moraliter certum, ita ut excludat omnem prudentem formidinem de oppositо.* *Suarez* p. 2. d. 12. sect. 3., *Laymann* de consc. c. 5. §. 1. num. 4., *La Croix* hic n. 47., *Bardi* discept. 1. c. 9. n. 5. contra *Vasquez* & *Sanchez*, qui dicunt, sufficere assensum probabilem de honestate, quamvis non sine formidine oppositi. *Taberna* de Consc. c. 3. utramque sententiam vult conciliare, dicendo, non requiri dictamen omnino certum, sed sufficere probabile, quo omnibus attente consideratis judicetur hoc esse verum, & oppositum falsum.

Prob. 1. Nostra conclusio. *S. Thom.* 1. 2. q. 19. a. 5. in Θ. vocat conscientiam applicationem *scientiæ* ad actum; atqui scientia secum non patitur formidinem de oppositо: ergo etiam conscientia practice practica secum non patitur formidinem, scilicet prudentem de oppositо: ergo debet esse moraliter certa.

Prob. 2. Operans, qui probabiliter judicat, hoc, quod agit, esse illicitum, voluntarie se committit periculo peccandi formaliter, adeoque hoc ipso peccat formaliter: atqui is, qui habet dictamen ultimum tantum probabile, & cum formidine oppositi, hoc ipso adhuc judicat, hoc quod agit, probabiliter esse illicitum: ergo. *Dixi*: *Saltem moraliter certum*; stante enim morali certitudine non manet locus prudenti formidini. Imprudens autem formido sive scrupulus, potest quidem oriri; hoc ipso autem, quod sit ex inani apprehensione, non obest, sed debet contemni. Certitudo autem metaphysica vel physica non requiritur, quia impossibile est, in omnibus agibilibus talem habere.

Neque dicas: Ergo non operamur secundum probabilem, sed secundum conscientiam certam. R. D. Non operamur secundum probabilem tanquam dictamen ultimum, & regulam proximam actionum; C. non operamur juxta probabilem, tanquam objectum dictaminis ultimi, N. *La Croix* L. 1. n. 268.

Nec obstat hisce principiis axioma contrarium: *In dubio tutior via est eligenda*. Juxta c. *Juvenis* de sponsal. & c. *Si quis* d. 7. de pœnit. *Tene certum*, *& dimitte incertum*. Quia id intelligitur, *Primo*, si non possit formari dictamen practicum certum saltem moraliter. Vel *secundo*, si ex una parte adhuc sit dubium, ex altera certum, tunc tutiorem esse eligendam; si autem utraque pars tuta sit, axioma universim non est præceptі, sed consilii. Ita *Busembaum* de Consc. c. 2. dub. 3. cum *Navarr.*, *Sanch.*, *Bonacin.*, *Laymann*, *Filliuc.* Accedit, quod citatus textus *S. Augustini* agat de peccatore qui temere differt pœnitentiam usque ad articulum mortis: cujus dilationis certum periculum non potest ullo dictamine prudenti tolli, sicut periculum peccati formalis in aliis actionibus tollitur. Denique pro nostra sententia, quæ requirit dictamen ultimum moraliter

ter

ter certum, pugnat *reg. jur.* 31. *in 6.*: *Eum, qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.*

93. Si quæras II. Ex quibus ergo principiis dictamen practicum moraliter certum deduci poſſit? R. Ex allegatis n. 76. & 77. ſcil. 1. *negative* ex eo, quod vel omnino non exiſtat lex, vel ſi exiſtat, ea nonniſi dubia, & non ſatis promulgata eſt, quod teneamur tantum ſequi probabiliorem; vel quod certo non eſt prohibitum, licet ſequi: atqui certo non eſt prohibitum, ſequi vere ac ſolide probabilem, relicta probabiliore: ergo licet eam ſequi. 2. *Poſitive*: Illud licite ac prudenter eligo, quod graves rationes, Virique graves admittunt eſſe licitum; atqui hoc vel illud, quod vere probabile eſſe cognoſco, rationes, Virique graves admittunt eſſe licitum: ergo hoc vel illud licite ac prudenter eligo.

Si quæras II. Quænam regula tenenda ſit, ad difficiliores caſus prudenter reſolvendos? R. Eam tradit Ss. D. N. BENEDICTUS XIV. in Epiſt. Encyclica de uſuris ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Ordinarios Italiæ 1. Novembr. 1745. emanata, occaſione controverſiæ, an quidam contractus validus judicari debeat? quæ Epiſtola in Tomo I. ejuſdem Bullarii habetur, & incipit: *Vix pervenit ad aures*, ubi §. 8. monet primo, ut reſponſum ferentes de iis quæſtionibus, *ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant*, ſcilicet a nimia ſeveritate, & a nimia indulgentia ſive laxitate. Secundo ait: *Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur: deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate, plane confirmatas intelligent: quod ſi diſputatio inſurgat dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam ſententiam ſequuntur.* Hic bene nota, quod Ss. D. N. non præcipiat ad licite operandum, ut eas tantum partes ſequamur, quæ probabiliores videntur, *ſed eas, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent*; atqui Probabiliſtæ ſequendo vere ac ſolide probabilem eas partes ſequuntur, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligunt: ergo. Deinde Probabiliſtæ non dicunt propterea oppoſitam eſſe falſam, nec illicitum eſſe probabiliorem ſequi &c.: ergo. *Confirmatur* hæc regula ex illo *S. Leonis* Papæ, quod habetur in c. *Sicut quædam*. Diſt. 14.: *In his, quæ dubia fuerint aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Ss. Patrum inveniatur adverſum*: Adde, & quod ex gravibus rationibus non videtur eſſe illicitum.

§. III.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

Ambrosio promittitur pingue beneficium sub conditione, si Secretario Collatoris se efficaciter gratum sit exhibiturus pro recommendatione. Ambrosius, timens simoniam, consulit Plutarchum amicum, qui mox e sinu protrahit libellum recens impressum, ubi affirmatur, per consuetudinem modo licitum esse, urgere collationem beneficii pecunia. Attente lectis rationibus respondet Ambrosius: Hic Author placeret, si intentum solide probaret. Inquiram igitur ulterius, donec inveniam alios mihi faventes. Tandem videns alios paratos ad offerendum, ne sero veniat, & ipse offert 100. Ducatos, antequam agnoscat vere probabiliter id licitum esse.

94. *Quær.* I. An Ambrosius opinionem vere probabilem potuerit præsumere, quod illam affirmet liber alicujus junioris, & moderni? R. Negative, præsertim quia solidam probationem in eo non invenit. Huc pertinet Propositio 27. Ab Alexandro VII. damnata. Rationem damnationis assignat *Duarte V. Opinio.* n. 454.; quia cum in moralibus nulla sit opinio quantumcunque exorbitans, quæ aliquem pro se Auctorem non habeat, jam esset cuique liberum, omnem opinionem in moralibus amplecti, & ex quacunque sibi formare dictamen ad operandum, quæ sententia ad innumera crimina aditum parat.

95. Idem tamen n. 456., *& Viva*, & *Stoz* L. 1. p. 5. n. 100. affirmant, quod unus Auctor, si sit omni exceptione major, possit reddere sententiam vere probabilem, si nimirum sit Vir doctus, pius, ac prudens, & afferat rationem, quam alii vel non considerarunt, vel non solverunt, ipse autem aliorum rationes prudenter resolvat: talis enim nititur gravi fundamento, ideoque vere probabilem reddit suam sententiam. Nihilominus, ubi quis invenerit doctrinam in gravissimo Authore, v. g. in S. Augustino clare fundatam, non licet eam tenere, aut docere, si Summus Pontifex contrarium definiat, ut patet ex propositione 30. ab Alexandro VIII. damnata; quia soli Pontifici ex Cathedra loquenti promissa est infallibilitas & assistentia Spiritus S. etiam dependenter a Concilio, ut ostendit *Viva* in Propos. 29. ab Alexandro VIII. damnata.

96. Excipiunt etiam *Duarte & Viva* illiteratos ac rudes, qui tuto possunt sequi sententiam sui Parochi, Confessarii, vel alterius Viri pii ac docti, si ignorent invincibiliter sententiam illam singularem esse, & contra communem Doctorum; alias in pagis, ubi unus est Parochus, nemo posset ejus consiliis acquiescere, sed deberet quilibet peregrinari ad veritatem indaganda-

dam.

dam. Secus, si advertat quis opinionem sui Parochi adeo esse singularem, ut de ea aliter sit sentiendum cum plurimis Doctis.

97. *Quær.* II. An Ambrosius tuta conscientia varios Auctores adierit, ut faventem sibi sententiam inveniret? R. Si bona fide processerit, fueritque tantum sollicitus, ut inveniat sententiam vere probabilem, juxta quam prudenter se possit resolvere, licite egit; quia se resolvens juxta probabilem non peccat. Si vero mala fide processerit, & tantum ad colorandum factum suum quæsiverit sententiam faventem, paratus illam sequi, quocumque demum licet levi fundamento nitatur, non est tutus in conscientia; sic enim non poterit dictamen prudens, & practice certum formare. *Bardi* discept. 4. *Sanchez* L. 1. in Decal. c. 9. n. 24. *Baldelli* tom. 1. d. 12. n. 2. addit *Bardi* & *Sporer* hic n. 34., modum istum procedendi esse periculosum, quia vehemens illa inclinatio ad unam partem sæpe facit, ut non considerentur omnes circumstantiæ ad rem pertinentes, nec debite ponderentur rationes in contrarium.

98. *Quær.* III. An Ambrosius satisfecerit, mente versando diversorum Auctorum opiniones, quin tamen ipse se practice resolverit, quod licita sit oblatio pecuniæ? R. *Negative*. Qui enim ita constituti sunt, solum habent notitiam opinionum in aliorum judicio quasi speculativam; cum qua absque alia resolutione practica prudenter operari nequeunt, sed manent dubii, non curantes, quid agant. Ita *Sporer* de Conf. n. 33. in simili casu de iis, qui legunt varios Auctores, dubitantes, quæ attentio ad recitationem Breviarii requiratur.

Casus II.

Antonio Clerico Beneficiato offertur aliud pingue beneficium, prius tamen perpendit rationes S. Thom. & Trid. sess. 24. c. 17. de reform. perverti ordinem Ecclesiasticum per pluralitatem beneficiorum; esse contra rectam rationem, quod unus plurium stipendia, alimenta, ac præmia habeat; Ecclesiam pluribus ministris privari, cultum divinum imminui; Fundatorum piam intentionem defraudari &c., ex his judicat, hanc sententiam probabiliorem & tutiorem esse, quod non liceat plura beneficia admittere; aliorum tamen contrariam sententiam vere adhuc probabilem esse. Denique legens Laimann L. 4. tr. 2. c. 8. invenit, triplicem esse justam causam possidendi plura beneficia, 1. necessitatem. 2. utilitatem Ecclesiæ, 3. evidentem meritorum prærogativam. Hinc secundam causam sibi mox applicat, & admittit oblatum beneficium.

99. *Quær.* I. An potuerit Antonius sequi probabilem alienam, relicta propria opinione probabiliore & tutiore? R. Ex supposito, quod id non cedat in damnum Ecclesiæ, & periculum animarum, aut aliorum præjudicium, potuit sequi alienam

nam sententiam vere probabilem. *Ratio* est; quia stante vera probabilitate, adhuc potuit formare prudens dictamen practicum. Neque sic egisset contra propriam conscientiam, quia nec judicium proprium, quod non liceat admittere plura beneficia, nec speculativum aliorum, quod liceat, fuisset regula proxima actionis, sed judicium reflexum, v. g. Licite sequor illam sententiam, quæ ex gravibus motivis docet, hoc vel illud licite fieri; atqui sententia aliorum ex gravibus motivis docet, licite in his circumstantiis posse admitti plura beneficia: ergo hanc aliorum sententiam licite possum sequi, admittendo in his circumstantiis plura beneficia; ita ex principiis generalibus *Thom. Sanchez* L. 1. in Decal. c. 9. n. 15., *Palao*, *Stoz* de Consc. n. 112., quod liceat sequi probabilem alienam, relicta propria opinione probabiliore.

100. *Q.* II. An practice Antonius se recte resolverit ex assertione Laimanni? R. Si vere *coram* Deo judicaverit, sibi convenire causam illam, quæ honestat admissionem alterius beneficii, bene se resolvit. Vere enim probabilis est assertio Laymanni; ergo etiam judicium practicum moraliter certum inde sibi potuit formare.

101. Porro de sequela alienæ sententiæ adverte I.: Illicitum est, operari secundum opinionem alienam, quam quis judicat tum speculative, tum practice esse falsam, aut non vere probabilem; quia sic non posset formare dictamen practicum prudens. *Bardi* discept. 4. c. 16., *Sanchez*, *Terillus*, & alii.

102. II. Juxta *La Croix* L. 1. n. 377. & alios multos ibi citatos: Si quis judicet, sententiam alienam esse falsam ex eo, quod non penetret rationes oppositas, si tamen sciat, eam aliis Viris gravibus, piis ac doctis videri vere probabilem, potest adhuc illam tuto sequi ex dictamine reflexo moraliter certo, prius deponendo suum judicium de falsitate sententiæ oppositæ, v. g. Ego quidem judico, hanc sententiam esse falsam; quia tamen de falsitate evidenter non constat, & alii me forte sapientiores ex gravi motivo, quamvis nunc mihi ignoro affirmant, illam esse vere probabilem, & in praxi tutam, me licite & tuto illorum judicio conformo, & interea præscindo a me directo judicio. Item sententia aliorum, quamvis speculative ego judicem eam falsam, in se tamen potest esse probabilior, quam mea: ergo non est, cur illam sequi non liceret, non attendendo interim ad propriam speculationem. Imo prudentis est, non nimis tenaciter adherere proprio judicio. *Confirmabitur* infra de subditis, & Confessariis. Sic non raro Principes sapientissimi cedunt prudentibus judiciis suorum Consiliariorum contra propriam sententiam. Sic gravissimi AA. sæpe unam partem absolute defendunt esse veram, & nihilominus fatentur, oppositam esse Probabilem.

103. III.

103. III. Solà probabilitas extrinseca, sive auctoritas Doctorum non fundat *formaliter* opinionem practice tutam, si nude secundum se spectetur, sed *concomitanter* simul cum rationibus, quas operans vel scit afferi ab iis, vel prudenter præsumit. *Sporer* de Consc. n. 38., *Bardi* discept. 4. c. 2., *Arriaga* de Actib. hum. disp. 24. sect. 3. Numerus enim AA., secluſa ratione, non facit, ut opinio prudenter censeatur conformis rectæ rationi, & legi divinæ. Sic sex AA. docuerunt, verba non esse de essentia absolutionis; horum tamen authoritas non facit probabilitatem. Plura exempla affert *La Croix* L. 1. n. 136. *Confirm.* ex utroque jure: *c. Nicæna Synodus. dist.* 31., sententia Paphnutii præfertur aliorum congregatorum judicio. *Justinianus* L. 1. §. 6. C. de veteri jure enucleando diserte ait: *Sed neque ex multitudine AA. quod melius & æquius est, judicatote, cum possit unius forsitan & deterioris sententia & multas, & majores aliqua in parte superare.*

Casus III.

Arnulphus hæres universalis ex testamento non solemni retinet hæreditatem secundum probabilem, quod tale testamentum valeat pro foro conscientiæ. Postea in eodem invenit varia pia legata; ne teneatur ea solvere, mutat prius dictamen, & practice judicat, testamentum esse invalidum juxta probabilem oppositam.

104. *Quær.* I. An teneatur Arnulphus solvere pia legata, ex suppositò, quod velit retinere hæreditatem? Respondet *La Croix* L. 1. n. 373. cum *Haun. Elbel.* confer. 7. cas. 1. *affirmative. Ratio* est: quia admittendo hæreditatem, hoc ipso censetur se obligasse ad portanda onera hæredi universali incumbentia. *Confirm.* 1. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtra*, Juxta reg. Jur. 55. in 6. *Confirm.* 2. Licet utranque sententia speculative sit probabilis, certum tamen est, quod hæres piæ testatoris intentioni se teneatur accommodare, si velit adire hæreditatem; alias certo ageret contra jus unius vel alterius hæredis ab intestato, vel in ipsius testatoris damnum. Neque suffragatur ei actualis possessio hæreditatis, quia nolens solvere pia legata, bona fide non potuit adire hæreditatem; ergo nec bona fide eam posset retinere.

Eodem modo illicite agit, qui votum jejunii juxta probabilem commutat in opus æquale, v. g. in eleemosynam, postea ne teneatur dare eleemosynam, amplectitur oppositam; quia sic votum certum nullo modo impleret, saperetque fraudem & illusionem.

Similiter probabilius illicite ageret ille Sacerdos, qui die Jovis, audita duodecima noctis in uno horologio, omitteret Completorium, eoquod non amplius teneatur illud recitare, & tamen juxta oppositam sententiam adhuc pergeret vesci car-

carnibus, quia nondum est audita duodecima in altero horologio; quamvis enim duo horologia se habeant ut duæ sententiæ probabiles, utrumque tamen sequi non licet, certo enim violatur una lex; si enim primum sallat, peccat omittendo Completorium; si secundum, peccat comedendo carnes. *Confirm.* In his mutationibus vel primum, vel secundum dictamen practicum non potest esse moraliter certum, & plerumque involvit contradictionem, & sapit fraudem legis.

105. *Quæres* II. An, & quando liceat pro arbitrio sequi modo hanc vere probabilem, modo oppositam circa idem objectum? R. cum *Bardi* discept. 4. c. 14. *Sporer* tr. præm. n. 35., *Lugo* de Euch. disp. 15. a n. 46., *Esp.* de act. hum. q. 23. Non licet mutare opinionem semel electam, si per ejusmodi mutationem lex certa violaretur. 2. Si potest mutationem homini non maneat integrum, ut certæ obligationi possit adhuc satisfacere. Addit *Haun.* apud *La Croix* loc. cit. etiam non licet eodem tempore usurpare utramque probabilem opinionem, si id cederet in præjudicium tertii, uti in Quæst. præced. dictum. *Ratio primi* est; quia singulæ leges habent jus certum, ne fraudentur: ergo etiam ne regula operandi semel electa mutetur in manifestum sui præjudicium. Quando autem dicta præjudicia absunt, vel post mutationem res adhuc manet integra, vel in potestate hominis est, ut possit adhuc obligationi satisfacere, licet mutare opinionem in eadem materia, judicando modo esse probabile, quod antea videbatur minus vel æque probabile. Non enim teneor hanc determinare probabilem sequi, ergo possum adhuc oppositam sequi, quæ ex priori judicio non amisit suam probabilitatem; unde possum adhuc formare dictamen reflexum de honestate operationis, utpote quod in probabilibus dependet a determinatione voluntatis, ut probant *Terill.* & *Card.* Varia exempla vide apud *Sporer* & *Bardi* l. c. *Stoz* L. 1. p. 5. n. 114.

Casus IV.

Aman Judæus commotus miraculo Pragæ facto in statua S. Joannis Nepomuceni, Fidem Catholicam probabilius veram esse fatetur, quia tamen Judaismum adhuc censet probabiliter esse salvificum, eum retinere statuit.

106. *Quæres* I. An licite sequatur Aman suam Religionem, quam putat esse probabilem, relicta probabiliorem? R. *Negative*. Patet ex Propositione quarta ab Innoc. XI. damnata. *Ratio* est: quia agnita vera probabilitate Catholicæ Religonis, tenetur inquirere in motiva credibilitatis, ut perveniat ad cognitionem veræ fidei; ideo, si non inquirat, peccat, nec excusabilis est. Catholici autem, dum oritur dubium de fide, non

tenentur inquirere, sed immediate illud repudiare, quia evidentiam credibilitatis habent.

106. *Quæres* II. An infidelis, stante sola probabilitate Religionis Catholicæ, teneatur immediate deserere suam Religionem, & amplecti Catholicam? R. Non tenetur *immediate* eam amplecti, & determinate credere fide supernaturali, quia ipsi prius debet Catholica Religio apparere evidenter credibilis, uti probatur ex Propositione prima ab Innoc. XI. damnata. Dixi: *Non tenetur immediate eam amplecti* &c., quia (ut dictum est) *immediate* debet inquirere, ut perveniat ad certam agnitionem veræ fidei, quam etiam propter signa credibilitatis evidentia certo inveniet. Si autem tempus & occasio inquirendi non adsit, tenetur a Deo petere illustrationem intellectus, quam Deus facienti, quod est in se, non denegabit, utpote qui vult omnes homines salvos fieri. Ideoque talis peccat, non præcise ideo, quia stante probabilitate non credit, sed quia ex negligentia culpabili vel non adhibet diligentiam in inquirendo, vel in re tanti momenti non confugit ad Deum, vel quia non videndo juxta rectam intentionem impedit gratiam divinam. Ita *Cardenas* dissert. 5. c. 2., & d. 15. c. 7., *Babenst.* tr. 1. disp. 4. a. 2. §. 2. n. 27. *La Croix* L. 2. n. 48.

Casus V.

Amalia Abbatissa jubet Procuratricem Monialem alicui Patrono Monasterii in gratitudinem pro exhibitis beneficiis numerare 100. *Ducatos: Procuratrix renuit id facere, dicens, talem donationem singulis annis prohiberi ex Bulla Clementis VIII. de largitione munerum. Monet Abbatissa, ut obedientiam cæcam exerceat, & meminerit, moderationem illius Bullæ esse factam ab Urbano VIII.; Monialis tenax sententiæ suæ, qua probabilius judicat, id adhuc esse illicitum, renuit obedire.*

108. *Quær.* An Procuratrix debuerit obedire, quamdiu putabat illicitum esse, quod Abbatissa præcepit? R. Si invincibiliter, & bona fide tanquam manifeste & certo illicitum judicasset, non poterat obedire; alias enim egisset contra conscientiam dictantem, id vere esse illicitum. Verum cum non certo constaret Procuratrici, sed tantum probabilius judicaret esse illicitum, poterat & tenebatur obedire. *Ratio* est: quia Superior potest præcipere, quod vere probabiliter judicat esse licitum: ergo & subditus ei potest obedire, conformando suum judicium judicio Superioris, sine qua conformatione perfecta obedientia subsistere nequit. Præterea plurima mala in quavis Religione orirentur, cum quivis hoc modo, judicando suam sententiam esse probabiliorem, ab obedientia se posset subtrahere. *Laymann* L. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. n. 11. cum *Corduba*, *Vasq.* & alia contra

Joan.

Joan. Sanchez, *Palao* &c.; addit *Laymann*, in dubio inter Superiorem & subditum præsumptio est pro Superiore: item si dubitetur de potestate præcipiendi, utrum ejus limites non excedatur, utrum justa causa subsit. Neque tamen contra obedientiam agit subditus, si rationes & difficultatem proponat, ita tamen, ut paratus sit ad obediendum, si Superioris judicium maneat vere probabile, & justum.

Casus VI.

Andreas Medicus Hospitalis, vim quarundam herbarum exploraturus, eas cuidam periculose decumbenti præscribit, quamvis prompta habeat alia media probabiliora.

109. *Quær.* An licite egerit? R. cum *Laymann* L. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 15., & pluribus contra *Azor*: graviter peccat Medicus, si experiendi tantum causa inexplorata medicamenta infirmo adhibeat. *Rationes vide n.* 90.

Casus VII.

Aristobulus Judex, cum urgeretur ad causam aliquam tandem decidendam, in favorem Titii fert sententiam, quamvis manifeste agnosceret, rationes utrinque æquales esse tam ex parte juris, quam ex parte facti; ad rationes Titii tantum pondus centum Imperialium accesserat. Alias dum intricatæ causæ occurrunt, unum alterumve Auctorem legisse contentus est, deciditque causas, quin earum merita ex utraque parte rite expendat.

111. *Quæres* I. An Aristobulus licite egerit in primo casu? R. *Negative*. Patet ex Propositione secunda ab Alessandro VII. damnata. *Confir.* 1. juxta reg. jur. 12. in 6.: *In judiciis non est acceptatio personarum habenda*; ergo multo minus ratio munerum. *Confirm.* 2. Contra æquitatem & rationem est, ut, si duo æquale jus habent, Judex uni eorum totum adjudicet, alteri vero abjudicet. *Confirm.* 3. Hoc modo pessime consuleretur bono publico, si sententia justa ferri posset ex favore, vel ob munera, pauperes enim & non amici semper causa caderent. *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. n. 16. *Bannes*, *Merolla*, *Bardi* discept. 4. c. 28. n. 22., ubi in fine addit, quod responsio non sit intelligenda, dum altera pars est in possessione; quia hæc facit rationes pro possessione præponderare.

112. *Quæres* II. Quid Judici sit agendum, quando oppositæ partes æque sunt probabiles? Respondet *Laymann* l. c. Si post causæ accuratam discussionem neutra litigantium pars de facto, aut de jure alteram superare videatur, causam vel ad Judicem superiorem deferendam, vel arbitros cum partium consensu constituendos, vel compositionem suadendam, imo imperan-

dam in casu nimis intricato; vel denique rem, si divisibilis sit, in partes æquales dividendam; si vero indivisibilis sit, ita adjudicandam uni, ut secundum æstimationem dimidii præstet alteri æqualitatem; quia æquale est jus utriusque partis.

112. *Quær.* III. An modus judicandi quoad secundum sit securus in conscientia? R. cum *Bardi* l. c. n. 23. & aliis *negative*; quia talis Judex se exponit manifesto periculo jus alterius lædendi; facile contrahit obligationem restitutionis faciendæ propter injustam sententiam ob voluntarie neglectam discussionem rationum utriusque causæ. Denique non secundum æquitatem, sed pro affectu secundum unam alteramve rationem minus forte fundatam procedit.

113. *Adverte* I., quod dictum est de Judice, similiter dicendum est de arbitris, qui ex partium conventione constituti sunt. *Duart.* V. *Judex* n. 360.

114. II. Idem dicendum est de Principibus, Magistratibus, Consiliariis in decernentis tributis, imponendis oneribus, decernendo bello, & aliis, quia in his non quælibet probabilitas speculativa sufficit ad formandum judicium practicum prudens, id licitum esse, quod libet. Vive *Bardi* discept. 4. c. 24. & 25., *Dicastillo* L. 2. de Just. tr. 20. disp. 4. dub. 5. n. 94.

115. III. Neque Consiliariis, qui sunt Assessores curiarum, licet sequi minus probabilem, relicta probabiliore etiam in favorem Judicis superioris; agunt enim ut veri Judices; secus, si non substineant personam Judicis, nec agant de jure unius adversus alium, sed de aliis rebus disceptent.

116. IV. Advocato licet suscipere causam minus probabilem defendendum: hic enim non definit causam, sed tantum rationes pro causa dubia vel probabili affert, quas Judex discutiat, ergo sicut parti litiganti licet suas rationes proponere, ita & ejus Advocato. *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. n. 18. triplicis obligationis admonet Advocatos: 1. ut diligenter ante omnia considerent causæ propositæ probabilitatem, & si eam falsam & injustam esse cognoverint, nullo modo illius patrocinium in se suscipiant, alias cooperabuntur ad malum. 2. Advocatus tenetur de causæ falsitate movere clientem; alias si falsa promissione, aut inani spe victoriæ ad litigandum inducat clientem, erit causa injustarum impensarum, & obligabitur ad compensationem damni. Hinc ibidem ait *Laymann*, non posse absolvi Advovatos, qui parati sunt ad suscipiendam causam sive justam, sive injustam. 3. Si in decursu advertat, causam esse injustam, quam ab initio probabilem justificaverat, eam licite non potest persequi, & urgere, sed debet absistere, (vel ut *S. Thom.* 2. 2. q. 71. art. 3. ad 2. ait) clientem ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno. Idem agnita clientis causa falsa, potest quidem absolute causam adversæ

versæ partis suscipere, modo non revelet secreta prioris causæ; id tamen plerumque periculosum & scandalosum, ideoque dissuadendum, nec facile a Magistratu permittendum est.

Casus VIII.

Anselmus Sacellanus cujusdam Parochi in Gallia, grassante morbo valde periculoso, diu noctuque ad ægrotos vocatur, aliquando domum redux narrat, quod moribundum jam omni sensu destitutum absolverit, quamvis nonnisi signa quædam dubia debitæ dispositionis habuerit. Propterea graviter objurgatur a Domino Parocho Rigorista. Inter objurgationem iterum ad duos moribundos evocatur; mox subridens, modeste ait; Jam mihi probabilius & tutius videtur esse, quod Dominus Parochus teneatur ad unum properare, & ego ad alterum; quia utrique moribundo solus assistere nequeo. Cui reponit Rigorista: In hoc casu tutius est, non exponere valetudinem periculo. Novit Dominus Anselmus meam complexionem, ac proinde properet ad ægrotos.

117. *Quær.* I. An peccaverit Anselmus, hunc moribundum ex signis tantum dubiis absolvendo? R. Non peccavit, sed debuit absolvere; nec egit contra propositionem damnatam num. 86. cit. Rationem vide n. 87. *Confirm.* Camargo Rigorista num. 180. docet, ad conficienda & suscipienda Sacramenta etiam extra casum necessitatis sufficere opinionem vere probabilem de valore, quia, si requireretur certitudo, Confessarius non posset absolvere pœnitentem, dantem doloris signa, quia hæc possunt fallere. *Subsumo ex hoc Rigoristæ argumento*: Atqui est sententia vere probabilis, quod in casu necessitatis signa dubia dispositionis sufficiant ad dandam absolutionem: ergo. *Subsumptum probabitur in Tract. de Sacram.*

118. *Quær.* II. An in praxi probabile sit, semper in casu necessitatis absolute dandam esse absolutionem? R. *Negative.* Probabilior, communior, & tutior in praxi est regula, quam tradit *Stoz* L. 1. p. 3. q. 2. n. 27. Si dubium sit, an ejusmodi signa ex vi morbi, vel ex dolore peccatorum proveniant, absolutio nonnisi conditionate impertienda erit, ne Sacramentum periculo sacrilegii temere exponatur: si vero signa certa sint, non est opus addere conditionem; quia tunc non est mortale periculum sacrilege irritandi Sacramenti, ubi citat. *Vasquez* quæst. 91. art. 2. dist. 1. num. 39. *Suarez* D. 23. sect. 1. num. 4.

119. *Quær.* III. An Rigorista tuto suam tutiorem fuerit secutus? R. *Negative*. Ex supposito, quod aliunde non accesserit gravior ratio conservandi suam propriam personam; tutius non egit respectu moribundi, ut patet; nec tutius respectu propriæ conscientiæ, quia sic non satisfecit suæ gravissimæ obligationi,

tioni, quæ illi ex justitia incumbit. De qua vide *Gobat* in Exper. T. 1. a n. 121. & infra de Præcept. 4.

Casus IV.

Aquilinus confitetur, quod grave furtum commiserit; quæsitus a Confessario de quantitate furti, modeste respondet: quod olim defenderit in Theologia, & etiamnum judicet cum gravissimis AA. circumstantias mere aggravantes non esse necessario exprimendas; reponit Confessarius, a se olim contrarium propugnatum esse, & hodiedum doceri; iret igitur ad suum Professorem, & absolutionem petat, ac meminerit, quod etiam suscipiens Sacramentum teneatur sequi probabiliorem ac tutiorem.

120. *Quær.* I. An Confessarius possit, ac teneatur contra suam propriam sententiam se conformare opinioni pœnitentis probabili, & illum absolvere? R. ad 1. *affirmative*, modo sciat, illam ut vere probabilem ab aliis defendi; qualis est, de circumstantiis mere aggravantibus non necessario exponendis. Hanc enim pœnitens tuto potest sequi, ergo etiam Confessarius. Aliud esset, si sciret, opinionem pœnitentis esse falsam. *La Croix* a n. 443. de Consc.

R. ad 2. pariter *affirm.* quia, per se loquendo, Confessarius tenetur pœnitentem rite dispositum absolvere: atqui talis est recte dispositus: ergo. *Confir.* 1. Si Confessarius esset ejusdem sententiæ, cujus est pœnitens, posset, & teneretur illum absolvere: ergo etiam si sit diversæ sententiæ (ex supposito, quod sit vere probabilis) quia esset eodem modo dispositus. *Confirm.* 2. quia contrarium redderet Sacramentum valde odiosum, & obligare pœnitentem ad repetendam confessionem esset grave onus, posset enim semel, iterumque incidere in Confessarium, qui esset diversæ sententiæ; ergo toties deberet eadem peccata confiteri, quoties non reperiret Confessarium, qui secum sentiret. *Confir.* 3. Pœnitens in tali casu utitur jure suo, & libertate, in qua est, eaque Confessarius ipsum privare non potest, nisi demonstret obligationem exprimendi tales circumstantias, aut sequendi probabilitatem; atqui hanc nunquam poterit demonstrare: ergo. *Suar.* ad 1. 2. tr. 3. D. 12. §. 6. n. 9. *Laym.* L. 1. t. 1. c. 5. §. 2. n. 10. cum *Soto*, *Victoria*, *Navarro*, *Bardi* discept. 4. c. 21. cum pluribus.

121. *Quær.* II. Quomodo peccet Confessarius, talem non absolvendo? R. Si pœnitens confessus sit peccata gravia, uti contigit in nostro casu, peccat mortaliter. Imo juxta *Palao* de Consc. Disp. 2. p. 4. n. 6. & *Babenst.* t. 1. D. 4. a. 3. §. 1. n. 8. probabilius etiam graviter peccat, etiamsi pœnitens nonnisi venialia fuisset confessus, quia negando absolutionem privaretur rite dispositus magno beneficio Sacramenti, ad quod habet jus.

Hinc

Hinc minus probabilis videtur excusatio *Vasquesii*, quod Confessarius id faciat bona fide, & ex zelo propriæ opinionis. Major enim ratio est habenda juris, quod habet pœnitens ad absolutionem, item major ratio Sacramenti, ne reddatur odiosum, quam propriæ sententiæ. Contra *Palao*, *Bardi* l. c. n. 9. ait, in confessione gravium peccatorum esse obligationem sub mortali ex genere suo; sub veniali vero, si confessio fuerit de levibus, quia ad hæc reperenda pœnitens non esset probabiliter gravatus.

Dixi: *si sit confessus*. Nam ante Confessionem, vel positam causam judicii, si id Confessarius advertat, posse se excusare, & dimittere benigne pœnitentem. Item non peccaret talis Confessarius, si pœnitens non invitus se submitteret obligationi repetendi confessionem apud alium.

Neque dicas. Confessarius est pœnitentis superior: ergo pœnitens tenetur præcipientis opinionem amplecti. Respondet *Laym.* l. c., quod non sit superior simpliciter & in omnibus, sed solum in ordine ad peccata, quæ subjiciuntur clavibus; pœnitens autem non peccat adhærendo sententiæ vere probabili: ergo Confessarius ei in hac causa tanquam subdito nihil potest præcipere.

122. *Quæres* III. An etiam suscipiens Sacramentum teneatur sequi tutiorem de valore Sacramenti? R. *Per se loquendo*, *affirmative*. Ita *Cardenas* Diss. 2. in propos. 1. ad Innoc. XI. damn. cum *Suarez* tom. 4. in 3. p. disp. 27. sect. 6. *Duarte* V. *Opinio*. n. 460. contra *Sporer* de Consc. n. 57. *Ratio* est: quia Sacramenta ideo sunt instituta, ut fideles eorum fructum percipiant: ergo quicunque exponit Sacramentum frustrationi sive administrando, sive recipiendo, peccat.

Dixi: *Per se loquendo*. Scil. nisi sententia, quæ videtur minus tuta, sit probabilissima, & moraliter certa, qualis est de attritione, quod sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ, item de circumstantiis mere aggravantibus, &c. *Rationem* dat *Duarte* n. 461. tum quia propositio 1. *Innoc. XI.* simpliciter loquitur de probabili, non de probabilissima, tum quia in Sacramentis conferendis & recipiendis non requiritur major certitudo, quam in procuranda nostra salute: atqui ad hanc sufficit certitudo moralis; ergo etiam. Adde, quod opiniones contrariæ de attritione ut cognita, item de circumstantiis aggravantibus nequidem ver-sentur circa valorem Sacramenti, ut ostendit *Carden.* Vide Theol. Schol. de Pœnit.

123. Eodem modo probabilius est, quod Confessarius absolvens eum jurisdictione tantum probabili non exponat Sacramentum periculo nullitatis; quia probabilissimum est, quod Ecclesia tunc suppleat defectum jurisdictionis, si Parochus vel Confessarius habeat titulum coloratum, h. e. si ab Ordinario Parochiam vel jurisdictionem obtinuerit, ideoque ab omnibus pro

Parocho vel Confessario errore communi habeatur, quamvis propter impedimentum occultum titulus nullus sit. Ita *Cardenas* l. c., *Duart*, & alii.

„ Pro coronide sciendum, Probabilismum & omnem *de licentia actionis* quæstionem huc revocari, ex his examinari, „ & circa hæc tria, aut unum ex illis versari; nempe circa „ *existentiam*, circa *sensum*, & circa *cessationem legis*: neque „ circa hæc tria licere sequi sententiam faventem *libertati* nisi „ observentur tres regulæ.

„ Prima est. Non licet sequi sententiam benignam quantumvis probabilem, quamdiu per moralem diligentiam haberi „ potest certitudo de existentia, vel non existentia legis. Propterea enim in materia fidei Probabilismus locum non habet, quia diligentiam moralem adhibenti certitudo se offerret.

„ Altera est; Quando legis sensus est dubius, certum est, „ quod non liceat sequi interpretationem illam, ex qua sequeretur nullitas legis. Nam per se evidens est, mentis legislatoris non fuisse, ferre legem, quæ nunquam liget. Aliud „ est, si lex admittat plures interpretationes, quarum etsi una „ tollat vim legis in uno sensu, non tamen tollit in omni „ sensu, quem potuit legislator prudenter intendere. In hoc „ enim casu fieri potest, ut utraque interpretatio probabilis „ sit; subditique libertas maneat in possessione, saltem si de „ mente sua Legislator interrogari aut non velit, aut non „ possit.

„ Tertia est: Lex non cessat obbligare nisi per Epikejam, „ Dispensationem, aut abolitionem; quæ tria in Lege divina (extra casum collisionis Legis negativæ cum affirmativa) non habet locum: in Lege humana autem probationem „ exiguunt. Ecce, ordinatus ex his regulis usus Probabilismi „ extra censuram laxitatis, de qua nos Rigoristæ accusant, „ ponetur. Denique

„ *Quæritur* Quid in hac re permissum sit ab Ecclesia?

„ Ex. 1. Tria esse permissa, *Probabiliorismus*, *æque probabilismus*, & *Probabilismus moderatus*. Pro ultimo ceu „ maxime controverso Ratio est 1. Potuit facile, & ut regula moralitatis debuit prohiberi ab Ecclesia, si improbandus esse &c. & tamen teste Gab. Daniel *epist. 3. ad* „ *Nat. Alexandrum*, *licet Innocentius XI. toto Pontificatus sui tempore urgeretur*, *nunquam damnavit hanc propositionem*: *licitum est sequi opinionem minus probabilem*, *quæ vere probabilis sit*: dicere autem hoc esse „ de subjecto non supponente, nec dignum est, nec verum, 2. Praxis diuturna, & persuasio doctorum ac timoratorum fundat præsumptionem veritatis & consensus

legis-

„ legislatoris saltem taciti aut legalis, ergo cum tot authores „ supposuerint, posse minus probabilem opinionem esse adhuc „ vere prudentem, hancque in praxi tanquam licitam secuti „ sunt &c. 3. Ecclesia approbat actum charitatis judicantis „ proximum bonum, licet probabilius videatur malus; & obe- „ diendiæ judicantis præceptum justum, licet videatur proba- „ bilius iniquum: ergo falsa sunt principia adversa: *minus* „ *probabilis enervatur a magis probabili, fit tenuiter probabi-* „ *lis, peccat, qui minus tutam, & minus probabilem cum pe-* „ *riculo peccati sequitur*, &c.

„ R. 2. Reprobantur pariter tria. 1. *Tutiorismus* seu la- „ queus animarum. Propos. 3. Alexand. VIII. 2. *Probabilis-* „ *mus vagus*, seu laxismus. Innocen. XI. damnavit. Prop. 3. „ *Generatim dum probabilitate intrinseca, seu extrinseca, quan-* „ *tumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, con-* „ *fisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Præcessit hunc „ Alexand. VII. qui respiciendo Auctorem damnavit 27. *Si* „ *liber est alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri* „ *probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostо-* „ *lica tanquam probabilem*. 3. Damnatus denique est *Pro-* „ *babilismus improprie talis*, quando probabilitas non ca- „ dit immediate in sententiam, licentiam actionis, seu „ existentiam legis permittentis vel prohibentis, seu in „ rem, seu objectum illud ex. gr. in *mortem* prioris con- „ jugis, ubi stante solum probabili notitia de morte ma- „ riti non licet uxori alteri nubere, in *famam*, ubi stante „ solum probabili rumore vel opinione delicti, non licet „ absolute judicare vel diffamare; in *Religionis* veritatem, „ in *valorem* immediatum Sacramenti, *probabilitatem* litis „ vel causæ, aut in *medicamenti* virtutem. Quare damnatæ „ sunt Propositiones 1. 2. & 4. Innoc. XI. & 26. ab Alexand. „ VII.

„ Dices: Non potest in praxi dignosci, quia opinio sit „ *tenuiter*, quæ graviter seu *Theologice probabilis*; an unus, „ & quis *Auctor* possit facere suam opinionem vere ac „ Theologice probabilem. R. N. A. 1. per *tenuiter proba-* „ *bilem* intelligit *Viva* absolute tantum, non vero com- „ parative probabilem. *Cardenas* dubie probabilem. *Lum-* „ *bier* probabiliter & non certo probabilem. *Alii* tam „ parum probabilem, ut ab opposita probabiliore manifeste, „ & incomparabiliter superetur; *Alii*, quæ nititur fun- „ damento tam levi, ut virum prudentem movere ad as- „ sensum non valeat. 2. Per *Theologice probabilem* in- „ telligunt illam, quæ *tribus dotibus* prædita est: ut reipsa „ habeat fundamentum grave: ut non habeat contra & certo „ legem certam, vel auctoritatem Ecclesiæ, cui sine censura

„ re-

„ refragari nequeat: ut possit convenienter solvere præcipua „ fundamenta adversariorum. 3. Ut vero *unus Auctor possit „ facere sententiam Theologice probabilem*, exigit *P. Viva* 5. „ *conditiones*: ut vir *doctus* habeatur; hoc est, peritus juris naturalis & positivi, non amore novitatis duci se patiens: ut „ *probus* etiam, qui non ex sinistra passione ad scribendum accingi videatur, sed amore veritatis: ut examinet materiam *ex „ professo*, & non ex alio describat: ut non habeat contra se „ *auctoritatem irrefragabilem*: ut convenienter suam opinionem „ *probet*, adversariis respondeat, & pertracturus credatur etiam „ alios in suam sententiam.

CAPUT IV.

De Conscientia Scrupulosa.

§. I.

De Natura, & Origine Scrupulorum.

124. QUÆR. I. Quid sit Scrupulus? R. Est apprehensio inani ratione nixa, & hinc ortus timor, peccatum alicubi esse, ubi non est. *Laym.* de Consc. c. 6. n. 1.

Dicitur *apprehensio*: quia primario consistit in actu intellectus; quia tamen in voluntate causat anxietatem & metum, simul adjunctum habet actum voluntatis. Scrupulus juxta *Sporer* T. procem. n. 101. tripliciter fit: 1. proprie, quando habetur quidem sufficiens judicium, aliquid non esse peccatum, ex levi tamen motivo timetur, ne sit peccatum. 2. Improprie, quando ex levi ratione & timore aliquid judicatur esse illicitum, quod tamen est licitum: hoc potius dicitur judicium erroneum, ut *S. Ignatius* in fine L. Exercit. de scrupul. bene advertit. 3. Quando quis ex inani motivo suspicatur, hoc vel illud forte esse peccatum, quin tamen actualiter & determinate ita judicet, hoc potius est dubium practicum.

125. *Quær.* II. Quænam sint causæ scrupulorum? R. cum *Bardi* discept. 7. c. 3. I. Causæ intrinsecæ ex parte animæ sunt; 1. *Ignorantia*, quando quis ex defectu scientiæ hæret, & non scit distinguere inter tentationem, & consensum, aut quomodo sit resistendum tentationibus. 2. *Occulta superbia, & tenacitas proprii judicii*. De tali *Cassianus* ait: Is, *qui proprio judicio & voluntati confidit, non eget dæmone, qui eum tentet: cum ipse sibi dæmon sit*. 3. Nimia divinæ justitiæ apprehensi, & modica fiducia in divina misericordia. 4. Nimia sollicitudo, id omne, quod vel apparet esse malum, fugiendi, habendi plenam certitudinem, quod hoc vel illud agendo non peccet: &

hoc

hoc est, teste *Arist.* indisciplinati ingenii. Unde contingit, ut, quidquid talis agere velit, continuo phantasia occlamet: *Cave: adest peccatum*. Huic causæ *Suarez* conjungit servilem timorem. Denique nimia austeritas vitæ, & morosa fuga omnis conversationis humanæ occasionem præbet infinitis scrupulis.

II. Causæ extrinsecæ ex parte animæ sunt: 1. Permissio Dei vel ad infringendam superbiam, vel ad probandam virtutem, vel in vindictam peccatorum. 2. Dæmon, qui scrupulis exagitat hominem, ut tædium creet virtutis, & tandem ad desperationem hominem adducat. 3. Frequens conversatio cum scrupulosis? 4. Lectio librorum de casibus conscientiæ, non ex officio, sed ex curiositate, præsertim si qui non sciat judicio practico discernere moralem doctrinam.

III. Ex parte corporis causæ sunt: 1. Complexio frigida aut melancholica; hæc enim nutrix est suspicionum, & infinitarum ineptarum apprehensionum. 2. Debilitas capitis &c. &c.

126. *Quær.* III. Ex quibus signis cognosci possit vere scrupulosus? &c. cum *Stoz* de Consc. scrup. n. 176. 1. Ex pertinacia judicii, qua scrupulosus consiliis Confessarii, vel alterius Viri docti non vult acquiescere; varios consulit, & fatigat, & tamen nullius judicium sequitur præter suum. 2. Ex frequenti mutatione judicii ob leves rationes, unde oritur inconstantia, & perturbatio in agendo. 3. Ex reflexionibus impertinentibus innumerarum circumstantiarum. 4. Ex eo, quod quis timeat in omnibus peccatum, etiam in iis actionibus, quas alii reputant esse honestas. 5. Animus scrupulis perturbatus proditur signis, gestibus, ac motibus ridiculis; solent enim scrupulosi subito contrahere oculos & supercilia, caperare frontem, capite an-& abnuere, mussitare secum: *Nolo, nolo: recede diabole* &c. &c. 6. Ex perpetuo timore, an rite fuerit confessus, etiamsi sæpius idem peccatum eidem Confessario aperuerit.

§. II.

Principia practica pro Scrupulosis, & eorum Confessariis.

127. Princip. Generale. *Licitum est, imo quandoque obligatorium contra scrupulos stricte tales operari, etsi perseverent.* Ita *Suarez* ad 1. 2. disp. 12. sect. ult. *S. Antonin. Stoz* L. 1. p. 5. q. 3. n. 181., *Sanch.*, *Palao*, *Regin.*, *Bonac.* & alii. *Ratio primi* est: quia scrupulus non est judicium determinatum, sed inanis apprehensio; ergo stare potest cum judicio practico de honestate actionis, quod hoc ipso fit, quando quis inanem apprehensionem contemnit ceu scrupulum, & contrarium agit. *Ratio secundi* est: quia, qui fovet scrupulos, nec eos contemnit, gravissimis malis corporis & animæ se exponit: facile ab apre-

prehensionibus ad judicia deducitur, ab his ad peccatum. Hinc *Suarez* l. c. monet cavendum esse, ne scrupulus vincat hominem ad formandum dictamen absolutum, hoc, quod agit, esse illicitum.

128. Atque hoc sit *primum* remedium contra scrupulos; scil. illos velut alias tentationes fortiter contemnere. Hinc scrupulosus secum non disputet, ne forte multum inquirendo diutius foveat inanem apprehensionem, & magis implicetur. *Secundum*. Judicio Confessarii *Unius* se totum instar tyronis regendum committat, neque in singulis actionibus ad eum recurrat; sed, quod in uno casu respondit, ad similes casus applicet absque nova interrogatione; ejusque principiis generalibus plene acquiescat. *S. Antoninus* §. 10. reg. 5. *Tertium*. Bonorum agendi rationem tanquam regulam intueatur, & sequatur, non vero scrupulosorum. *S. Antonin.* reg. 7. doct. 4. cogitet etiam, quid ipse in his vel aliis circumstantiis anxio homini prudenter velle consulere. *Quartum*. Discat in bonitate, & simplicitate cordis de Domino sentire, qui non vult mortem peccatoris nec imponit præcepta redigentia ad insaniam. *Quintum*. Fugiat otium, hoc enim implet phantasiam perpetuis scrupulis. *Sextum*. Sæpius umillime recurrat ad Deum, petendo pacem & tranquillitatem.

Principia pro Confessariis Scrupulosorum.

129. I. Primario studeat agnoscere, an pœnitens sit vere scrupulosus: quæ origo scrupulorum: an sit scrupulosus in omnibus, an in uno tantum vel altero puncto. Hæc nisi cognoverit, directio erit plena periculis.

II. Patientia sorti muniat animum suum, alias nihil proficiet. Hinc *Cajetanus* ait: *Væ, Væ Confessario habenti verum scrupulosum*! Gravitas tamen nunquam desit, vi cujus resolute sine hæsitatione respondeat, nec facile responsionis suæ rationem det. Huc pertinet illud 2. Tim. c. 4. v. 2.: *Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Si superbia latens origo scrupulorum sit, maxime arguendi sunt, quod non sint contenti consilii Confessarii, sed revelationem a Deo quasi expectent, quod hæc vel illa actio sit honesta. Si pusillanimitas causa sit, erigantur spe divinæ misericordiæ, ostendatur sinistrum de Deo judicium, quem tales velut tyrannum sibi proponunt &c.

III. Dubia in benigniorem partem interpretetur, innixus principiis, quæ tradit *Suarez* loc. cit., *Bonac.*, *Stoz* & alii pro scrupulosis certissima: 1. Eum, qui bona fide procedit, animo placendi Deo, si mediocrem diligentiam adhibeat, practice non errare. 2. In rebus moralibus non ubique quærendam certitudinem, & scrupulosum, ubi non suppetit consilium, post medio-

diocrem diligentiam adhibitam, tuto posse agere contra scrupulum. 3. Dubium, quod in aliis esset rationabile, in scrupuloso esse contemnendum.

IV. Denique clientem sæpius in orationibus suis Deo commendet. Plura suggeret prudentia pro variis circumstantiis, & Tractatus de scrupulis, desumptus ex opere variorum Moralium *R. P. Bossii*, Barnabitæ.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

Antonetta scrupulosa virgo, quoties confitetur, angitur de confessionibus præteritis, hinc semper totum folium plenum peccatis in juventute commissis affert. Alias dubitat, an elicuerit verum dolorem &c.

130. *Quær.* Quomodo scrupulosus circa confessiones præteritas dirigendus sit? Rx. cum *Bardi* discept. 7. c. 6. §. 1. *Laym. Sa* V. *Confessio*, *La Croix* L. 1. n. 531. *Lessio* de act. hum. q. 19. n. 80. Scrupulosus non tenetur repetere quidquam in confessione, nisi certus sit, & ausit jurare, quod hoc vel illud peccatum grave nunquam, vel non bene fuerit confessus: quamdiu autem dubitat, certus non est, ergo non tenetur repetere, 2. Si diu vixerit in consuetudine peccandi, vel certo sciat defectum doloris aut examinis, Confessarius permittat confessionem generalem, & juvet in examine; postea nunquam permittat id fieri; alias fons scrupulorum non exaurietur. Si incidat postea unum alterumve peccatum certum, id solum exponatur absque nova confessione generali. Idem observandam in dubio scrupulosi de dolore.

Casus II.

Afra scrupulosa, quoties suggestionem pravam in se advertit de fide, materia turpi, blasphemiis, judicio temerario &c. timet continuo, an non præbuerit consensum.

131. *Quær.* Quænam regulæ sint pro ejusmodi scrupulosis? Rx. Nunquam credant, se mortaliter peccasse, nisi certo sciant, imo jurare audeant, se plene advertisse malitiam gravem, & in eam consensisse. *La Croix.* l. c. n. 546. cum pluribus. Valet hæc regula maxime in iis, qui serium animum, & sæpe repetitum propositum habet nunquam peccandi mortaliter; quæ enim ordinarie odio habentur, si postea vel semel amentur, hoc facile advertitur. 2. Si quis, utprimum advertit malitiam, continuo tentationi resistat, & doleat, quia si consentiendo se

plene

plene a Deo avertisset, non tam facile & cito iterum se converteret ad Deum, ob summam malitiam peccati mortalis. Moneat præterea Confessarius scrupulosos ejusmodi, quod non teneantur hisce tentationibus per actus contrarios positive resistere, sed quod sufficiat cum contemptu illas rejicere, vel animum ad alia objecta vertere.

Casus III.

Archelaus scrupulosorum primipilus Confessario recte suadenti continuo oggerit: Pater! me non nosti, qualis sim: habes me pro scrupuloso, qualis non sum, me non audis &c. item non auderem contra Deo Judice comparere, si ita sentirem &c. scio sententiam S. Gregorii: Bonarum, ait, mentium est, ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est.

132. *Quær.* Quid agendum cum tali Archiscrupuloso? Respondet *La Croix* L. 1. n. 560. Ad satisfaciendum phantasiæ, Confessarius aliquoties illum patienter audiat; tum animose admoneat, ut credat, quod omnia rite intellexerit. Si non acquiescat, permittat ad tempus agere, quod vult, donec pertinacem & stultam superbiam discat frangere. Discet autem, quia sibi relictus quotidie magis magisque se sentiet implicari & torqueri. Si nullum remedium prosit, inter amentes curæ Medicorum brevi tradendus est. Regula præcipua hic esto prudentia insignis Confessarii.

Ad secundum respondet *Laym.* cum *Sanchez*, etiam in articulo mortis consultius scrupulosis fore, ut scrupulos contemnant. Sæpe quidem ejusmodi hominibus ante obitum a Deo conceditur una alterave hora tranquillior, qua incipiunt errores præteritos agnoscere, detestari pertinacem superbiam, & sero tandem sapere; non raro tamen ex justo Dei judicio absque signo resipiscentiæ ex hac vita decedunt. Præstat igitur mature sapere, quam sero, aut forte nunquam.

Respondet secundo *Laym.* cum *Sylvest.* V. *Scrupulosus.* q. 3. *In illo articulo multa faceret homo, quæ tamen necesse non est, nec expedit facere in vita: quia homo tandem desperaret, vel fatuus fieret.* Deinde *S. Gregorius* nomen culpæ latius ibi accipit pro quovis defectu, quem in se bona mens agnoscit, & bene ordinato affectu deplorat, sed sine turbatione inquieta.

De reliquis scrupulis circa recitationem Breviarii, distractiones, item circa consecrationis formam &c. infra, quando de his specialiter agemus.

Pro coronide Tractatui primo de Conscientia annectimus regulam *S. Bonav.*, qui in Compendio Theol. L. 2. c. 5. ait: *Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta, nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem.*

„ De-

„ Denique ut natura, gravitas & medicina morbi uno obtu-
„ tu noscatur. Dico: Scrupulus est inanis apprehensio pecca-
„ ti, nulli judicio prudenti innixa. Assero, quod qui per ha-
„ bitum solet his apprehensionibus cedere, versatur in statu,
„ vel saltem in periculo proximo perpetui peccati mortalis;
„ tum omissionum per tædium & acediam, tum commissio-
„ num per impatientiam violentiæ, quam patitur, & inepti-
„ tudinem ad labores officii, quo fungitur. Moneo, quod tam
„ gravi malo remedium aptius non reperiatur, quam cæca o-
„ bedientia, per quam Scrupulosus in omni dubio sic juvatur,
„ ut certus sit, se errare (nisi forte materialiter) non posse.
„ Addo, Scrupulosum ad hanc obedientiam teneri sub peccato
„ mortali, eo quod perturbationes, quibus obnoxius est, con-
„ stituant ipsum in statu peccati gravis, nisi omnino jam de
„ statu mentis, aut liberi arbitrii dejecerint. Denique decla-
„ ro, si adhuc liber sit, actus obedientiæ, ad quas obligatur,
„ esse tres. Primus est circa tempus præteritum. Nisi jurare
„ possis, quod certum peccatum grave nunquam rite confessus
„ fueris, suppone, quod sis confessus, aut crede, te non te-
„ nere. Prudens suppositio est, & prudens opinio, quoniam
„ pro homine timorato (de quali loquimur) stat præsumptio,
„ feciſſe quod renebatur, & recte feciſſe. Aliter circa tempus
„ præsens: Nisi jurare possis, quod in peccatum grave, tem-
„ pore tentationis, aut in omissionem necessariæ intentionis
„ aut attentionis inter labores officii consenseris plene sciens ac
„ volens; judicia quod sis insons a culpa, & liber ab onere
„ repetendi. Securum judicium est, quippe prudenti consilio
„ innixum, quia ratio te condemnandi non est, nisi per refle-
„ xionem de advertentia, & consensu pleno convincaris. Ul-
„ timus circa tempus futurum versatur: Nisi jurare possis,
„ quod in officio vel actione suscipienda a te, immineat re-
„ spectu tui periculum proximum non solum sensus, sed etiam
„ consensus graviter peccaminosi, audacter agere semper licet,
„ sæpe teneris. Certa sententia est, quia nulla lex prohibet.
„ Ita paulatim inanis apprehensio peccati imaginarii corrigi-
„ tur per judicium de peccato inobedientiæ, & metus mali
„ minoris, quale est actus peccati vincitur per metum Mali
„ majoris, quale est status peccati, in quo Scrupulosum con-
„ tumax rejectio medicinæ morbo suo unice necessariæ eviden-
„ ter constituit.

TRA-

TRACTATUS II.

DE LEGIBUS, AC PECCATIS IN GENERE.

CAPUT I.

De extrema regula actuum humanorum, sive de Lege; præcipue de materia & forma Legis.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Lex ac Præceptum in genere? Item quæ conditiones ad veram Legem requirantur?

133. QUÆR. I. Quid sit Lex? Rr. 1. Lex ac præceptum, prout hic indistincte accipitur, est *recta agendorum aut omittendorum ratio*. Strictius *juxta S. Thom. 1.2.q.96. ab a.1. usque ad quintum:* est ordinatio rationis ad bonum communem, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata, cum voluntate eam perpetuo obligandi. Differt a præcepto, 1. quod lex sit quid stabile, cum feratur communitati, quæ de se stabilis est; 2. quod feratur in bonum pubblicum. Præceptum vero stricte non fertur communitati, sed uni tantum, vel paucis ad bonum privatum, nec de se est quid stabile. Juxta *Reiffenstuel* T. 2. Theol. Mor. de LL. dist. 1. q. 2. n. 18. præceptum simplex immediate fertur in personas singulares, earumque ossibus adhæret, vi cujus obligantur subditi, ubicumque existant; talis enim Superior ita præcipiens habet jurisdictionem in subditos, non ratione loci, sed per se ac ratione personæ.

134. *Quær.* II. Quotuplex sit lex sive præceptum? Rr. I. Alia est naturalis, alia positiva. Lex naturalis sive jus naturæ *improprie* sumitur pro quavis inclinatione naturali, *metaphorice* pro instinctu naturæ, *minus stricte* pro potestate aliquid agendi vel omittendi ex concessione naturæ, *proprie* pro lege, sive regula actionum humanarum, quæ inest menti ad discernendum honestum a turpi; sic recte definitur: *Ordinatio divinæ Sapientiæ, per dictamen syntereseos naturæ rationali manifestata, præcipiens rectæ rationi consentanea, & prohibens dissentanea, vel etiam permittens indifferentia*. Dicitur melius *Ordinatio divinæ Sapientiæ*, quam dictamen rationis ab Authore naturæ inditum, circa ea, quæ homini tanquam honesta agenda, vel tanquam

quam inhonesta omittenda sunt, ut vult *Grotius*: quia dictamen est potius applicatio, sive promulgatio legis naturæ, non ipsa lex, quæ debet esse actus Superioris. Deinde hoc dictamen est defectibile, sicut ipsa natura, lex autem naturalis debet esse indefectibilis. Denique melius statuitur in ordinatione divinæ Sapientiæ, quam in ipsa natura rationali, ut vult *Vasquezius*: quia natura in se nec præcipit, nec dirigit; præterea licet natura rationalis sit radix honestatis, non tamen ideo est lex.

Objectum materiale legis naturalis in genere est omne, quod convenit naturæ rationali, ut præcipiatur, & omne, quod eidem disconvenit, adeoque ut prohibeatur ab Authore naturæ. Hinc lex naturalis versatur 1. circa principia morum prima generalia, ac per se nota, qualia sunt: *Bonum est faciendum, malum vitandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Item circa magis particularia, nota tamen per se: v. g. *Justitia est servanda: Deus colendus; temperate vivendum* &c., ad hæc enim natura rationalis immediate inclinat. 2. Versatur circa principia alia ex his primariis vel immediate, vel mediate deducta, quæ fundant honestatem moribus necessariam, qualia sunt omnia in Decalogo contenta.

Objectum formale juris naturæ consistit in conformitate principiorum cum lege Dei, per quam naturæ congrua fiunt formaliter honesta, & dissona fiunt formaliter dissona. Vide P. *Ignat. Schwarz* S. J. de lege naturali, juxta quem principii fundamentalis juris naturæ conceptus videtur ita enunciandus esse: *Fac ea, quæ ex amore Deo, tibi, & proximo naturaliter debito*, h. e. *ad felicitatem naturæ rationalis propriam necessario vel facienda vel omittenda sunt*. Per amorem hic non intelligitur sensualis, sed rationalis, qui juxta S. *Aug.* L. de amicit. est *rationalis animæ affectus*, quo quis sibi vel alteri bonum *cum desiderio* quærit, adepto fruitur *cum suavitate*, & *cum gaudio* conservat.

Ex quo conceptu infertur 1. quoad *præcepta negativa gravia*, in omne & solum esse jure naturæ graviter prohibitum, quod repugnat amori Dei, vel tibi, vel proximo naturaliter debito, quia ad felicitatem naturæ rationali propriam *simpliciter necessario*, cujusmodi sunt respectu Dei *Idolomania, blasphemia* &c., respectu sui ipsius *mutilatio propria, mollities*; respectu proximi *furtum, adulterium*.

Quoad præcepta negativa levia, id omne & solum est jure naturæ leviter prohibitum, quod, absolute loquendo, repugnat quidem amori cuivis naturaliter debito, ad felicitatem tamen naturæ rationali propriam minus stricte necessario. Cujusmodi sunt mendacium, detractio, furtum in re leviori: hæc enim repugnant quidem amori proximi naturaliter debito, suntque

contraria paci cum proximo conservandæ, in qua sita est partialis nostra felicitas, non tamen *simpliciter* sunt eversiva conjunctionis mutuæ, hinc etiam minus stricte sunt necessaria ad felicitatem naturæ rationali propriam. Hoc modo facile intelligitur, cum alii dicant, supradicta esse intrinsece mala, item cur exigant prohiberi a Deo.

Quoad præcepta naturæ positiva graviter obligantia, id omne & solum est jure naturæ graviter præceptum, quod exigitur ut conforme amori, ad felicitatem naturæ rationali propriam, cuicunque naturaliter debito, & absolute necessario: hujusmodi respectu Dei est religio sive cultus Dei in genere, respectu sui ipsius refrænatio inordinatorum affectuum, respectu proximi exhibitio officii tam in procurando bono, quam in avertendo malo præstandi, *si sit extrema vel absolute gravis necessitas*, idque levi incommodo proprie fieri possit. Illud vero pertinet ad præcepta naturæ levius obligantia, quod (absolute loquendo) exigitur quidem ut conforme amori, ad felicitatem naturæ rationali propriam, cuivis naturaliter debito, sed tamen minus stricte necessario, qualia sunt, petenti dare consilium, erranti viam monstrare, sinenti permittere aquæ haustum &c. Hæc fusius vide apud laudatum *P. Ignat. Schwarz* loc. cit.

„ *Quær.* 1. An Deus dispensare possit in lege naturæ?

„ R. 1. Plurimi *cum Pichler* admittunt legem naturæ *permissivum*, qua jus naturæ per actum positivum statuat, valere aut licere aliquid, e. g. contractum Pupilli, renuntiationem dotis a filia, cessionem Senatus-Consulti Vellejani a fœmina factam valere &c. item *jus naturæ conditionatum*, nisi aliter statuat jus positivum humanum, e. g. præscriptio non valet, nisi inducitur a Principe, aut moribus hominum & præterea *dispensabilitatem*, *mutabilitatem* legis naturalis, v. g. non accipies rem alterius ipso non consentiente, nisi Deus *directe* tecum dispenset, vel *saltem indirecte*, nempe materiam, prius subjectam legi naturali subtrahendo aut eximendo, ut desinant subesse; prout *Ecclesia* annullat matrimonia statuendo impedimentum dirimens, aut Papa dispensat in votis aut juramentis tollendo illorum obligationem, vel actum voventis irritando &c. Sic Deus dedit Judæis facultatem fœnerandi alienis: *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno*. *Deut.* 20. Israelitis auferendi vasa Ægyptiorum Exod. 12. Sic juxta Illsung. Deus dispensando in Monogamia & indissolubilitate matrimonii quatuor observavit; 1. assumpsit certum finem. 2. Specialibus auxiliis avertit mala ex Polygamia &c. alias secutura: & compensavit bona Monogamia speranda, 3. Interposuit suam auctoritatem dando jus in plures uxores. 4. Et sic variando materiam dispensavit improprie.

„ 2. Alii

„ 2. Alii *cum Biner* ſtatuunt legem naturæ omnem *abſolutam*, „ *indiſpenſabilem*, *& immutabilem*, in quantum jus naturæ „ ſe non extendit ad ea, quæ permittuntur aut permitti poſ„ ſunt, ut indifferentia, ea vero, in quibus Deus dat facultа„ tem, nec ſunt, nec unquam fuerant materia legis naturalis „ prohibentis, e. g. Lex naturæ prohibet *furtum*, hoc eſt ac„ ceptionem rei alienæ Domino rationabiliter invito: quod ſi „ Deus in te transferat Dominium rei hujus, nec erit res a„ liena, nec Dominus potuerit eſſe rationabiliter invitus; ad„ eoque materia ſub hac ratione nunquam fuit prohibita. Ea„ dem lex prohibet *homicidium*, id eſt injuſtam occaſionem; „ ſi Deus Abrahæ det facultatem occidendi filium, nec erit „ occiſio injuſta, nec materia legis hujus naturalis actus ut „ affectus facultate Divina. Idem eſt de *uſura* titulo mutui, „ ſi Deus poſito mutuo tanquam mera conditione det tibi rei „ dominium ſtabile; idem de *fornicatione*, ſi Deus det jus in „ corpus &c. dicendum.

„ *Coroll.* 2. Hoc non procedit de illis malis, *quorum for*„ *malis ratio prohibitionis pro omni ſtatu & circumſtantiis ma*„ *net*; e. g. odium Dei, blaſphemia, contemptus Dei in per„ jurium, mendacium &c. Sed intrinſece malis quidem, ſed „ ſolum pro aliquo ſtatu, e. g. Polygamia, furtum &c. 2. „ Juxta ultimam ſententiam, quæ multum immiſcet de mo„ do loquendo, pariter non datur lex naturalis mere pœnalis, „ ſed ſolum *præſcriptiva*, *prohibitiva & irritans*, quæ neceſ„ ſario annullat ea, quæ prudenter vel utiliter ſubſiſtere non „ poſſunt, ſive ex parte *cauſæ efficientis*, quando deeſt habilitas „ in agente e. g. infante, amente &c. ſive *materiæ*, *quando* „ *hæc eſt impoſſibilis aut turpis*, e. g. Juramentum de occi„ dendo inimico, ſive *actus ipſius*, quando hic intrinſece ma„ lus, e. g. contractus de fornicando cum Sicario, ſi is occi„ dat rivalem.

„ *Q.* 2. Quænam in theſi dicatur juris Divini?

„ *R.* Illa, quæ in communi ac radice ſua debent a lege na„ turæ ſtatui; quamvis in hypotheſi ac particulari, quoad tem„ pus, modum, aut numerum determinentur a lege humana. „ Talia ſunt 1. Præceptum tertium Decalogi, cum jus natu„ ræ exigat deſignari aliqua tempora aut modos, quibus homo „ vacet cultui divino. 2. *Confeſſio & communio annua*, ſiqui„ dem ratio poſtulat, ut homo ſe confortet ſpiritualiter, non „ diu differat reconciliari cum Deo per medium ab illo inſti„ tutum. 3. *Reſidentia Beneficiati curati*, ubi jus humanum „ determinat ſolum, an hæc debeat eſſe perſonalis, an ſuffi„ ciat Vicaria? &c.

„ *Coroll.* 1. Differt igitur lex naturalis a lege poſitiva divi„ na & humana in ſeqq. 1. In cauſa efficiente, qui eſt Deus

„ ut Author & Gubernator universi in lege naturæ. 2. In „ materia, quæ necessaria est. 3. In promulgatione quæ fit „ per lumen rationis cuivis innatum. 4. Ex fine immediato „ aut supposito, quia nunquam fundatur in præsumptione, sed „ semper in veritate, adeo ut e. g. legere librum quemcum- „ que, disputare cum Hæreticis de fide, gestare arma &c. li- „ ceat vel non liceat vi legis naturalis, si reipsa adest, vel „ non adest periculum perversionis, læsionis &c.

„ 2. Convenit Lex naturalis cum iis in seqq. 1. Quod es- „ sentia physica legis involvat hæc prædicata: ordinationem „ materiæ ad bonum plurium, & voluntatem obligativam „ Superioris habentis jurisdictionem. 2. Quod vel constituti- „ vum vel requisitum essentiale legis in actu secundo obligan- „ tis sit promulgatio sufficiens, ita quidem, ut ignorantia in- „ vincibilis excuset; non tamen metus quantumcunque gravis „ in negativis iis, quarum materia est pro semper intrinsece „ mala.

135. II. *Lex positiva* est, quæ libera Dei vel hominum voluntate posita est: materia legis positivæ de se est indifferens, ut præcipiatur, aut prohibeatur a libera legislatoris voluntate. Hæc iterum duplex est: *Positiva divina*, quæ libere a Deo in tempore fertur: lex enim Dei æterna est ipsa ratio divinæ Sapientiæ de eo, quod faciendum vel omittendum est cum intentione obligandi ad hoc creaturam rationalem. *Reifenst.* in procem. Jur. Can. §. 1. n. 12. Alia *humana*, quæ libere ab homine lata est.

136. III. Divina iterum alia est Veteris, alia Novi Testamenti. Leges V. T. sunt triplices: *Ceremoniales*, quæ certas ad Dei cultum ceremonias & ritus præscribunt. *Judiciales*, quæ circa causas in judicio versantur. Et *Morales*, quæ docent, quid sit juri naturali, & bonis moribus con-vel difforme, ut præcepta Decalogi. Morales adhuc obligant non tam authoritate V. T. quam quod ab ipso lumine naturali dictentur (excepta circumstantia Sabbati) & passim a Christo Domino sint renovatæ. Judiciales vero & Ceremoniales obligabant solum populum Judæorum; nunc vero cessant teste Apostolo *ad Galat. 3. & 4.* scil. post promulgationem L. N. factam Hierosolymis in die Pentecostes. Qua facta legalium observatio fuit inutilis, ideoque observatio ceremoniarum significantium Christum adhuc venturum, hodie superstitiosa est, v. g. circumcisio. Gentiles obligati erant ad præcepta moralia, quatenus sunt juris naturalis; ea servando, & contra originale applicando remedium legis naturæ potuerunt salvari extra Synagogam. Lex N. T. sive Evangelica (continens præcepta sacramentalia, fidei, & moralia) hodie obligat omnes homines, & obligabit usque ad consummationem sæculi. Vid. *Trid.* Sess. 6. can. 21.

„ *Quær.*

„ *Quær.* Quomodo lex Nova differat a Veteri?

„ R. In utroque Testamento spectari debent hæc quinque. „ 1. Mysteria fidei. 2. Promissiones. 3. Commissiones. 4. Le„ ges seu Præcepta. 5. Sacrificia & Sacramenta. Hæc omnia „ in veteri Testamento accommodata erant statui servorum; „ in Novo autem filiorum.

„ 1. Mysteria fidei, præsertim Trinitatis, Incarnationis, „ Redemptionis, in Veteri Testamento erant obscure & im„ perfecte cognita; in Novo expresse & perfecte de illis agi„ tur. Quare? Quia Servi non tam perfecte sciunt consilia & „ secreta Patris-familias, quam filii. Hinc Christus in Evan„ gelio Joan. 15. v. 14. *Jam non dicam vos Servos, quia „ Servus nescit, quod faciat Dominus ejus.* Ad hoc significan„ dum, Moyses cum loquitur ad populum, faciem velabat; „ nobis autem Christus facie ad faciem locutus est. 2. Cor. „ 3.

„ 2. Promissiones sunt etiam diversæ. Nam in V. T. pro„ mittebat Deus bona temporalia; in Novo æterna. In Vete„ ri dicebat, Isaiæ 1. v. 19. *Si audieritis me, bona terræ co„ medetis.* In Novo dicit, Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes „ spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quæ causa? „ Quia alia est conditio Servorum, alia Filiorum. Servi ac„ cipiunt temporalem mercedem a Dominis suis, & sic di„ mittuntur: filii vero succedunt in perpetuam hæredita„ tem.

„ 3. Eadem est proportio comminationum. In V. T. mi„ nabatur Deus pœnas & supplicia temporalia; in Novo æter„ na. Unde hoc discrimen? Ex disparitate Servorum & filio„ rum. Servi qui male se gerunt, minis & flagellis coerce„ ri solent: filii si degeneres sint, a perpetua hæreditate ex„ cluduntur.

„ 4. Præcepta in V. T. erant triplicia; Moralia, Ceremo„ nialia & Judicialia. In Novo sunt etiam triplicia; Moralia, „ Sacramentalia, & fidei. Hoc interest. In V. T. dabantur „ nuda præcepta sine gratia; in Novo cum gratia. In veteri „ erant infinita propemodum Ceremonialia, quibus in Novo „ successerunt Sacramentalia numero pauciissima, observatione „ facillima, significatione præstantissima.

„ 5. Jam Sacrificia & Sacramenta utriusque Testamenti non „ parum inter se distant. Mosaica erant plurima, nostra pau„ ca: illa continebant umbram & figuram; hæc corpus & „ veritatem: illa in mactatione fere animalium perficieban„ tur; hæc in morte & passione Christi: illa conferebant „ munditiem tantum legalem; hæc internam gratiam & san„ ctitatem. Et hoc sensu dicunt Scholastici, legem Mosaicam „ non habuisse vim judicandi; neque datam esse ut justifica-

„ ret, sed ut morbum ostenderet, & ad quærendum Medi-
„ cum excitaret; Evangelicam vero habere vim justificandi,
„ & eo fine institutam esse, ut justificaret.

„ *Dices*: Si hæc vera sunt, sequitur Judæos non potuisse
„ salvari. Erant enim servi, ut dictum est: at servi nunquam
„ adeunt hæreditatem, sed soli filii.

„ R. Erant servi, seu potius in statu servorum pro illo
„ tempore: Unde recte infertur, pro illo tempore non potuis-
„ se obtinere vitam æternam. Nam regnum cælorum clausum
„ fuit in V. T. non tamen necesse est, fuisse servos respectu
„ hujus temporis, seu N. T. quia potuerunt adoptari in fi-
„ lios cum hac conditione, ut in N. T. quando Christus sua
„ morte aperuisset regnum cælorum, adirent hæreditatem.
„ Hinc Apostolus qui ad Gal. 4. v. 22. dixit eos fuisse servos
„ & ancillæ filios, alibi hoc mitigat, asserendo, fuisse qui-
„ dem veros filios, sed adhuc sub pædagogo & tutoribus con-
„ stitutos, ac proinde habitos fuisse ut servos. Gal. 3. v. 23.
„ & 41. Itaque secundum Apostolum res sic habet. Sicut fi-
„ lius habet duplicem statum: unum servitutis, quando est
„ sub Pædagogo; alterum libertatis, quando est sui juris; ita
„ populus Dei habuit duplicem statum, unum servitutis in V.
„ T. sub jugo legis Mosaicæ; alterum libertatis in N. T. sub
„ gratia legis Evangelicæ.

137. IV. Lex humana alia est *Ecclesiastica*, quæ fertur a potestate Ecclesiastica in bonum spirituale subditorum. Alia *Civilis*, quæ fertur a potestate sæculari ad politicam Reipublicæ gubernationem. Huc etiam pertinet *jus gentium*, quod ex consensu populorum, necessitate humani convictus sic exigente (ut ait *Reiffenst.* l. c. §. 2. n. 32.) constitutum illis omnibus, aut fere omnibus est commune. Hæc definitur a *P. Ign. Schwarz*, *Ordinatio rationis*, *longævo gentium usu*, *Deique*, *& societatis humanæ Gubernatoris immediati*, *consensu inducta Gentium*, *qua talium*, *publicam felicitatem*. Differt a jure naturæ, 1. ex *constitutivis*: nam jus gentium est jus *non scriptum*, consensu vel consuetudine populorum introductum: e contra jus naturæ est *jus scriptum* in cordibus hominum, absque eorum voluntate sancitum. 2. ex *objecto*: nam jus gentium respicit objecta arbitraria in ordine ad majus commodum societatis humanæ; jus autem naturæ respicit objecta in absoluta necessitate fundata, in ordine ad felicitatem naturæ rationali simpliciter debitam. 3. differt ex *proprietatibus*: jus enim gentium est absolute mutabile, universale tantum plerique, jus naturæ est immutabile, & universale omnibus. Differt etiam a jure civili, quia hoc respicit privatas civium, jus gentium aut publicas necessitates diversorum populorum. Item jus civile est scriptum, jus gentium non scriptum, & consuetudi-

ne

ne gentium introductus. Objectum juris gentium *in genere* est omne illud, quod *ex fine suo* tendit ad convenientem communicationem, & emolumentum gentium. *In specie* huc revocatur Legatorum admissio & immunitas, & eorum non violandorum religio, can. jus gent. Dist. 1. item primæva rerum divisio, commerciorum libera facultas, bellum justum &c.

138. V. Lex dividitur in *Affirmativam*, quæ bonum præcipit; & *Negativam*, quæ malum prohibet: hinc, quia malum nunquam est faciendum, negativa dicitur obligare semper, non item affirmativa.

139. VI. Lex Civilis dividitur in *Præceptivam*, quæ simpliciter aliquid præcipit, aut prohibet; & *Pœnalem*, quæ transgressoribus pœnam comminatur. *Franc. Schmier* L. 1. T. 1. n. 77. Hæc iterum duplex est: *pure pœnalis*, quæ tantum statuit pœnam, non vero sub culpa obligat ad actum, ut dum Legislator solius pœnæ mentionem facit: v. g. si quis hoc die ligna in hac sylva collegerit, solvit duos aureos, vel incarcerabitur. Et *mixta*, quæ obligat sub culpa & pœna. Quænam sint leges puræ pœnales, vel mixtæ, ex verbis legis, & consuetudine, quæ optima legum interpres est, desumi debet. *Suar.* de LL. L. 5. c. 4. n. 8.

140. *Cardenas* similiter legem Ecclesiasticam dividit in *Directivam*, quæ obligat ad solam pœnam in conscientia incurrendam, non autem ad pœnam ab homine infligendam. Et in *Coactivam* vel *comminatoriam*, quæ obligat sub culpa & pœna statuta per legem. Si obliget sub pœna ipso facto ante sententiam Judicis incurrenda, dicitur *coactivam coactione interna* vel *latæ sententiæ*; si vero sub pœna per sententiam inferenda, dicitur *coactiva coactione externa*, *vel ferendæ sententiæ*. Signum latæ sententiæ sunt sequentes formulæ: *Quisquis hoc fecerit, ipso facto, ipso jure, mox, extunc pœnam incurrat, sit excommunicatus, officio aut beneficio privatus* &c. Addit *Herincx*: si lex utatur verbo indicativi modi, v. g. *Excommunicamus, suspendimus* &c. Signum ferendæ sententiæ sunt: *Prohibemus sub pœna excommunicationis*, vel si lex utatur verbis imperativi modi, ut ait *Reiffenst.* c. 9. *Excommunicetur, si erit reus pœnæ, obligetur, obligabitur, subjacebit pœnæ*. In dubio censenda est esse tantum ferendæ sententiæ, quia *in pœnis benignior est interpretatio facienda*, juxta *reg.* 49. *in* 6.

141. VIII. Denique Lex alia est *Odiosa*, cujus materia iis, quibus præcipitur, est onerosa, præter onus obligationis servandi legem; quales sunt leges vectigalium, aut injungentes pœnam transgressoribus &c.; alia *Favorabilis*, cujus materia est conveniens & quasi beneficium iis, quibus præcipitur, quamvis secundario cedat in onus aliorum. *Palao* T. 3. d. 1. p. 2. Lex odiosa est strictæ interpretationis, favorabilis autem am-

pliari debet salva verborum significatione, juxta *reg.* 15. *in 6. odia restringi, & favores convenit ampliari.*

„ *Quær.* 1. Quæ differentia legis Ecclesiasticæ & Civilis?

„ R. 1. Potissima est in fine, qui in Jure Ecclesiastico est supernaturalis & æterna beatitudo, in civili vero est naturalis Reipublicæ tranquillitas. Continetur Jus Ecclesiasticum in 5. *Decretalibus*, *Sexto Decretalium*, *Clementinis & Extravagantibus*; cum *decretum Gratiani* per se non habet auctoritatem legalem, sed singula in eo illam solum vim retineant, quam habent, ex quibus desumpta sunt. Jus Civile pariter 5. partibus continetur: videlicet libris *Institutionum*, *Digestorum* seu Pandectarum, *Codicis*, *Novellarum*, seu Authenticarum, ac *feudorum*.

„ R. 2. Differentias in specie 54. inter utrumque jus recenset Henr. Canisius lib. *Summa juris Can.* quarum potissimæ sunt 1. Leges Canonicæ præferendæ sunt legibus civilibus, quoties agitur de peccato vitando, aut de materia spirituali, e. g. Matrimonio, Sacramentis, Beneficiis, decimis &c. aut de personis ac rebus Ecclesiasticis. 2. Leges civiles asserunt in emendo ac vendendo naturaliter concessum esse se invicem circumvenire. *L.* 22. §. 3. *ff. locati*, ut discat imposterum cautius mercari. 3. Res vendi posse quovis pretio. *L. pretia rerum* 63. *ff. ad L. Falcid.* cum quisquis rei suæ moderator & arbiter sit. *L. in re* 21. *C. mandati*. 4. Læsionem intra dimidium carere remedio restitutionis urgendæ *L. si voluntate* 8. *C. de rescind. vend.* Simile quid statuitur de marito occidente adulterum cum sua uxore deprehensum. 5. In præscriptione longissimi temporis inchoanda, in continuanda autem nunquam requiritur bona fides *L. si res aliena*. 10. *ff. de usura*. 6. Decimæ non sunt integre solvendæ, sed deductis expensis sementis & culturæ. *L.* 1. *C. de fruc.* 7. Ad sponsalia semper, & necessario requiritur consensus parentum. *L.* 2. *C. de ritu nupt.* 8. Ad tollenda sponsalia non requiritur utriusque consensus. *L.* 1. *C. de sponsa.* 9. Non contrahitur affinitas, nisi ex justis nuptiis. *L.* 4. §. *affines ff. de grad. affin.* 10. Mulier potest alteri nubere post 5. annos licet certa non sit de morte prioris mariti. *L. Uxores 6. ff. de divort.* 11. Liberi ex damnato coitu non debent ali a parentibus. *Authent. ex complexu. C. de incestis & inut. nup.* quibus contradicunt Leges Ecclesiasticæ. De notitia pleniore utriusque Juris vide post n. 274.

„ *Q.* 2. Quæ & quot sint causæ, actus & effectus Legis?

„ R. 1. Causæ Legis sunt 4. Efficiens, ipse Legislator; materialis, ejus voluntas; formalis, ejus essentia, & finalis, bonum commune.

„ R. 2.

„ R. 2. Actus legis præcipui sunt 4. Præcipere, prohibere, „ permittere & punire. Siquidem lex actus humanos bonos „ præcipit, malos prohibet ac punit, indifferentes permit- „ tit.

„ R. 3. Effectus Legis sunt 3. Subditos objective dirigere „ ad bonum amplectendum, & malum fugiendum; eosdem „ obligare; & ita bonos facere.

„ Q. 3. Quæ causa efficiens legis humanæ in specie?

„ R. Ad ferendam legem non sufficit potestas *œconomica*, „ qualem habet *e. g.* Abbatissa monialium, vel pater-fami- „ lias in domesticos &c. sed requiritur *Jurisdictio*, sive illa „ habeatur *immediate* a Deo, qualem habuit olim Moyses a „ Deo, nunc Pontifex a Christo; sive *mediate*, qualem ha- „ bent Principes mediante populo; cum potestas divina legis- „ lativa juxta S. Thomam 1. 2. q. 90. & Suarezium L. 3. c. „ 2. participetur in *civilibus* proprie tantum a communitate, „ quæ illam transtulit quandoque in unum ejusque descenden- „ tes, & vocatur *Monarchia*; quandoque in plures Primates, „ & dicitur *Aristocratia*, unde promanant Senatusconsulta; „ quandoque sibi reservavit, ut in *Democratia*, ex qua plebi- „ scita &c. *unde sequitur* Papam & concilia *generalia* posse „ legem condere pro tota Ecclesia: Primatem & concilia „ *Nationalia* posse pro tota natione vel regno; Archiepisco- „ pum & *Provincialia*, pro Provincia; Episcopum & *diœce- „ sana*, pro diœcesi; præpositos generales ordinum religioso- „ rum saltem *cum capitulis suis*, pro suis subditis, sed per „ concessionem Papæ. An autem Capitula *Sede vacante* hoc „ valeant, controvertitur.

„ *Dices*. 1. Abbatissa potest Moniali suæ *præcipere sub virtu- „ te S. Obedientiæ*, adeoque habet proprie jurisdictionem Ec- „ clesiasticam. 2. Pontifex potest *deponi* ab Ecclesia, si vel „ incidit in hæresim, vel saltem communiter habetur pro la- „ pso in hæresim, ut de Liberio & Felice. 3. sic verum es- „ set de Episcopis illud: *Quod potest Papa in tota Ecclesia, „ hoc potest Episcopus in sua Diœcesi*.

„ R. ad 1. N. A. Si hæc præceptio *stricte* sumatur, prout „ dicit *præceptum* spirituale, *finem* spiritualem, & *potestatem* „ spiritualem. V. Palao, Sanch. in Decal. L. 6. c. 1. sed „ potest præcipere sub virtute *obedientiæ sibi debitæ*. Cum „ enim tantum habeat domesticam, & laicam potestatem, „ percipere potest simpliciter, cui Moniales tenentur obedire ra- „ tione voti Deo facti. Ad 2. N. Sed Ecclesia solum *decla- „ rat* Papam in hoc casu a Christo depositum esse; sicut et- „ iam Cardinales Papam eligentes solum *determinant Perso- „ nam*, cui Deus deinde per se confert Jurisdictionem. *Ad* 3. „ Hoc axioma, deficit in pluribus, e. g. non procedit in ar-

„ ticulis fidei, canonizatione Sanctorum, approbatione Religio-
„ num, concessione Indulgentiarum, dispensatione in matri-
„ monio rato, præterea Episcopi sunt successores Apostolo-
„ rum non in Apostolatu, sed tantum in Episcopatu; conse-
„ quenter non possunt facere statuta universalia. Denique Pa-
„ pa defenditur passim supra Concilium universale; Episco-
„ pus non est supra Synodum, quia ab Episcopo appellari ad
„ hanc potest. Multi addunt, quod Episcopi habeant suam
„ potestatem non immediate a Christo, sed a Papa, quod ta-
„ men inficiantur aliqui.

§. II.

Principia generalia de Legibus.

142. *Princ. I.* Ad veram legem, ut obliget subditos, requiruntur sequentes conditiones: 1. Lex debet esse *honesta*; scil. materia, quæ præcipitur, debet esse licita, nec prohibita jure naturali aut divino. Hinc *S. Th.* 1. 2. q. 96. a. 4. ait, tales leges, quæ legi superioris Dei repugnant, nullo modo licet observare; *nam obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Act. 5. v. 29. Secundo.* Debet esse *justa*, quæ, servata æqualitate proportionis, subditis secundum eorum vires & facultates debet proponi. *Suarez* L. 1. de LL. c. 9. n. 16. *Tertio.* Debet esse *possibilis*, secundum naturam, patriæ consuetudinem, loco & tempori conveniens; impossibilia enim sub præceptum non cadunt. *Laym.* de LL. c. 1. *Quarto. Non privato tantum commodo; sed pro communi subditorum utilitate conscripta.* Lex enim est commune præceptum. L. 1. ff. de LL. Leges quædam proxime quidem particularium, v. g. pupillorum commodum spectant, simul tamen ad Reipubl. bonum faciunt. *Laym.* ibid. *Quinto.* Denique requiritur, ut lex feratur a legitimo Superiore jurisdictionem habente. *Confirm.* ex prima parte Decreti D. 4. can. 2.: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.*

143. Princip. II. *Ad hoc, ut lex obliget, essentialiter requiritur ejus promulgatio*, scilicet ut publice scripto vel per Præconem ita communitati denuntietur, ut omnibus facile possit innotescere. Non tamen requiritur, ut singulis intimetur; hoc

enim

enim foret moraliter impossibile. Hoc principium spectat ad formam legis, quæ sunt verba, vel alia signa externa, quibus Legislator suam voluntatem obligandi, communitati manifestat; talia sunt: *Præcipimus, obligamus, omnes teneantur, nemini liceat* &c. his enim positis, formaliter habetur lex. *Prob.* 1. ex S. *Th.*, qui 1. 2. q. 90. a. 4. in ⊖ ait: *Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem*, scil. obligandi. *Prob.* 2. Lex est regula communis, secundum quam subditi debent instituere actiones suas: ergo prius debet promulgari toti communitati; juxta regulam enim incognitam nemo potest operari. *Confirm.* ex L. 9. C. de LL. *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Vide *Suar.* L. 1. de LL. c. 11., *Lay.* de LL. c. cum communi.

144. Princ. III. *Lex quoad vim obligandi non dependet essentialiter ab acceptatione populi.* Adeoque tenentur subditi in conscientia acceptare legem justam, sive civilem sive Ecclesiasticam. Patet ex propos. 28. ab *Alexand. VII.* damnata. *Ratio* est: quia non acceptare legem justam Superioris legitimi, est resistere potestati a Deo ordinatæ; *huic autem qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; ad Rom. 13. v. 2. Confirm.* Si populi acceptatio requireretur ad essentiam legis, omnis legum authoritas, superioritas, & potestas Legislatorum desineret, utpote qui plus non possent evincere, quam subditi vellent; id quod non esset regere, sed regi. Non loquimur autem de Statu Democratico, in quo suprema potestas saltem partialiter est adhuc penes populum.

Dixi in Q. *quoad vim obligandi*: nam ad durationem & stabilitatem legis *per accidens* necessaria est acceptatio populi, vel potius actualis observatio legis. Sic *Laym.* de LL. c. 3. explicat illud *Gratiani* dist. 4. c. 3.: *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur.*

145. Princ. IV. *Lex civilis non potest præcipere vel prohibere actus mere internos*; quia sine his Legislator civilis obtinet finem suum, qui est tranquillitas Reipublicæ; hæc habetur, modo actus externi bene fiant. Neque per actus internos cives quoad temporalia inter se ullam communicationem habent. *Palao* de LL. T. 3. D. 1. p. 6. n. 2., *Franc. Schmier* L. 1. T. 1. c. 1. n. 111. cum aliis turmatim.

146. *Neque Legislator Ecclesiasticus potest præcipere vel prohibere actus pure internos*; quia tales actus non potest cognoscere; ergo neque judicialiter illorum omissionem punire, aut eorum executionem urgere. *Confirm.* ex c. *Sicut* 33. L. 5. Decret. tit. 3. de Simonia: *Ecclesia non judicat de occultis.* Item c. *Tua nos.* eod. tit. *Innoc. III.* ait: *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* Ergo ipsi summi Pontifices talem potestatem circa actus mere internos non agnoverunt. *Confirm.* etiam ex can. 14.

de

de Pœnit. dist. 1. *Cogitationis pœnam nemo patitur*. Ideoque *Laym.* de LL. c. 4. n. 5. absolute asserit, communiorem esse DD. sententiam, quod nulla lex vel præceptum humanum se possit extendere ad actus mere internos per se præcipiendos. Eadem est sententia *S. Thom.* 1.2. q.91. a.4. & q.100. a.9. *Suar.* de Censur. D. 4. §. 2. & L.4. de LL. c.12., *Spor.* Tr. procem. c.3.n.35. & plurimorum aliorum. *Confir.* etiam ex L. 7. SS. D. N. BENEDICTI XIV. de Synodo Diœcesi. C. 32., ubi de hæresi interna agens ait: *Ecclesia autem sicuti non potest per se directe & immediate præcipere aut prohibere actum mere internum, juxta communem Theologorum sententiam; .... ita non potest hæresim, qua in actum exteriorem non prodit, censura perstringere.*

147. Juvat tamen annectere pro notitia sententiam paucorum, magni tamen nominis DD. (ut eam vocat *Franc. Schmier* in Jurispr. L.1. t.1. c.1. n. 113.) scil. *Carden.* Disp. 25. c.7. n. 51., *Shogar* t. 71., *Gormaz* de Pœnit. p. 2. n. 67. utriusque *Schmier* & aliorum, qui docent, quod Legislator Ecclesiasticus quoad potestatem coactivam externe non possit percipere vel prohibere actus mere internos, ob rationes n. præced. allatas; possit autem id facere quoad potestatem directivam. *Ratio* Eorum 1. est, quia Christus Matth. 16. v. 19. *Quodcunque ligaveris* &c. & Joan. ult. v. 17. *Pasce oves meas*, videtur illimitatam, & non tantum ad actus externos restrictam potestatem Petro dedisse. Quia finis legis Ecclesiasticæ est bonum animarum spirituale ac supernaturale, & æterna beatitudo: ad hæc autem plus conducunt actus interni, quam soli externi: ergo. *Confir. Trid.* Sess. 13. in Decreto de Ss. Euchar. omnibus Fidelibus interdicit, ne posthac aliter credant (quod est actus internus) doceant, aut prædicent, quam sicut hoc Decreto est declaratum & definitum. Item *Innoc. XI.* in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet, ne quis propositiones a se damnatas deducat ad praxin, inter quas 5.6.7. & 10. versantur circa actus mere internos. Plures rationes vide apud *Franc. Schmier* l. c. & *Cardenas*; quas tamen satis apte solvunt *Palao* t. 3. de LL. d. 1. p. 6. *Pichler* ad Tit. de Constit. n. 12. & alii.

148. Princ. V. *Potest Legislator Ecclesiasticus & civilis præcipere vel prohibere actus mixtos*, h. e. juxta *La Croix*, tales externos, qui absolute quidem possunt esse secundum esse physicum absque actu interno, ad eorum tamen esse mortale intrinsece spectat actus internus; & hinc dicuntur mixti, quia actus ex- & internus constituunt unum moraliter actum, v. g. attentio conjuncta cum recitatione Breviarii. *Suar.* L. 4. de LL. c. 13., *Palao* l. c. *Gobat* in Exper. T. 5. n. 198., *Sporer*, & communis; ideo *Cardenas* & *Petrus de Murga* contrariam sententiam antiquatam & improbabilem esse affirmant. *Prob.* 1. L. *bonam fidem*. C. *de oblig. & act.* Bona fides, quæ est actus inter-

internus, ad contrahendum requiritur. Juxta propos. 14. ab *Alexandro VII.* damnatam præcipitur ab Ecclesia confessio valida, quæ sine actibus internis, dolore, detestatione & proposito esse nequit. 3. *Urbanus VIII.* prohibet applicationem Missæ (en actum internum) pro duobus stipendiis &c. An autem actus internus sic directe, vel indirecte per se, vel tantum concomitanter præcipiatur, parum facit ad resolutionem casuum. Hinc relinquimus hanc crisin Theol. Schol.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

De promulgatione Legis.

Andreas Consiliarius Principis Titio amico suo prodit, proxime edicto publico defalcandos esse Ducatos, item imminuendum pretium frumenti; tertio posthac nemini fore licitum, vinum ex alia Provincia inferre. Titius mox Ducatis solvit debita sua, emit varias merces, frumenta sua vendit, advehit etiam vinum Rhenanum & Mosellanum.

139. *Quær.* I. An peccaverit Titius contra justitiam ita solvendo, emendo, vendendo, & vinum advehendo? R. *Negative;* lex enim nondum promulgata sicut reliquos cives nondum obligabat, ita nec Titium; notitia privata non poterat illi auferre jus, quo tota communitas gaudebat. Si ante hanc privatam notitiam solvisset debita, non fuisset causa damni creditorum: ergo nec postea. 2. Frumenta eo pretio vendit, quo tum valebant: ergo contra justitiam non egit. Quoad vinum lex nondum existebat ex defectu promulgationis, ergo nec poterat ab eo violari. *Laym.* L. 3. de Just. t. 4. c. 17. n. 9. *Palao* t. 3. de LL. disp. 1. p. 10. n. 2. *Burgh.* Cent. 1. casu 6.

150. *Quær.* II. An peccaverit Titius saltem contra charitatem quoad primum & secundum? Respondet *Laym.* l. c. ex *Molina*, *per se* loquendo, *negative;* usus est enim jure suo, neque contra charitatem est, imminens damnum a se potius, quam ab alio avertere licito modo. Dixi *per se*: quia si quis prævideret, emptores vel creditores *extraordinarium* inde damnum passuros, ex officio charitatis deberet illud impedire. *Laym.* ibid. non æque excusat Consiliarios, qui ante promulgationem tale Decretum produnt, vel ipsi ejus notitia pro suo commodo in damnum aliorum utuntur, eoquod hi ex officio teneantur impedire, ne cives ratione novæ legis damnum patiantur, cives vero ipsi nulla lege justitiæ aut charitatis ita prohiberi videantur, quo minus privata notitia talis Decreti utantur.

151.

151. *Quær.* III. Qualis requiratur promulgatio? R. Voce aut scripto, & cum aliqua solemnitate ita denuncianda est lex, ut possit innotescere communitati, eique constare de voluntate Superioris, quod pro sua authoritate velit obligare subditos. *Constat* ex usu & praxi Legislatorum. Præter rationes *num.* 143. allatas accedit, quod Princeps ferendo legem agat personam publicam; ergo publica & solemni promulgatione legem debet denuntiare, cum publica ceremonia, determinandæ vel per voluntatem Principis, vel consuetudinem Provinciæ: communiter autem fieri solet vel voce Præconis, vel affigendo edictum ad valvas Curiæ. Lex vocatur quidem constitutio scripta, non tamen eo sensu, quod scriptura ad essentiam legis requiratur; sed quia plerumque scribitur, ut inviolata perseveret, partim etiam ad differentiam consuetudinis, quæ vocatur jus non scriptum. Ita *Laym.* de LL. c. 2. n. 3. *Reiffenst.* Porro leges civiles pro toto Imperio vel Regno in singulis Provinciis promulgandæ sunt; quæ autem feruntur pro una Provincia, in primaria ejus civitate.

152. *Pro reliquis adverte* I. Leges Imperatoriæ, si certum tempus non exprimant, non obligant, nisi post bimestre a promulgatione in singulis Provinciis, ut probat *Laym.* l. c. n. 4. ex Rubr. Authent. 66. Collat. 5. tit. 16. *Pirringh*, *Engel*, & alii: & *ratio* est: quia sic omnis imparitas, confusio, & querelæ populorum late diffusorum evitantur; & impeditur ne aliqui citius, alii serius obligari incipiant.

153. II. Leges Pontificiæ probabilius post factam Romæ promulgationem statim incipiunt obligare in tota Ecclesia, & quamprimum satis constiterit, eas Romæ esse promulgatas. Ita *Suar.* de LL. L. 4. c. 15. n. 11. *Bonac.* T. 2. D. 1. de LL. q. 1. p. 4. n. 25., *Laym.* l. c. *Azor*, *Babenst.* T. 3. D. 1. de LL. a. 4. n. 20., *Palao*, & plures alii. *Ratio* 1. est: quia ex natura legis promulgatio in singulis Provinciis non requiritur, sed sufficit unica Romæ facta. 2. Nec requiritur illa ex Constitutione juris; illa enim Authentica non est acceptata a Pontificibus, ut ait *Babenst.* l. c. & *Suarez* addit, Pontifices non declarasse, velle se admittere leges civiles pro modo ferendi leges, vel obligandi Ecclesiam per suas leges. 3. Affirmat *Navarrus*, testes, *Suar.* transgressores legum Pontificiarum in urbe punire ante duos menses a promulgatione, non solum qui probantur sciviisse promulgationem, sed etiam qui non probant, sed illam ignorarint. 4. Plures Constitutiones in Jure Can. habent vim obligativam, licet illarum promulgatio in Provinciis facta nequeat probari. 5. Recenter editæ Bullæ non alibi, quam Romæ promulgantur. 6. Regulæ Cancellariæ in partibus numquam publicatæ sunt, & omnes causæ juxta Constitutiones Romæ promulgatas decidunt. 7. Decreta Concilii Trid. mox post confirmationem Romæ obli-

obligare cœperunt. Alibi 1. Maji 1564., ut constat ex Bulla Pii IV. *Sicut ad sacrorum*.

Contrariam defendunt *Navarrus* c. 23. n. 44. in Manuali, *Sotus* L. 1. de Just. q. 1. a. 4. *Molina*, *Reiffenst.*, *Franc. Schmier* L. 1. T. 1. c. 5. n. 202. & alii. *Ratio* Eorum est: quia, quando jus Canonicum circa aliquam rem nihil decernit, vel dubie, jus vero civile circa illam disponit clare, tunc sequi oportet jus civile etiam in foro Ecclesiastico, modo jus civile nihil disponat in re spirituali, aut contra immunitatem Ecclesiasticam, quam regulam DD. desumunt ex c. 1. de N. O. N.: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari: ita & sacrorum Statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur*. *Confirm.* 1. Motivum, quod Imperatorem impulit ad statuendam promulgationem in singulis Provinciis, & terminum duorum mensium, æque procedit in lege & foro Ecclesiastico; scil. ne confusio oriatur in Republica, si aliqui citius obligentur, quam alii, quæ ratio etiam ab Adversariis admittitur in legibus irritantibus & revocatoriis privilegiorum &c. *Confir.* 2. ex Bulla Pii IV. supra cit. *Sicut ad sacrorum*, ubi Pontifex vult, Decreta Concilii Trid. non obligare ante Kal. Maji, & subjungit rationem: *Quia jure etiam communi sancitum est, ut Constitutiones novæ vim nonnisi post certum tempus obtineat* &c. Ergo Constitutio Nov. 66. non tantum generali receptione a jure Ecclesiastico assumpta, sed hac speciali Constitutione probata videtur. Ita *Franc. Schmier* n. 204. Idem rationes Patris *Cardenas*, qui post damnatas ab *Alexandro VII.* propositiones vocat hanc sententiam non amplius probabilem, egregie solvit l. c. n. 43. cum *P. Krimer*.

154. Ex probabilitate hujus sententiæ posset se quis in praxi pro foro interno resolvere, quod non peccet, agendo contra legem Ecclesiasticam, ante factam in sua Diœcesi promulgationem, item ante elapsos duos menses; excipe tamen, si lex foret de re fidei, v. g. si Romæ aliqua sententia tamquam hæretica esset damnata. Dixi: *pro foro interno*; pro externo enim parum vel nihil juvabit illa resolutio, si quis non possit probare ignorantiam legis.

155. III. *Laym.* l. c. n. 7. affirmat cum *Suar. Soto*, *Molina*, quod non tantum civilis, sed etiam Pontificia, quæ infirmat contractus alioquin jure naturali subsistentes, vel quæ aufert jurisdictionem. v. g. in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, benigna interpretatione censeri debeat non prius obligare, quam in Diœcesibus promulgata sit. *Ratio* est: quod alias tales leges in multorum detrimentum cederent, qui invincibiliter earum ignorantia laborantes tales contractus inirent, vel a Sacerdotibus non approbatis sacramentalem absolutionem peterent.

156. IV. Quoad leges inferiorum Principum, sufficit, eas pro-

promulgari in principaliori loco; & ſtatim a promulgatione ante lapſum menſium obligant omnes earum notitiam habentes. De his intellige c. 1. *de Poſtul. Prælat.* Sufficit, ut ad Conſtitutionis obſervantiam teneatur, qui noverit eam ſolemniter editam. *Engel*, *Laym.* l. c. Ubi addit: quare inſpiciendum eſt, quid vel propria lege vel conſuetudine ſingulorum Regnorum, Ducatuum, civitatum hac in re ſit receptum.

Casus II.

De Acceptatione Legis.

Archelaus offenſus a ſubditis, mox legem juſtam de ſe & rationabilem fert, quam tamen ſubditi non acceptant, eoquod ſibi perſuadeant, hanc legem ex odio latam.

157. *Quær.* I. An peccent ſubditi non acceptando hanc legem de ſe juſtam? R. *Affirmative*, ex rationibus n. 144. allatis. Neque ſuſpicio illa de odio eſt rationabilis cauſa excuſans a juſta lege; ſicut ſiniſtra intentio Judicis non deſtruit valorem ſententiæ, ſi iſta cæteroquin juſta ſit.

158. *Quær.* II. Si ſubditi putent, ſe habere juſtum gravamen contra legem, aut legem repugnare juribus patriæ, aut eam eſſe nimis ſeveram, quid agendum? R. Poterunt appellare, ſi Legislator Superiorem habeat; ſi vero independens vel ſupremus ſit, potuerunt ſupplicare contra legem; quia poteſt præſumi, quod Legislator difficultates neſciverit, vel eas non conſideraverit. Pendente vero appellatione vel ſupplicatione ſaltem ex præſumpto conſenſu Legislatoris ſuſpenditur obligatio legis. Ita *Bonac. Fabri*, *Leſſius*, *Card.* apud *La Croix* n. 639. contra *Palao*, *Vaſq.* & alios.

159. Porro *adverte* I. Si Legislator populi repugnantiam ſciat, & conniveat non urgendo legis executionem, cenſetur legem revocare tamquam ſubditis nimis difficilem & incommodam. 2. Si vero ignoret, durat obligatio legis, donec legitimæ præſcriptionis tempus decurratur. Ita *Laym.* c. 3. de LL. n. 3., ubi excuſat eum etiam ante expletum tempus præſcriptionis, qui ad acceptandam legem paratus eſt, & data occaſione eam obſervat, cum interim alii plerique eam non acceptant, eoquod æquitas permittere non videatur, ut hic ſolus vel cum paucis legem communiter non receptam longo tempore obſervare debeat. 3. Si vero, non obſtante ſupplicatione, Superior urget legis executionem, tunc potius firmatur, quam revocatur, lex modo non ſit aperte injuſta; adeoque manet obligatio.

160. II. Etſi primi, qui legem Pontificiam ſine juſta cauſa non acceptarunt, peccaverint; ſucceſſores tamen illam poſt longum tempus non obſervando, non peccant; quia talis lex lon-

longo tempore non acceptata censetur per non usum abrogata. *Busemb. Reinffest.*

III. Si quædam Diœceses aut Regna gaudent privilegio (quale juxta *Gobat* sibi arrogat Gallia, &, teste *Bauny*, Belgium) quod leges Pontificiæ promulgari vel obligare non possint sine placito & approbatione Regis; tum illæ per accidens non obligant ex privilegio ipsorummet summorum Pontificum, ut ait *La Croix* L. 1. n. 635.

161. Denique quando Ecclesia præcipit actum externum pro cultu Divino, v. g. auditionem Missæ, recitationem Breviarii, necessario videtur simul præcipue saltem aliquam attentionem ex parte intellectus. *Sporer* t. 1. proœm. c. 3. n. 41. & 42. plura, quando de his specialiter agendum, uti & de hæresi interna, simonia & usura pure mentali.

Casus III.

De Actibus internis.

Adrianus Generalis cujusdam Ordinis Religiosi ex rationibus urgentibus, consentientibus etiam Definitoribus Ordinis, sub obedientia præcipit subditis suis meditationem horariam de vita Christi singulis diebus peragendam. Onuphrius Procurator cujusdam Monasterii diu meditationem omittit, ratus, id non posse Superiorem præcipere, eoquod meditatio sit actus mere internus; dum vero alios advertit statuta hora devotissime meditantes, angitur in conscientia, & omissionem confitetur. Hinc a Confessario monetur, nunquam posthac omittere meditationem, & jubetur pro pœnitentia eodem adhuc die per quadrantem meditari de inferno.

162. *Quær.* I. An Superior Ordinis Religiosi possit percipere actus mere internos, v. g. meditationem? R. *Affirmative:* quia talis potestas vi voti obedientiæ ei competit, qua se subditi implicite obligant ad ea mandata acceptanda, quæ superiori ad conservandum institutum necessaria, bono Ordinis convenientia, & ad perfectionem consequendam conducentia visa fuerint. *Gobat* t. 5. n. 189. id confirmat ex ipsis Congregationum, Capitulorumque Institutis, ac variorum Ordinum Decretis.

163. *Quær.* II. An Confessarius possit injungere actus mere internos? R. *Affirm.* quia licet ceteroquin potestatem legislativam non habeat, hanc tamen exercet nomine Dei.

164. *Adverte* porro I. Materia legis humanæ non tantum sunt actus externi variarum virtutum, sed etiam alioquin indifferentes, quando necessarii vel utiles fiunt ad finem a Legislatore intentum, & ad bonum commune temporale vel spirituale; tunc enim non manent indifferentes; sed ex fine fiunt honesti.

165. II. Consilia Evangelica *absolute* præcipi non possunt, tum quia Christus illa libera esse voluit, tum quia respectu multo-

rum sunt nimis ardua. Dixi *absolute*: nam conditionate tantum Ecclesia præcipit continentiam, si quis velit suscipere sacros ordines; Religiosi autem libere se per votum obligationi subjiciunt.

166. III. Non omnia peccata externa ab humana potestate executive prohiberi possunt, tum propter imbecillitatem humanam, tum propter evitanda mala majora. Merito autem prohibentur graviora, humanæ societati magis nociva, & a quibus major pars communitatis abstinere potest. *Laym.* de LL. c. 4. n. 2. cum *S. Thom.*

CAPUT II.

De Obligatione & Subjecto Legis humanæ, item de modo implendi Legem.

§. I.

Prænotanda de Jurisdictione in genere, item de Causa efficiente, & Interpretatione Legum.

167. Jurisdictio, juxta *Lay.* de LL. c. 5., & *Molin.* t. 5. de Just. Disp. 2., est facultas alicujus habentis publicam auctoritatem & eminentiam super alios ad eorum regimen & gubernationem. *L.* 1. §. 4. *ff. de suspect. tut.* in genere vocatur *Officium juris dicendi*. Actus præcipui jurisdictionis sunt leges condere, in iis dispensare, præcipere, judicare, punire, Ministros publicos creare, pupillis Tutores dare, minores, atque Ecclesias læsas in integrum restituere, item Sacramenta ministrare &c. *Reiffenst. primo* jurisdictionem humanam dividit in *Ecclesiasticam*, quæ circa causas ad Dei cultum & bonum spirituale versatur, alia quidem exercetur in foro externo, alia in interno seu conscientiæ & sacramentali. Et in *civilem* vel *politicam*, quæ versatur circa causas profanas, & temporalem Reipublicæ gubernationem proxime respicit. 2. In *contentiosam*, quæ exercetur in invitum; ad hanc juxta *Laym.* l. c. n. 3. pertinet leges condere, præcipere, punire, causas tum civiles, tum criminales definire, quæ proprium tribunal postulant; hinc a partium contentione *contentiosum* vocatur. Et in *voluntariam*, quæ exercetur inter volentes & consentientes; ad hanc pertinet legitimare, adoptare, dispensare, beneficium conferre, Sacramenta ministrare &c. 3. In *ordinariam*, quæ alicui jure proprio ratione officii aut dignitatis suæ ex lege, consuetudine vel canone competit. Et in *delegatam*, quam quis non habet ex jure proprio aut ratione officii, sed ex commissione alterius, cujus vice fungitur. Plura de his *Canonistæ* in L. 1. Decret. tit. 19.

168. II.

168. II. Leges Ecclesiasticas obligantes totam Ecclesiam potest condere 1. solus summus Pontifex, quia huic soli tanquam legitimo Successori D. Petri in primatu a Christo data est potestas gubernandi totam Ecclesiam, juxta illud Matth. 16.: *Tibi dabo claves ... quodcumque ligaveris* &c. *Confirm.* ex c. in Novo Testamento 2. Dist. 21. 2. Concilia Generalia possunt statuere leges universales pro tota Ecclesia, si illis accedat authoritas Papæ.

169. III. Leges particulares condere possunt 1. Cardinales pro Ecclesiis suorum titulorum, *c. His quæ* 11. *de Maj. & obed.* 2. Legati Sedis Apostolicæ in Provincia suæ Legationis. *c. fin. de offic. Legati*. 3. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, singuli pro sua particulari Diœcesi. *c. 2. de Maj. & obed. c. 2. de constit. in 6.* 4. Abbates & Prælati exempti pro suo territorio, in quo exercent jurisdictionem quasi Episcopalem. Plura apud Canonistas. *Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 4. a n. 61. usque 117.

170. IV. Leges civiles totum Imperium Romanum obligantes condit Imperator, quamvis non sine consensu Statuum, ut patet ex *Instrum. pacis Westphal. a.* 8. §. *gaudeant* 2. Eandem potestatem ferendi leges universales pro suis Provinciis habent Reges, aliique Principes Superiorem non agnoscentes, vel cum vel sine consensu Parlamenti aut Procerum, prout cujuslibet Regni consuetudo aut capitulationes exigunt. Idem dicendum de Regina, si sit Moderatrix & Domina Regni. *c. 4. de arbit.* Idem de qualibet Republica, quæ Superiorem non agnoscit. Leges civiles particulares pro suis territoriis condere possunt Principes & Status Imperii Rom.; hinc illud vulgatum: *Quivis Imperii Status tantum potest in suo territorio, quantum Imperator in suo Imperio*. Vide *Fr. Schmier* l. c. c. 7. a n. 51. usque 69. de jurisdict. civili, *Laym.* l. c. c. 8.

171. V. *Interpretatio* est genuina Legis explicatio aut declaratio juxta eam significationem, quam intendit Legislator. *Fr. Schmier* T. præamb. c. 3. n. 1. ib. n. 2. Dividitur in Authenticam & Doctrinalem. *Authentica* (quæ etiam *necessaria* vocatur, quia ei necessario est acquiescendum) vel est *legalis*, qua per expressam legem a Legislatore, Superiore, vel ejus successore sensus antea latæ legis explanatur. De hac *c. inter alia, de sent. excomm.* habetur: *Unde jus prodit, interpretatio quoque procedat*. Vel *usualis*, qua ex usu & consuetudine sive observantia sensus legis colligitur. *Doctrinalis*, quam faciunt Judices & Doctores. Hæc facit probabilitatem, non vero necessitatem, nisi omnes Doctores consentiant, ac alia fundamenta juris non suppetant. Doctrinalis iterum alia est *simplex*, sive *verbalis*, qua verba, prout jacent, in vera significatione exponuntur. Alia *modificata* vel *comprehensiva*, qua id omne, quod verborum proprietate continetur, intelligitur, licet explicite non fuerit positum. Vel *extensiva*, qua lex quoad terminos angusta, ad objecta vel sub-

jecta nova, personas aut res extenditur. Vel *restrictiva*, qua verba cæteroquin generalia ad certas tantum res aut personas coarctantur. Vide *Suarez* L. 6. de LL. a c. 1. usque ad 6.

172. VI. *Epikeja* est æqua & rationabilis interpretatio, quod lex in aliquo particulari casu non obliget, licet verbis universalioribus a Legislatore dictata sit, v. g. si furioso non reddas depositum gladium casu, quo ex furore se ipsum vel alium occisurus timeri prudenter posset, etsi lex generaliter dictet, depositum esse reddendum. Differt ab *interpretatione*, quod interpretatio exponat verba obscura, epikeja autem dictet, recte agi contra clara verba legis. Differt etiam a *præsumptione* licentiæ, quia hæc supponit, legem etiam ad hunc casum se extendere, & obligaturam fuisse, nisi aliqua Superioris licentia haberetur, quam prudenter daturus hic & nunc præsumitur, si interrogaretur. Epikeja autem dictat, mentem Legislatoris non voluisse comprehendere hunc vel illum casum, quamvis alias verbis claris comprehensum.

§. II.

Principia practica de obligatione & subjecto Legis.

173. Princ. I. *Omnis lex humana tum Ecclesiastica, tum civilis obligat saltem ad aliquid non tantum in foro externo, sive sub culpa juridica, sed etiam in conscientia, sive sub peccato coram Deo, eoque levi vel gravi, prout vel materiæ gravitas, vel rei præceptæ ad finem intentum necessitas permittit, & Legislatoris voluntas statuit.*

Prob. 1. ex *S. Th.*, qui 1. 2. q. 96. a. 4. in ∞ ait: *Leges humanæ, si justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ.*

Prob. 2. ex *Script.* & *ratione*. Legislator utitur potestate a Deo tradita, Leges condit nomine & authoritate Dei, cujus vices gerit, juxta c. 8. v. 15. Proverb.: *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt.* Et juxta Apost. ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo.* v. 2.: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* v. 5.: *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ergo Legislatori humano justa præcipienti non minus parendum est sub peccato, quam si Deus per se ipsum præciperet. *Confir.* 1. Hæc obligatio in conscientia maxime est necessaria, quia alias subditi impune leges violarent, quamdiu transgressio videretur non manifestanda; id quod frequentissimum esset. *Confir.* 2. Ipsa ratio dictat, obtemperandum esse justa statuentibus; ergo sive obliget ad actum, sive ad pœnam, Legislatori in conscientia obtemperandum est; alias ageretur contra rectam rationem; hinc illud Brocardicon; *Lex justa in foro externo est justa in foro interno.* Dixi *ad aliquid*:

quid: scil. ad id, ad quod Legislator vult obligare; atqui per quam libet legem vult obligare ad aliquid, alias non ferret legem, sed consilium: ergo. Sic per legem mere *præceptivam* obligat ad actum, per *prohibitivam* ad ejus omissionem, per mere *pœnalem* ad pœnam acceptandam, per *copulative mixtam* ad utrumque, per *disjunctive mixtam* ad alterutrum.

174. Principium II. *Perfectius quidem agit, qui ex motivo charitatis aut obedientiæ &c. legem implet, non tamen requiritur necessario* 1. *ut lex impleatur ex charitate, nisi hanc in substantia includat*. Patet ex propos. 16. Bajana damnata a Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate*. Ad hoc autem, ut impletio sit meritoria, requiritur charitas, sive status gratiæ in operante. Huc tendit illud 1. Cor. 13.: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans*.

2. *Nec requiritur intentio implendi præceptum*, sive obedientia *formalis*; quia Legislator non præcipit actum, quo quis velit satisfacere præcepto; sed tantum præcipit liberam operis externi executionem aut omissionem actus prohibiti. Sic qui devote audit Sacrum, ignorans esse diem festum, satisfacit præcepto, nec tenetur aliud postea audire, quando intelligit, esse diem festum, quia libere fecit id, quod lex statuit. *Babenst.* T. 3. d. 3. de LL. a. 1. n. 9. & 11. *Azor*, *Palao*, & alii commun. Pariter vota & juramenta vere implentur ab eo, qui opera promissa vel injunctam pœnitentiam exequitur, etiamsi non habeat intentionem implendi, modo ea non applicet pro alia re; quia vota vel injuncta pœnitentia sunt quodammodo leges particulares, quas homo sibi vel alteri imponit: hinc tantum obligant ad substantiam actus. *Busemb.* L. 1. t. 2. c. 2. dub. 2. cum *Suar. Less. Laym.*

3. *Ad implendum præceptum affirmativum, quod saltem concomitanter imperat actum humanum & liberum, requiritur intentio sive voluntas faciendi id, quod præceptum est*, v. g. audiendi Sacrum, recitandi horas canonicas &c. *Talis intentio non requiritur ad præceptum negativum, qua scil. velis omittere actum prohibitum, sed sufficit nuda actus prohibiti omissio. Ratio primi* est: quia tale præceptum affirmativum hoc ipso præcipit actum humano modo ponendum: atqui opus humano modo non potest fieri, nisi adsit saltem aliqua applicatio mentis, qua quis intendit ponere illud, quod præcipitur: ergo. Hinc ebrius aut dormiens per totum Sacrum non satisfacit præcepto. *Laym.* de LL. c. 4. n. 9. cum *Soto*, *Medina*, *Suarez*, & aliis. Aliqua vero præcepta affirmativa versantur circa actiones, quæ in sui executione non includunt voluntarium & liberum, his satisfieri potest sine actu libero; quia ab his simpliciter præcipitur substantia rei; sic qui in ebrietate restituit rem alienam, satisfacit

suæ obligationi, quia fecit id, quod imperabat justitia, posita enim tali restitutione, habetur adæquatio inter jus activum unius & passivum alterius, quæ adæquatio est finis a justitia intentus. *Laym.* l. c. n. 10., *La Croix* de LL. n. 695. *Ratio secundi* est: quia præceptum negativum plus non intendit, quam omissionem hujus vel illius operis, quæ potest haberi sine ulla intentione; unde dormiens tota die jejunii implet quidem præceptum, sed non meritorie, quia, ut addit *Taberna* t. 4. c. 6. q. 1., ut observatio præcepti etiam negativi sit meritoria, requiritur aliqua intentio ex motivo aliquo honesto.

175. Princip. III. *Potest quis uno actu diversa præcepta simul implere, nisi aliud colligatur ex mente præcipientis. Item potest quis eodem tempore diversis actibus duplici præcepto satisfacere, dummodo unum non impediat alterum, & materiæ legum ex se non sint incompatibiles. Sanch.* L. 1. op. mor. c. 14. n. 5. & 11., *Bonac. Reiffenst.*, & alii passim. Primum patet ex praxi, qui enim obligatur ad horas canonicas ratione Ordinis & beneficii, satisfacit una recitatione; quando Dominica & Festum incidunt in eundem diem, non teneris audire duo Sacra: quando eodem die concurrit præceptum jejunii ob festum sequens, & ob diem quatuor temporum, nequidem potes bis jejunare: ergo. *Ratio secundi* est: quia plerumque temporis diversitas non præcipitur. Teste *Sanchez* l. c. faretur fere universi DD., posse quempiam tempore, quod Missam in festo præceptam audit, recitare horas canonicas vel alias preces, ad quas ratione voti aut pœnitentiæ injunctæ tenetur.

176. Princip. IV. De subjecto legis, sive de iis, qui obligantur legibus, communiter traduntur sequentia: In genere loquendo, *soli subditi rationis compotes obligantur legibus. Ratio primi* est, quia Superior non habet potestatem præcipiendi, nisi suis subditis: ergo etiam nonnisi ejus subditi habent obligationem obediendi. *Ratio secundi* est: quia ad hoc, ut quis obligetur, requiritur, ut sit liber & capax cognitionis ac directionis: atqui soli rationis compotes sunt liberi & capaces cognitionis ac directionis: ergo.

177. *Infertur* 1. Legislator neque quoad vim coactivam, ita ut incurrat pœnam a se statutam, neque directe quoad vim directivam sive in conscientia, sed tantum indirecte ex decentia naturali obligatur legibus propriis. *S. Thom.* quæst. 96. art. 5. ad 3., *Reiffenst.* ad tit. de Constit. num. 268. & *communis* quoad primum; quoad secundum *Babenst.* Tract. 3. disput. 2. art. 4. num. 4. cum *Sayro*, *Mezger*, & aliis. *Ratio* est: quia duplex hæc obligatio est effectus jurisdictionis & superioritatis: hanc autem nemo habet in se ipsum, nisi indirecte ex æquitate naturali, qua tenetur se conformare communitati, cujus ipse caput est; turpis enim est pars maxime principalis suo toti dis-

disconveniens. Juxta *Bonac.*, *Lessium*, *Azor* & *Palao* Princeps, secluso scandalo & turbatione populi, propriam infringens legem, peccat tantum venialiter, eoquod videatur esse levis deordinatio. *Laymann* de LL. c. 9. n. 3. sub finem ait: quare facilius a mortali peccato excusari poterit Legislator, si legem propriam violet, scandalo cessante. Econtra *Babenst.* t. 3. d. 2. a. 3. num. 6. affirmat, quod Princeps transgrediendo suam legem in materia gravi peccat mortaliter, etiam secluso scandalo. Dixi: *Legibus propriis*; si enim jus divinum vel naturale idem præcipiant, quod præcepit Legislator, etiam ipse instat aliorum subditorum obedire tenetur Deo & naturæ. *Adverte* tamen, quod resolutio sit intelligenda de legislatore absoluto, non vero de iis, qui tantum habent jus suffragii in ferendis legibus, tum enim communitas vel Capitulum aut Synodus censetur esse Legislator, singulis autem convenit illud: *Patere legem, quam tu ipse tuleris*, c. 6. de Constit. Idem dicendum est de Optimatibus & civibus in statu Democratico & Aristocratico; quivis enim horum est verus subditus respectu totius communitatis.

178. *Infertur Secundo*. Clerici & Regulares quoad vim coactivam seu punitivam non obligantur legibus civilibus. *Suarez* L. 3. de LL. c. 34. *Laymann* de LL. c. 13. n. 4. *Babenst.* & *Reiffenst.* vocant hanc sententiam certam & communem. Neque quoad vim directivam directe, hoc est, præcise vi legis sive potestatis civilis, sed indirecte. Hanc sententiam *Laymann* l. c. num. 6. vocat probabiliorem & expeditiorem. *Suarez* l. c. *Azor* T. 1. L. 5. c. 12. q. 3., *Babenst.* & alii contra *Castropal.* t. 3. disp. 1. punct. 24. §. 6. n. 6., & alios, qui volunt, quod directe obligentur. Idem contra *Navarrum*, qui vult, quod per se nequidem indirecte obligentur. Dixi *non directe*; quia legislator civilis nullam habet jurisdictionem in Clericos & Regulares, ut patet ex c. *Ecclesia*, de Constit., ubi expresse innuitur, *quod Laicis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas*. Item ex Concilio Lateranensi sub *Leone X.* Sess. 9. in Bulla, quæ incipit: *Supernæ dispositionis* .... diserte legitur: *Cum a jure tam divino, quam humano Laicis nulla potestas in personas Ecclesiasticas sit attributa*. *Indirecte* autem obligantur ex decentia & æquitate naturali, vi cujus pro bono pacis communis pars communitatis (qualis etiam sunt Clerici & Regulares) tenetur se conformare reliquis. Loquimur autem de iis tantum legibus, quæ sunt necessariæ bono communi, illudque immediate & per se respiciunt, & non adversantur immunitati Ecclesiasticæ; quales sunt leges de non vendendis frugibus extra patriam, de non advehendis mercibus peregrinis, de communi taxa &c., addit *Suarez* l. c. num. 13., & *Laymann* hanc obligationem inde etiam oriri, quod ex illa æqtitate naturali

commoti Prælati Ecclesiastici, leges ejusmodi civiles justas approbent. Imo patet ex praxi, quod Clerici delinquentes contra tales leges puniantur, si deferantur ad forum Ecclesiasticum.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

De Obligatione Legis.

Agathocles Princeps, audiens, vinum indigenam a plurimis variorum liquorum & aromatum commixtione ita corrumpi, ut œnopolæ vicini ab eo abhorreant. Ad hunc rumorem sopiendum, & grave damnum incolarum avertendum severissime prohibet illam fraudulentam artem meliorandi vinum. Aglaus audiens, œnopolas propediem adventuros, lucri cupidus, artem suam, spreta lege, probat, vinumque satis austerum dulce reddit.

179. *Quæres* I. An Aglaus graviter peccaverit? R. Si lex fuerit absolute prohibitiva, & non mere pœnalis, graviter peccavit, tum ob transgressionem justæ & gravis legis, tum quia aliorum vina novæ infamiæ graviter damnosæ exposuit, præscidendo de damno, quod forte emptoribus simul intulit.

180. *Quæres* II. Unde colligatur, an lex sit præceptiva, vel mere pœnalis? R. Præter dicta n. 139. *advertendum*: Si Legislator utatur verbis mere præceptivis aut prohibitivis, e. g. *Præcipimus severissime, ut frumenta hoc vel illo tantum pretio vendantur*, censetur esse lex præceptiva. Item: *Severissime prohibemur, ne vinum alienis liquoribus, aut aromatum commixtione alteretur, aut ne frumenta extra patriam evehantur*, est mere prohibitiva, nisi vel ex consuetudine loci, vel aliunde alia mens Legislatoris sciatur. Si nihil directe præcipiat vel prohibeat, sed tantum pœnam imponat iis, qui hoc vel illud fecerint vel omiserint, v. g. *Qui noctu per plateas armatus incesserit, incarcerabitur*; est pure pœnalis. Si vero præcipiat aut prohibeat aliquid, & simul pœnam transgressoribus infligendam subjungat, v. g. *Severissime prohibemus, ne quis fruges ad exteros evehat; qui vero evexerit, e patria proscribetur*. Vel hoc modo, ut ait *Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 1. n. 239.: *Nullus frumentum evehat ex Provincia, aut qui evehere tentaverit, pro arbitrio Judicis pœnas dabit*. Hisce modis significatur lex mixta. Quia autem non facile determinari potest regula generali positiva, quænam verba legem tantum præceptivam indicent, ideo placet regula *Suarezii* generalis negativa, quam tradit L. 5. de LL. c. 4. n. 5., ubi ait: *Quoties per verba legis pœnalis non declaratur sufficienter proprium præceptum obligans ad actum vel omissionem ejus, præ-*

præsumendum est, esse legem pure pœnalem, nisi pœna legis intrinsece supponat culpam theologicam, qualis est pœna excommunicationis majoris &c. Objectiones Adversariorum, præsertim *Navarri* in Summa c. 23. a n. 55., & aliorum, qui volunt, quod Legislatores civiles sæpe non cogitent de obligatione in conscientia, contenti sola obligatione ad pœnam, apte solvit *Franc. Schmier* l. c. a num. 258.

Casus II.

Agamemnon Belli dux sub pœna laquei prohibet, ne quis militum ex hortis prope castra vel pomum auferat. Quidam vero milites fame impulsi, ex horto vicino poma, lactucam, & alia auferunt; deprehensi altera statim die e proxima arbore suspenduntur.

181. *Quæres* I. An hæc lex, tantillam rem prohibens, sub pœna capitis sit juxta? R. Ex supposito, quod aliunde militibus de necessario victu fuerit provisum, eamque Belli dux tulerit ex gravi motivo, v. g. ad servandam disciplinam militarem, famamque totius exercitus, aut ad præcavenda mala majora, fuit justa & obligans, ut dicetur in Q. seq. *Laym.* L. 1. t. 4. c. 14. n. 3.

182. *Quæres* II. Quid requiratur, ut leges humanæ obligent graviter? R. 1. Requiritur, ut sint circa materiam gravem. Recte hic monet *Laym.* l. c.: Ne quis circa materiæ qualitatem fallatur, oportet eam spectare non nude, sed cum omnibus circumstantiis, potissimum cum fine; absolute enim leve potest fieri grave ratione circumstantiarum, v. g. ratione servandæ communis pacis, vel alterius magni boni communis, item ratione gravis contemptus, scandali &c.

Porro gravitas materiæ respectu omnium legum desumi potest 1. ex repugnantia, quam res habet cum natura rationali; hæc an gravis sit vel levis, determinandum est ex prudentum judicio. 2. Ex repugnantia gravi vel levi cum charitate erga Deum, proximum, aut se ipsum. 3. Ex scriptura, quæ gravem materiam denotat, addendo illi communicationem damnationis æternæ. 4. Ex verbis legis, & gravi pœna adjecta, v. g. excommunicatione majore, depositione &c. 5. Ex authoritate Patrum & Ecclesiæ, vel ex communi TT. & timoratorum sensu. 6. Ex fine legis, qui si sit magni momenti, & materia multum conducat ad illum finem, erit gravis materia. *La Croix* de LL. n. 666.

183. *Quæres* III. An transgressio legis humanæ ex formali contemptu sit graviter peccaminosa, etsi lex ipsa sit de re levi? Respondet *Suarez* L. 3. de LL. c. 20. n. 22. 23. & 24. 1. Transgredi legem ex contemptu rei præceptæ, non semper est peccatum mortale, sed tantum ex gravitate materiæ, vel ex culpabili errore in doctrina, v. g. si quis contemneret transgressionem

ex se

ex se levem, quia putat, peccatum veniale non esse dignum pœna apud Deum: item si quis contemnat consilia Evangelica tanquam inutilia. 2. Transgredi legem humanam ex contemptu formali Legislatoris, quatenus Superior est, semper est peccatum grave; quia tunc contemnitur ut vicem gerens Dei, & ideo redundat in contemptum Dei, justa illud Luc. 10.: *Qui vos spernit, me spernit*. Contemptus autem Legislatoris, ut homo est, & habens defectus suos, potest esse veniale peccatum ex levitate materiæ: quia sic non contemnitur ejus potestas. Transgredi autem legem Dei ex contemptu Legislatoris, semper est grave peccatum.

184. *Quæres* IV. Unde colligendum sit, quod Legislator intendat obligare graviter? R. 1. Si utatur verbis severe præceptivis, v. g. *Præcipio in virtute sanctæ obedientiæ, vel qua Superior, sub interminatione divini judicii* &c. 2. Si præcepto magnam pœnam adjiciat. 3. Ex usu & sensu prudentum, denique ex fine, ad quem præcipit, vel prohibet aliquid.

185. *Adverte* I. Si utatur Legislator verbis de se quidem præceptivis, ita tamen, ut in iisdem non exprimatur vera voluntas obligandi subditos in conscientia, v. g. *Jubemus, volumus, nolumus* &c. tunc ejusmodi sanctiones nec sunt leges, nec mera consilia; sed simplices constitutiones & ordinationes, sive regulæ directivæ; cujusmodi sunt pleraque statuta religiosorum Ordinum (exceptis iis, quæ directe connexa sunt cum votis) Academiarum &c. *Babenst.* t. 3. d. 2. a. 1. n. 6. cum *S. Th.*

186. II. Transgrediens non peccat graviter si Superior sub mortali præcipiat, vel prohibeat rem levem tum ratione sui, tum ratione circumstantiarum, v. g. claudere ostium, servare silentium, aut decerpere fructum; quia non est in potestate Superioris humani, obligare sub mortali in materia absolute & respective levi. Nec probat quidquam, quod Deus rem levem prohibuerit Adamo; quia illa abstinentia a cibo vetito imposita fuit in recognitionem obedientiæ Deo supremo Domino debitæ, & quasi in tributum humanæ subjectionis ad Deum; sub quibus rationibus præceptum illud gravissimum erat. Nec comparanda est potestas hominis cum divina & suprema potestate. *Suarez* L. 3. de LL. c. 26. n. 2.

187. II. Probabilius res gravis potest præcipi, vel prohiberi leviter; quia talis materia est capax nullius obligationis; posset enim Legislator eam non præcipere, vel prohibere: ergo etiam est capax levis tantum obligationis *Suarez* l. c. c. 27. n. 7. *Palao, La Croix* de LL. n. 668. contra *Reginald.*, *Rhodes* & alios.

188. IV. Leges tributorum & vectigalium non tantum sunt pœnales, sed probabilius obligant in conscientia ad eorum solutionem, tametsi non exigantur. *Suarez* L. 5. de LL. c. 18. n. 6. *Laym.* L. 3. t. 3. p. 1. c. 3. n. 5. *Babenst.* l. c. n. 7., qui tamen cum

Sylv.

Sylv. & Laym. monet, defraudatorem tributi & vectigalis maxime noviter impositi in Confessionali non esse facile condemnandum gravis peccati, & restitutionis, uti nec pœnæ subeundæ ante sententiam Judicis; tum quia multæ requiruntur conditiones, ut ejusmodi onera juste imponantur; tum quia sententia docens, ejusmodi Leges, quibus imponuntur tributa & vectigalia, esse mere pœnales, est adhuc vere probabilis. Vide *Carden.* T. 1. d. 16. c. 6. n. 69.

Casus III.

Arcadius occidit Cajum in aliqua civitate, ubi lege sancitum erat, homicidam ipso facto omnibus bonis suis in commodum hæredum occisi orbandum esse, ipsumque capite plectendum. Post duos annos Arcadius proditur, & capitis damnatur; ipse vero effracto carcere fugit; quamvis prævideat, quod custodes periculo gravissimi damni exponat.

189. *Quæres* I. An Arcadius ante sententiam Judicis tuta conscientia bona sua servare, iisque frui potuerit? R. *Affirmative*. Ratio patebit in Q. seq.; item ex verbo legis: *orbandum esse*. *Pontas* V. *Lex.* casu 8.

190. *Quæres* II. An lex pœnalis ante, vel post Judicis sententiam obliget ad subeundam pœnam? R. Præter dicta n. 140. 1. Quando pœna sive spiritualis, sive temporalis est ferendæ sententiæ, lex pœnalis non obligat in conscientia ante sententiam condemnatoriam. Quia tempus obligationis non minus, quam illius substantia pendet a voluntate Legislatoris. *Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 1. n. 268. cum communi.

2. Quando pœna temporalis, & positiva est latæ sententiæ, lex pœnalis non obligat ad subeundam pœnam ante sententiam declaratoriam criminis. *Suarez* L. 5. de LL. c. 7. a n. 5., *Palao* de LL. disp. 2. puncto 2. n. 9. *Haunoldus* de J. & J. t. 1. n. 98., *Schmier* l. c. n. 269. *Prob.* ex c. *cum secundum* 19. de Hæreticis in 6. Ubi confiscatio bonorum tanquam pœna positiva ipso jure & facto sancitur in HH., & tamen ibid. decernitur, bona Hæreticorum occupari, aut abripi non debere, antequam per Episcopum loci, aliamve personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata. *Confirm.* Leges non debent esse nimis asperæ, sed moribus utentium attemperatæ: tales autem non essent, si ad pœnas temporales & positivas ante sententiam Judicis obstringerent; sequeretur enim, quod reus sæpe deberet esse accusator occulti criminis sui, Judex in propria causa, tortor & carnifex sui ipsius &c. ergo. Exceptionem quidem facit *Suarez* l. c. c. 8. n. 19., quando expresse in lege additur hæc vel similis clausula; *Nulla alia declaratione secuta*, vel *ipso* facto. Probabiliter tamen etiam hanc exceptionem rejiciunt *Covarruv.* de Matrim.

trim. p. 2. c. 6. f. 8. n. 13., *Palao*, *Lessius*. Vide *Fr. Schmier* l. c. n. 273., *Laym.* L. 1. t. 4. c. 15. n. 5.

3. Quando pœna latæ sententiæ est spiritualis, vel negativa, lex pœnalis ante omnem sententiam etiam declaratoriam criminis obligat in conscientia. Primam partem *Suarez* L. 5. de LL. c. 8. vocat sententiam communem. *Prob.* ab usu Ecclesiæ, cujus interest, etiam occultas transgressiones gladio spiritualis imperii coerceri posse. Exemplum habetur in c. *non dubium* 5. de sentent. excomm. Secunda pars *prob.* ex c. *licet* 14. & c. *commissa* 35. de Elect. in 6., ubi de promotis ad beneficia curata cavetur, quod, si intra annum Sacerdotium recipere neglexerint, Ecclesia sibi commissa nulla etiam monitione præmissa, præsentis constitutionis authoritate sint privati. Juxta *Trid.* Sess. 23. c. 1. de reform. intermittens residentiam pro rata temporis absentia fructus suos non facit, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secura, illos detinere sibi potest. *Laym.* l. c. *Fr. Schmier* l. c. a n. 275.

191. *Quæres* III. An Arcadius peccarit fugiendo post latam sententiam? R. *Negative*. *S. Th.* 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. *Suar.* L. 5. de LL. c. 10. n. 2., *Laym.* l. c. c. 5. ad n. 10. *Ratio* S. *Th.* est; *quia nullus ita condemnatur, ut ipse sibi inferat mortem, sed quod mortem ipse patiatur; & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti; quin patiatur, quod justum est, eum pati. Sicut qui condemnatus est, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat.* Scil. reus interdum condemnatur ad agendum, ut contingit in mitioribus pœnis, v. g. ut pecuniam solvat, in carcerem eat &c., interdum ad patiendum videl. pœnas gravioris mortis, mutilationis, perpetuæ captivitatis &c. Excipit tamen *Suarez* Regulares, quibus juste damnatis ad perpetuum carcerem fugere non licet, quia ratione voti obedientiæ tenentur Præsato obedire in omnibus, quæ sunt secundum regulam. Item si quis juramento se obstrinxisset ad manendum.

192. *Qu.* IV. An Arcadius peccaverit rumpendo vincula, effringendo carcerem &c.? R. Non peccavit; cui enim finis licet, ei & media permissa sunt. Damnum custodum ab ipso non intenditur, sed per accidens se habet, dum ipse utitur jure suo. Neque peccat is, qui ad fugam auxilium vel consilium præbet, nisi obstet lex specialis, qualis injungitur custodibus. Neque tamen tenetur talis reus fugere, sed ex amore justitiæ, aut ex caritate, ne custodes damnum patiantur, potest persistere, imo se ipsum Judici ad pœnam promeritam dictandam sistere. *Laymann* loc. cit.

Casus IV.

Augustinus condemnatur a Judice ad solvendum debitum, cum tamen debitor ipse non esset, neque innocentiam suam aperte posset probare; ideoque compensatione occulta rem suam sibi recuperat. Idem matrimonium clandestinum contrahit, cum certus esset, nec subesse fraudem, nec periculum aliud, ex cujus præsumptione Tridentinum irritavit talia matrimonia.

193. *Quæres* I. An Augustinus possit uti compensatione occulta? R. *Affirmative* ex rationibus mox assignandis; & ubi agemus de septimo præcepto Decalogi.

194. *Quæres* II. An peccaverit contrahendo matrimonium clandestinum, ubi receptum est Trid.? R. Peccavit graviter. *Ratio patebit ex seq. resol.*

195. *Quæres* III. Quomodo lex fundata in præsumptione obliget? R. 1. Lex in præsumptione juris, seu periculi generalis fundata (quando scilicet prohibet actum de se periculosum, damnis, fraudibus, & inconvenientiis communiter obnoxium, ac plerumque multis incommodis subjectum) obligat in conscientia, licet in casu particulari præsumptio cesset. *Ratio* est: quia tunc manet motivum & finis legis; nam periculum generale moraliter certum, quod avertere a Republica lex primario intendit, non tollitur uno, alterove casu singulari, quem aliunde non attendunt Leges. *L. 3. 4. & seqq. ff. de* LL. ergo. *Confirmat Suar.* L. 3. de LL. c. 23. n. 6. ex *S. Th.* 2.2. q. 88. a. 9. in c., ubi sic ait: *Leges humanæ attendunt ad ea, quæ frequentius accidunt, & id satis, quod generaliter obligent. Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 1. n. 301., *Mezger* & alii contra *Navarr. Panormit. Cajet.*, contrarii etiam sunt *Laymann* L. 1. t. 4. c. 21. n. 4. *Reiffenst.* L. 1. Decret. tit. 2. n. 170.

R. 2. Lex fundata in præsumptione facti (quæ scilicet ex conjectura determinatæ & particularis circumstantiæ, aut qualitatis pro hoc vel illo casu quidpiam jubet, aut vetat) non obligat in conscientia, quando circumstantia, in cujus præsumptione lex fundatur, cessat. Quia tunc cessat finis & motivum legis; ergo præsumptio cedit veritati. *Suarez* l. c. n. 9., & communissima aliorum.

Casus V.

De modo implendi præcepta.

Adolphus liberiori vitæ assuetus nonnisi semel per annum, festo Paschatis confitetur & communicat, quin tamen intendat satisfacere præcepto. Jejunat abstinendo quidem a carnibus, & bina refectione diebus statutis, quin sentiat, vel intendat mortificationem. Diebus festis Sacro attente quidem interest, plerumque tamen ex vanagloria. Nuper festo B. Virginis mane audierat Sacrum ex devotione

erga

erga B. V., nolens per hoc satisfacere præcepto, sed intendebat aliud adhuc audire, quod postea neglexit.

196. *Quæres* I. An Adolphus satisfecerit præcepto Confessionis & Communionis annuæ? R. *Affirmative*; quia præmissa vera confessione pie communicando fecit id, quod Ecclesia fieri jubet; nec ullibi intentio satisfaciendi præcepto, sive obedientia formalis præcipitur. Secus, si ficte tantum confiteretur, & sacrilege communicaret. Præcipitur enim confessio valida. Vide propos. 14. ab *Alexandro VII.* damnatam.

197. *Quæres* II. An satisfecerit præcepto jejunii? R. *Affirm.* quia virtus, ex cujus motivo ponitur præceptum, non præcipitur ita, ut actus præceptus debeat necessario poni ex motivo illius virtutis. S. *Th.* 1. 2. q. 96. a. 3. ad 2. *Suarez* L. 3. de LL. c. 29. n. 9., ubi resolutionem ita confirmat: Solum id præcipitur, quod in lege exprimitur per modum imperii; atqui lex humana v. g. jejunii non imperat hoc fieri propter illud, sed ut fiat hoc v. g. jejunium: ergo.

198. *Quæres* III. An satisfecerit præcepto audiendi Missam, quando eam audivit ex vana gloria? R. *Affirm.*; quia sola substantia actus humani præcipitur a lege, non autem modus, nisi sit necessarius ad mortalem bonitatem ejusdem actus: ergo licet actus, v. g. auditio Missæ reddatur ex modo vitiosa, adhuc tamen retinet substantiam operis præcepti; ergo per ejus positionem impletur obligatio. *Confirm.* Prava circumstantia, per quam actio extrinsece vitiatur, non obstat, quo minus illa retineat suam objectivam honestatem, quæ sola est objectum præcepti: atqui per vanam gloriam tantum extrinsece vitiatur auditio Missæ: ergo. *Prob. min.* Vana gloria vitiat solum actum voluntatis intrinsece, qui determinat ad executionem auditionis, vel alterius actionis præceptæ; ipsa vero auditio, quæ est objectum legis, retinet suam honestatem objectivam: ergo. *Dixi: nisi modus sit necessarius*, tunc enim non sola substantia, sed etiam modus actionis præcipitur. Sic quando præcipitur attenta auditio Missæ, annua confessio &c., simul præcipitur attentio, dolor internus; sine his enim non potest poni opus præceptum: potest autem esse attenta auditio cum & sine vana gloria: ergo. *Ilsung.* t. 1. D. 2. a. 2. n. 76. *T. Sanch. Palao, Azor. Babenst.* t. 3. a. 1. n. 1.

199. *Quæres* IV. An die festo mane audiens Missam cum expressa intentione tunc non satisfaciendi præcepto, nihilominus impleverit præceptum? Respondet *Laymann* L. 1. t. 4. c. 4. n. 7. *Palao, Babenst.* l. c. n. 16., & alii *affirmative* contra *Nav. Azor.*, quia tunc præstitit id, quod ab Ecclesia præcipitur, ne contraria intentio efficere potest, ut non satisfecerit; vult enim positive attente audire, & audivit Sacrum; ergo hoc posito non est in ejus potestate, ut non satisfaciat, sed necessario consequenter implet præceptum. Ideo hic non potest applicari regula com-

communis, quod actus non operentur ultra intentionem agentium; vera enim tunc est quando actus & effectus est in potestate agentis. *Babenst.* l. c. n. 14. Eodem modo satisfecit obligationi, qui semel attente recitavit Breviarium, etiamsi intenderit adhuc semel repetere. Monet tamen *Laymann* l. c. eum peccare, qui in falsa persuasione manet, quasi præcepto non satisfecerit nisi vel errorem deponat, vel aliam Missam audiat, Breviarium repetat &c. Similiter loquitur de Pœnitentia sacramentali. *Babenst.* l. c. c. 18.

200. Econtra, qui debet alteri centum, non satisfacit obligationi, si ex liberali donatione ei det ducentos florenos: Item qui ex voto tenetur recitare Rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfacit. *Ratio* est: quia tales obligationes dependent, & oriuntur ex voluntate promittentis, qui sicut libere se obligavit, ita in debito libere permanere potest. Obligatio autem parendi legi oritur ex voluntate Legislatoris, quæ non extenditur ultra substantiam operis præcepti, utpote quam unice intendit. *Busemb.* L. 1. t. 2. c. 2. dub. 3. cum *Lessio*, *Laym.* & aliis. De voto aliter loquitur *Palao*.

201. Is, qui prorsus violenter coactus interest templo, dum Sacrum legitur, non satisfacit præcepto, quia ex defectu voluntarii humanum actum non ponit, qui tamen requiritur ad audi-tionem præceptam, nec sola præsentia materialis est id, quod præcipit Ecclesia. Si vero puer ex metu pœnæ Sacrum audiat (non auditurus, si Præceptor abesset) hic præcepto satisfacit, etsi peccet perversa voluntate; quia metus non tollit voluntarium.

Casus VI.

Angelino pro pœnitentia injungitur, ut audiat duo Sacra, & recitet tria Rosaria. Ille per compendium satisfacturus, audit illa duo Sacra simul, cum duo Sacerdotes simul exirent celebraturi. Præterea etiam sub iis recitat duo Rosaria. Alias obligatus eodem die ad recitandum Rosarium ex voto, & pœnitentia, recitat unicum, non determinando, an voto, an pœnitentiæ velit satisfacere.

202. *Quæres* I. An satisfaciat, qui die Dominica audit Sacrum, ad quod obligatur ex pœnitentia? R. *Negative*: quia Confessarius regulariter non injungit opus aliunde jam debitum. Addit *Babenst.* t. 3. Disp. 3. a. 2. n. 7. cum *Sanch. Palao*, *Bonac.* Si Confessarius dicat: Singulis diebus hujus mensis audito Sacrum, non tantum Ecclesiæ, sed etiam Confessarii præcepto satisfacis, si diebus festis unicam audias Missam; quia ex benigna interpretatione, & rationabiliter præsumitur, quod Confessarius te non obligarit ad duo Sacra una die, nisi hoc ipsum expresserit.

203. *Quæres* II. An satisfecerit Angelinus duo Sacra audiendo eodem tempore? Respondet *Babenst.* l. c. n. 11. cum *Palao*

t. 3. D. 3. puncto 20. *Sanchez* & aliis contra *Rosellam*, *Armillam* & alios *affirmative*, ex suppositio, quod ad utrumque Sacrum simul devote attenderit. *Ratio* est: quia simpliciter præstitit id, quod Confessarius injunxit; neque videtur diversitas temporum esse injuncta, nisi aliunde id colligeretur.

204. *Quæres* III. An satisfecerit recitando Rosaria eodem tempore, quo audivit Sacra? R. *Affirm.* quia illi actus se non impediunt, nec injuncta est diversitas temporum. Addit *Palao* l. c. cum *Azor. Henriq. Suar.*, quod potentia intellectiva non sit ita limitata, ut non possit ad Sacrum, & recitationem Rosarii attendere, imo quod sufficiat unica attentio ad Deum, quæ utrique operi convenit. Similiter loquitur de recitatione Breviarii sub Sacro.

205. *Quæres* IV. An recitatione unius Rosarii satisfecerit voto, & Pœnitentiæ? R. *Negat.* quia duplex erat obligatio ex diversis titulis, & motivis. Similiter in materia justitiæ unico actu satisfieri non potest diversis obligationibus; unde Titius, si Cajo debeat centum ex contractu, & iterum centum ex injusta damnificatione, non satisfacit utrique obligationi, solvendo semel centum; quia æqualitas rei ad rem non salvatur per hanc unicam solutionem, quæ tamen unice attenditur a Justitia. In debitis vero legalibus spectatur intentio Legislatoris, qua is unum idemque opus pro pluribus obligationibus implendis acceptare potest, & solet. *Babenst.* l. c. n. 8. cum *Illsung. Palao*, *Reding.*

206. *Quær.* V. An, cum non determinaverit illud Rosarium, satisfecerit voto, an pœnitentiæ? R. *Probabil.* satisfecerit utrique ex parte, quia opus est divisibile. Si autem foret indivisibile, v. g. jejunium, urgentiori v. g. præcepto Ecclesiæ potius, quam voto satisfeciset.

Casus VII.

De Subjecto Legis.

Apollonia Marito suo fere quotidie ebrio, dum diebus Veneris fero domum venit, residuas a die Jovis carnes comedendas præbet, nec cohibet filiolum quinquennem cum patre carnes comedentem. Eadem nutrit perpetuo amentem, quem sæpius ad graves execrationes & blasphemias provocat.

207. *Quæres* I. An ebrii sint subjecti præceptis Ecclesiasticis? R. *Affirm.* quamvis per accidens non peccent, ea infringendo in ebrietate ob impeditum actualem usum rationis, illum tamen vere habitualiter adhuc habent; ideoque peccavit Apollonia, præbendo carnes ebrio marito. Idem dicendum de amentibus, qui habent lucida intervalla, iis tamen juxta *Laymann* licite propter continuum morbum suum potest præberi caro. *L. 1. t. 4. c. 10. n. 3.*

208. *Quæres* II. An, & quando pueri obligentur Legibus?

R. 1.

R. 1. Legibus naturalibus & divinis obligantur, dum habent usum rationis, ita ut bonum inter & malum satis discernere possint; id quod esse potest ante septimum ætatis annum. Sic puer 5. annorum (teste *S. Greg. M.* L. 4. Dial. c. 18.) cum sedens in sinu patris blasphemaret, a dæmone abreptus, & suffocatus est. Hinc væ iis Parentibus, qui ad execrationes, & blasphemia, quas evomunt filioli, rident, & dilaudant tanquam indicia generosi animi.

R. 2. Legibus humanis probabilius ante septimum ætatis annum non obligantur, sed post illum completum, & quidem illis tantum legibus, quarum materia eorum ætati convenit, v. g. abstinendi a carnibus, audiendi Missam, annue confitendi. Ad S. Communionem ante decennium non obligantur; quia ad hanc non tantum requiritur, ut sciant discernere bonum a malo, sed etiam sacrum cibum a profano. *Ratio prioris* est: quia ante septennium non præsumitur usus rationis, etsi quandoque jam adsit; eoquod leges humanæ humano modo procedant, & attendant ad ea, quæ plerumque contingunt. *L. nam ad ea ff. de LL.* Vide *Laym.* l. c. n. 4., *Burghab.* cent. 2. casu 24. cum *Joan. Sancio*, *Palao* & aliis.

209. *Quær.* III. Quid de perpetuo amentibus? R. Etsi non obligentur legibus humanis, nec peccet, qui iis præbet carnes die jejunii; subjecti tamen sunt legibus naturæ, hoc ipso, quod participent naturam humanam; ita quidem, ut ipsi non peccent agendo contra legem ob defectum rationis; peccent tamen ii, qui illos inducunt ad transgressionem legis naturalis, v. g. ad blasphemandum, fornicandum &c. quia, cum hæc sint intrinsece mala, tribuuntur principali libero agenti, qui amentis opera velut instrumento utitur. *Laym.* l. c. n. 3. ibid. affirmat, quod liceat perpetuo amentibus injungere opera servilia diebus festis. Sed probabilius id negat *Jansen.* eoquod injungens censeatur pariter per amentem, tanquam per instrumentum vivum, laborare; non item, qui eis die jejunii præbet carnes, censetur per illum comedere.

Casus VIII.

Athanasius Lanio sæpe e domicilio proficiscitur, ubi est festum, quin ante discessum mane audiat Sacrum. Sæpe etiam in vicinis pagis peregrinus subsistit, ubi speciale festum agitur; quod in domicilio non celebratur. Hinc etiam ibi non audit Sacrum, sed curat negotia sua.

210. Ante resolutionem *adverte*: nomine *peregrini* intelligitur is, qui ex proprio domicilio abit in alium dissitum locum, animo ibi non manendi, sed tantum per breve tempus subsistendi; *Vagi* autem sunt, qui nullibi habent proprium domicilium, sed modo in hoc, modo in alio territorio existunt absque animo,

ibi diu subsistendi. Is vero dicitur habere *domicilium*, qui cœpit habitare in aliquo loco, cum animo ibi perpetuo subsistendi; *quasi domicilium* habere dicitur, qui habitare cœpit in aliquo loco, ex animo, per notabilem anni partem ibi manendi. Sic studiosi, famuli, milites præsidiarii obtinent quasi domicilium. His suppositis.

211. *Quær.* I. An egressurus e suo domicilio, ubi est dies festus, ad locum, ubi non est festum, mane prius teneatur audire sacrum? Respondet *Lay.* l. 1. T. 4. c. 11. n. 6. probabiliorem & communiorem esse, quod teneatur; hanc esse mentem Ecclesiasticorum Legislatorum, quam consuetudo, & fidelium persuasio interpretatur; unde Episcopi & Parochi merito ad hoc urgent. Contrarium quidem defendunt ut probabile *Busemb. Reiffenst.* t. 2. de LL. dist. 3. n. 37. cum *Lessio* ex eo, quod tunc solum quis teneatur prævenire satisfaciendo obligationi, quando manente vi præcepti, & subjectione videt, se postea fore impeditum, non vero, quando intra tempus implendi præceptum definit esse subditus, non existens in loco, ubi festum celebratur. Item sicut is, qui debet solvere, & scit, se paulo post liberatum iri ab obligatione solvendi, non tenetur anticipato solvere: ita a pari. Prima tamen resolutio ab his ipsis AA. suadetur in praxi.

212. *Qu.* II. An peregrini obligentur legibus proprii territorii? R. *Negative*, quia sicut potestas Legislatoris se non extendit ultra proprium territorium, ita etiam tales leges certo loco affixæ non obligant, nisi eos, qui in tali loco existunt. Ideo Athanasius alibi subsistens non tenebatur audire Sacrum, abstinere a labore servili &c. *Suar.* L. 3. de LL. c. 22. *Laym.* l. c. n. 1. Maxime hoc verum est, si quis bona fide & justa de causa abeat e loco, ubi erat obligatio jejunandi, vel audiendi Missam, ad locum, ubi talis obligatio non est.

213. *Sed quid dicendum*, si quis ideo exiret, ut se a lege v. g. jejunii, vel festi specialis alicujus loci eximeret? Respondent quidem plures, talem excusari, quia utitur jure suo; lex enim non prohibet exire e loco, sed tantum præcipit, ut observetur ab iis, qui existunt in loco; nec fraus, sed conditio loci ei patrocinatur, *& nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur*. Reg. 15. ff. de reg. jur. *Salmant. Mezger, Schmalzgr.* n. 41. *Bonac.* Disp. 1. de LL. q. 2. puncto 6. n. 64. *Reiffenst.* vero l. c. n. 41. ait, talem non carere scrupulo peccati gravioris, eoquod tantum in fraudem jejunii, vel alterius obligationis videatur discedere. Hæc sententia officio hominis Christiani absque dubio longe conformior est.

214. *Qu.* III. An peregrinus obligetur particularibus legibus v. g. jejunii &c. illius loci, ubi subsistit? R. Per se loquendo, & secluso scandalo non obligatur. Ita *Sanch.* L. 1. Decal. c. 12. n. 38. *Gobat* t. 5. exper. Theol. n. 381. *Laym.* L. 1. t. 4. c. 12. n. 4. cum *S. Antonino*. *Ratio* est, quia advenæ & peregrini ob brevem mo-

ram

ram in aliquo loco non subjiciuntur jurisdictioni, sive non acquirunt forum ibidem, ut constat ex l. *hæres absens*. ff. de judiciis; ergo nec obligantur particularibus legibus illius loci, ubi brevi tantum tempore subsistunt. *Confir.* 1. *ex c. ult. de foro competent.* juxta quod nemo sortitur forum, sive nullus subditur alterius potestati, nisi vel ratione delicti, vel contractus, domicilii, vel (ut ait *Lay.*) ratione rei sitæ in territorio, aut ratione originis; ergo peregrinus absentibus hisce titulis per hoc, quod brevi alicubi subsistat, non fit subditus illius loci. *Confir.* 2. Obligatio manet adhuc dubia: cum TT. & Canonistæ utrinque probabiliter de ea disceptent; ergo peregrinus tuto se potest resolvere, quod secluso scandalo, & exceptis titulis prædictis sua libertas maneat in possessione contra legem particularem. Contrarium defendunt *Navarr. Covarr. Suarez* L. 3. de LL. c. 33. n. 3. *Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 5. n. 170. & alii.

Neque dicas: c. illa dist. 12. refertur responsum S. Ambrosii, S. Augustino datum: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato: cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Unde etiam commune illud: *Si fueris Romæ, Romano vivito more; & si sis alibi, vivito sicut ibi.* R. S. Amb. non dicit: *Si non vis transgredi legem*, sed *si non vis esse scandalo*, ergo non obligationem legis, sed fugæ scandali indicat, cujus periculum merito timendum, cum non omnes, qui vident hominem non servantem jejunium, sciant esse peregrinum; hoc autem scandalum sæpe vitari potest, & tunc dicta verba consilium, non præceptum continent. Vel loquitur de illis peregrinis, qui habitandi, aut diutius subsistendi gratia accedunt. Ita *Laymann* loc. cit. post n. 5., ubi etiam apte solvit reliquas objectiones.

215. *Dixi in Resol. per se* loquendo, sive regulariter: quia peregrini 1. obligantur iis legibus particularibus, quarum violatio cederet in damnum & injuriam illius loci, ubi morantur. Ejusmodi leges sunt: ne importentur in Provinciam vel civitatem certi quidam libri, certæ merces, arma &c., ut solvant pedagia, vectigalia &c., observent statutam taxam &c.; æquitas enim naturalis exigit, ut, qui in alieno loco sentit commodum commercii, viarum &c., etiam sentiat onus legum necessariarum ad bonum commune, & conservationem loci, 2. Obligantur ratione titulorum supra in confirm. 2. relatorum.

Dixi 2. *secluso scandalo*, quod avertendi aliunde est obligatio.

216. *Dixi* 3. *particularibus legibus*: nam legibus communibus tenentur peregrini in omni loco, ubi illæ vigent; imo si ex speciali privilegio in proprio domicilio non vigerent, peregrinus extra Diœcesin existens eo non gauderet, quia est locale, non personale; ergo nec sequitur peregrinum alibi commorantem. Hinc si dispensatum sit in Diœcesi Herbipolensi in absti-

mentia a carnibus per Quadrageſimam, non licet civi Herbipolenſi ſubſiſtenti in alia Diœceſi, ubi non eſt diſpenſatum, comedere carnes; quia lex jejunii per Quadrageſimam eſt communis; diſpenſatio autem illa eos tantum reſpicit, qui actu in hac Diœceſi exiſtunt. *Laym.* l. c. n. 3. Contrarium docet *Sanchez*, quia (ait) cives dum abſentes ſunt, ſed mox in patriam redituri, per fictionem juris pro præſentibus habentur.

217. Hiſce reſolutionibus adde I. Juxta *Leſſium & Laym.* l. c. n. 7. contra plures eadem eſt ratio vagorum, quæ peregrinorum; quia nec hi ſubditi fiunt per hoc, quod tranſeant, vel brevi tempore alicubi morentur. Nec obſtat, quod vagi a Magiſtratu quolibet capi, ac puniri poſſint ob delicta etiam alibi commiſſa. Reſpondet enim *Laymann*, hoc per conſuetudinem introductum eſſe, cum vagabundi proprium Judicem non habeant, ne eorum crimina omnino impunita maneant, ex eo tamen non ſequi, quod ſimpliciter, & in omnibus forum ſortiantur: Nec propterea liberi ſunt ab omni lege; legibus enim communibus adhuc conſtringitur eorum vita, imo & particularibus, quando inſtat periculum ſcandali. Denique vagos deobligare legibus particularibus, minus inconveniens eſſe videtur, quam illos ſubjicere omnibus legibus variorum Regnorum, Provinciarum, & civitatum, per quas tranſeunt.

218. II. Ad quantum tempus ſe debeat extendere propoſitum manendi in aliquo loco, ut quis non hoſpes, ſed loci habitator cenſeatur, variant AA. *Navarr.* & *Laym.* l. c. poſt n. 1. reſolvunt, non tantum eos, qui tempore, quod prudentis viri arbitrio magnum ſecundum ſe videri poteſt, v. g. per medium annum in oppido moraturi ſunt, incolas cenſeri, & juriſdictioni ſubjectos, ſed etiam eos, qui licet breviore tempore, certo manendi propoſito alicujus negotii, vel negotiationis cauſa in eo loco domicilium, officinam vel tabernam fixerunt.

219. III. Peregrini etſi non teneantur ſtatutis ſpecialibus; privilegiis tamen & conſuetudinibus favorabilibus locorum, per quæ tranſeunt, uti poſſunt. Sic Germanus tranſiens per Belgium diebus ſabbatinis a feſto Nativitatis Chriſti uſque ad feſtum Purificationis B. V., ibidem licite poterit comedere carnes, & apud Hiſpanos inteſtina. *Reiffenſt. La Croix* L. 3. p. 2. n. 1271.

220. IV. Si leges certum tempus non determinent, ut primum commode poſſunt, debent impleri. *Regula* 14. *ff. de reg. jur.* ait: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur*. Si vero certum tempus, horam, vel diem determinent, uti contingit per legem abſtinendi a carnibus, recitandi horas canonicas, tempus accipiendum eſt de momento ad momentum, non quidem mathematice, ſed theologice ſive eccleſiaſtice, ut ſequamur calendaria approbata, & horologia communiter bene ordinata. *Ratio* fere unica eſt conſuetudo Eccleſiæ;

siæ; & aliter nescíremus, quando præcíse tempus obligationis inciperet, vel desineret. Ideo *La Croix* L. 1. de LL. n. 583. cum *Carden. Diana* & aliis improbabilem dicunt eorum sententiam, qui determinatum tempus intelligunt *præter propter*, ita ut tantum venialiter peccet, qui die Jovis continuat cœnam in carnibus usque ad horam primam mediæ noctis, quæ pertinet ad diem Veneris.

221. V. Cathecumeni, Judæi, aliique infideles obligantur quidem legibus civilibus Principum, non tamen Ecclesiasticis, quia nondum baptizati etiam non sunt subditi Ecclesiæ. Aliud est de Hæreticis legitime baptizatis. Vide *Burghab.* cent. 2. cas. 44.

CAPUT III.

De Cessatione Legis.

§. I.

Prænotanda de iis, quæ excusant ab obligatione Legis.

222. *Prænot. ad primam causam excusantem*: *Ignorantia* est carentia notitiæ, sive cognitionis alicujus rei. I. Alia est *negativa*, quæ est carentia notitiæ in subjecto ad sciendum non apto vel simpliciter, & ex natura sua ut in lapide, vel pro certo tempore & statu, ut in infante aut amente. Alia *privativa*, quæ est carentia scientiæ in subjecto ad sciendum apto pro certo tempore & statu, v. g. si homo adultus, & rationis compos nesciat, quæ scire potest, ac debet. Alia *positiva*, sive, *pravæ dispositionis*, quæ est carentia notitiæ veritatis cum positivo errore contrario veritati, ut si nescias, Christum esse Deum, putans, purum esse hominem.

223. II. Ignorantia alia est *juris*, qua ignoratur lex, aut consuetudo, ejusque obligatio, v. g. si quis nesciat, die Veneris prohibitam esse carnis comestionem. Alia *facti*, qua ignoratur factum aliquod, seu res particularis, ejusve conditio, ex qua actio moralis quoad suam bonitatem vel malitiam dependet, v. g. si nescias, illum cibum, quem comedis, esse carnem, vel non cogites, esse diem Veneris. Hic oblivio, inadvertentia, inconsideratio etiam nomine ignorantiæ comprehenduntur.

224. III. Dividitur Ignorantia in *antecedentem*, ita ut sit causa operis, quæ si abesset effectus, non fieret, v. g. si amicum occidisti, ratus esse feram; quia, nisi ignorasses, non occidisses. Et in *concomitantem tantum*, quæ non est causa operis, cum qua tantum, non ex qua, vel propter quam fit effectus, ita ut ille poneretur, etiamsi hæc ignorantia abesset; v. g. si occidas inimicum, putans esse feram; hunc, quem maxime occisum cupiebas cum ignorantia, non propter eam occidisti, quia idipsum fecisses absente ignorantia. Signum primæ ignorantiæ est, quia facti

cti te pœnitet, postquam ignorantia remota fuit: indicium vero secundæ est: quia, postquam cognovisti, non doles, sed gaudes.

225. IV. Dividitur in *invincibilem*, quæ etiam vocatur *antecedens*, *probabilis*, *justa*, & *inculpabilis*, quæ vinci aut tolli non potuit, adhibita morali diligentia, quia vel nunquam in mentem venit dubitare de oppositio; vel etsi in mentem venerit, morali tamen diligentia veritatis cognitio acquiri non potuit. Hæc nec directe, nec indirecte est voluntaria, quia omnem actum voluntatis antecedit. Et in *vincibilem*, quæ etiam dicitur *consequens*, *improbabilis*, & *injusta* ac *culpabilis*, quæ morali diligentia adhibita superari, & oppositia scientia acquiri potuit, ac debuit. *Sporer* tria requirit ad talem ignorantiam: Ut sit de re, cujus notitia a tali persona in his circumstantiis haberi potuit. 2. Ut venerit in mentem cogitare, vel dubitare de tali re. 3. Ut ignorans teneatur scire illam rem spectantem ad suum statum vel officium, vel ad evitandum peccatum, alias culpabilis non erit.

226. V. Vincibilis iterum alia est *affectata*, sive directe voluntaria, dum quis studio vult ignorare, & ideo non inquirere in veritatem sive ob tædium discendi, sive ut liberius peccet, aut legis ignorantia transgressionem palliare possit. Alia *non affectata*, & indirecte voluntaria, qua quis non quidem vult ignorantiam in se, sed solum non vult adhibere diligentiam inquirendi, & cognoscendi veritatem sive obligationem, hinc indirecte censetur velle ignorantiam. Si nulla prorsus cura adhibita sit, dicitur ignorantia *lata*, *crassa* vel *supina*, qualis plerumque esse solet de iis rebus, quæ communiter ab ejusdem status vel conditionis hominibus cognosci solent ac debent. Si aliqua, non tamen sufficiens diligentia adhibita sit, dicitur levis, & non crassa ignorantia. Vide *Laym.* L. 1. t. 2. c. 4. a n. 1. usque ad 6. *Sporer* t. 1. proem. c. 2. a n. 30. usque ad 43.

227. *Prænot. ad 2. causam excus. Metus* est trepidatio mentis ob instans vel futurum malum; ideoque ex metu agere, est facere aliquid mali declinandi causa, ita ut alias id non fieret. 1. *Metus* alius est *ab intrinseco*, quando aliquis ad avertendum malum sive ex causis naturalibus, sive ex alio quocunque infortunio exortum ultro quid agit, quod alioquin non faceret, v. g. si metu naufragii merces e navi projicias, vel peregrinationem voveas. Alius *ab extrinseco*, qui ab alio agente libero directe incutitur ad aliquid agendum, quod alter alias nollet.

2. Hic potest esse *justus*, incussus scilicet ab eo, qui ex officio, ac jure potest, ac debet compellere ad aliquid agendum; v. g. si Superior Ecclesiasticus intentata excommunicatione illum compellat ad contrahendum matrimonium, qui post contracta sponsalia sine justa causa vult resilire. Vel *injustus*, scilicet incussus ab eo, qui nullum habet jus incutiendi; ut si latro mortem intentet, nisi pecuniam des.

Tertio.

Tertio. Alius est *gravis*, *probabilis*, *simpliciter justus*, & *cadens in constantem virum*, quo tale malum timetur, quod etiam viro forti & constanti merito sit formidabile; uti est metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, gravis infamiæ, violenti stupri, amissionis omnium bonorum, aut magnæ partis, injustæ excommunicationis &c. Si talia vel propriæ personæ, vel alteri sibi valde conjunctæ, v. g. parenti, uxori, liberis &c. inferenda sint. Monet hic *Laym.* l. c. c. 6. n. 4., & *Sporer* l. c. n. 47., ut metus sit justus, necesse est, ut sit majoris mali, quam sit illud quod metus causa suscipitur. Hinc *quælibet mala potius tolerare vir fortis debet, quam in peccatum consentire;* minimum enim peccatum omnibus aliis malis majus est, teste *S. Aug.* L. 1. de civit. Dei c. 18. *Metus levis, & non cadens in constantem virum est*, qui ob leviora mala oritur. De his judicandum est prudentis judicio, consideratis circumstantiis præsertim personæ tum patientis, tum incutientis metum, item sexus, ætatis &c.; minor enim metus requiritur in fœmina, quam in viro; in juvenili, quam in adulta ætate.

§. II.

Principia generalia de causis per accidens excusantibus ab obligatione Legis.

228. Princip. I. *Ignorantia invincibilis, antecedens & concomitans tam juris, quam facti excusat a culpa; vincibilis vero non excusat. S. Th.* 1.2. q. 76. a. 3. in ⊖. *Laym. Sporer* l. c. & commun. *Ratio primi* est: quia, ubi non est voluntarium, ibi nulla est culpa; atqui ubi ignorantia est invincibilis, ibi non est voluntarium: hoc enim necessario requirit cognitionem; ergo. *Major* certa est ex propos. Baji 46. a *Pio V. Greg. XIII.*, & *Urbano VIII.* damnata, quæ ita sonat: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet ratio voluntarii. Ratio secundi* est: quia vincibilis ignorantia indirecte voluntaria est hoc ipso, quod studium cognoscendi obligationem voluntarie fuerit neglectum; hac enim ignorantia laborans obligationem non cognoscit ex propria culpa, ergo transgressio merito imputatur ad culpam. Vide dicta n. 11., & propositionem secundam ab *Alex. VIII.* damnatam. *Confirmatur* utraque regula ex *S. Aug.*, qui L. de natura & grat. C. 67. ait; *Non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quando negligis quærere, quod ignoras.* Regula illa 13. in 6.: *Ignorantia facti, non juris* excusat juxta *Laym.* L. 1. t. 4. c. 20. n. 7., & alios intelligenda est pro foro externo, in quo ignorantia juris communis non præsumitur, sed probari debet. Porro licet ignorantia vincibilis non excuset a peccato, facit tamen culpam leviorem, nisi sit affectata ignorantia, quia vincibilis ignorantia tunc saltem minuit voluntarium; si autem sit affectata, sæpius auget illud, quia ex ma-

gna inclinatione ad male agendum negligitur cognitio obligationis; hinc tales impii dicunt; *Recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus*. Job. 21.

229. *Inferes* I. Qui omittit Sacrum, invincibiliter ignorans esse diem festum, non peccat. *II.* Qui in aliqua re tantum advertit malitiam unius generis, illam solam contrahit, v. g. si quis cognoscat fœminam, invincibiliter ignorans esse consanguineam, is fornicationem tantum committit, non incestum. *Busemb.* de præcept. c. 4. dub. 1. cum *Laym.*, *Bonac.*, & aliis. Vide casus de Consc. dub. t. 1. c. 2.

230. III. Quoad universalissima principia, & conclusiones inde clare & immediate deductas in materia juris naturalis non potest dari ignorantia invincibilis saltem ad longum tempus, quia talia principia, v. g. *Declina a malo, & fac bonum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Cuique tribuendum est suum* &c., cuilibet ratione utenti facile ipso lumine naturæ innotescunt. Ea vero, quæ secundaria tantum sunt præcepta, & per difficiles discursus ex his principiis deducuntur, v. g.: *An census germanicus sit licitus: an liceat occidere injustum invasorem pudicitiæ, vel honorum temporalium* &c., etiam a Doctis ignorari possunt. *S. Thom.* 1. 2. q. 94. a. 6. in ⊖, *Pontas* V. *ignorantia*, casu 2. *La Croix* L. 1. a n. 727. ad 737., ubi solvuntur argumenta Rigoristarum, *Girken* & *Sinnichii*. Romæ anno 1685. die 8. Augusti confixa est sequens propositio: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit*. *La Croix* ibid. n. 726.

231. IV. Ignorantia invincibilis & juris statuentis pœnam, & facti sicut a culpa, ita etiam a pœna excusat. *Sporer* l. c. n. 38. *Laymann* l. c. c. 20. n. 1. cum comm.; quia pœna decernitur propter culpam; ergo cessante culpa tamquam causa, cessat etiam effectus, sive reatus pœnæ. *Confirm.* ex c. 2. de Constitut.: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Sic qui percussit Clericum, invincibiliter ignorans, eam percussionem ab Ecclesia esse prohibitam sub pœna excommunicationis, vel ignorans, illum esse Clericum, non incurrit excommunicationem. *Sporer* l. c. ibid. addit, quod etiam vincibilis ignorantia (modo non sit affectata, hæc enim æquipollet scientiæ) tollat pœnam latæ sententiæ, ferendæ vero minuat, sicut minuit culpam, ita ut Judex in tali casu vel veniam delicti dare, vel mitiorem pœnam imponere debeat. *Suar.* L. 5. de LL. c. 12. n. 16.

232. V. Qui scit legem latam, sive factum aliquod esse prohibitum; ignorat autem, annexam esse pœnam, non solum culpæ, sed etiam pœnæ reus est ordinarie, præsertim si Legislator ad incurrendam pœnam non requirat contumaciam, dolum, aut temeritatem, sed solam scientiam legis. *Suar.* l. c. n. 11., *Laym.* l. c. n. 6., *Sporer* l. c. n. 39. contra *Navarr.*, *Menochium*, & alios.

alios. *Ratio* est: quia omnibus notum est, transgressorem justæ legis juste puniri pœna aliqua sive ordinaria statuta a lege, seu arbitraria Judicis; ergo transgressor eo ipso censetur consentire in pœnam. Sic qui scit præceptum Ecclesiasticum de Communione Paschali, etsi ignoret pœnas annexas, iis tamen punitur transgressor.

233. *Excipe* 1. Nisi pœna sit admodum gravis, exorbitans, & insolita, v. g. si peregrinus transeat per regionem, in qua sub pœna capitis prohibita est venatio ferarum, non videtur afficiendus tanta pœna, si legem violet, quam quidem scit, ignorat autem inculpate pœnam.

234. *Excipe* 2. Censuram Ecclesiasticam, quam nemo incurrit ob delictum, cui ignorat annexam ejusmodi pœnam, nisi ignorantia crassa vel affectata sit; quia ad incurrendam censuram plerumque requiritur contumacia. Dixi *plerumque:* censet enim *Sporer* l. c. cum *Laym.* contra *Sanchez*, adhuc incurri irregularitatem non tantum ex defectu (de quo nemo dubitat) sed etiam ex delicto homicidii voluntarii, quia non imponitur ob contumaciam, sed turpitudinem culpæ, qua homicida inhabilis redditur ad sacrum Altaris ministerium. *Plura de Censuris & cas. reserv.*

235. Principium II. *Metus quicunque* (*nisi omnino perturbet rationem*) *non excusat a culpa, eam tamen minuit. Ratio* est: quia metus non tollit voluntarium, sed tantum minuit: ergo quod fit ex metu, absolute ac simpliciter voluntarie & libere fit; consequenter non caret culpa, quæ tamen minuitur, quia admixtum est involuntarium secundum quid, & conditionate, quia si metus, vel hæ circumstantiæ abessent, hoc vel illud non fieret. *Laym.* L. 1. t. 2. c. 6. n. 7. cum *S. Thom.* & comm.

236. *Adde* I. Nullus omnino metus etiam mortis excusat in Lege naturali quoad illas actiones, quæ sunt absolute intrinsece malæ, ita ut nulla ratione cohonestari valeant; uti sunt mendacium, odium Dei, abnegatio fidei, blasphemia, fornicatio, occisio directa innocentis; in his si adsit advertentia sufficiens, etiam metus non facit, ut ex mortali peccato fiat tantum leve. *Sporer* l. c. n. 52. cum *Tambur.*; hæc enim prohibentur absolute sine dispensatione, & malitia intrinseca ab eis inseparabilis est, quamdiu non mutatur objectum. Metus autem gravis mali excusat in Lege naturali quoad illos actus, qui aliqua ratione cohonestari, & in aliquo casu permitti possunt; sic licitum est occidere injustum vitæ aggressorem, retinere ea, quæ restitui non possunt sine periculo vitæ, hæc enim fiunt contra præcepta positiva, v. g. charitatem proximi, quæ non obligant semper pro semper, & actus hujusmodi propter aliud majus malum, & propter aliud præceptum, quo jubemur vitam propriam defendere, fiunt liciti. Idem dicendum, si a Deo per supremum dominium in res creatas mutetur materia præcepti naturalis.

237. II.

237. II. Gravis metus non excusat ab observatione legis divinæ, quæ principaliter respicit bonum commune Ecclesiæ, qualia præcepta sunt de administratione Sacramentorum in debita materia, & forma, sigillo Confessionis &c.; quia nullum malum timeri potest gravius illo, quod ex harum legum violatione sequeretur. Econtra gravis metus excusat in transgressione legis divinæ positivæ præcipientis, aut prohibentis aliquid in bonum privatum operantis, qualis censetur esse lex de materiali integritate confessionis, de observatione votorum &c. *Ratio* est: quia dum aliunde majus malum non sequitur, aut in alios non redundat, Deus benignissimus cum gravi damno operantis talis præcepti observationem in his vel illis circumstantiis non urgere præsumitur.

238. III. Metus gravis mortis, aut alterius gravis mali, per se loquendo, excusat a peccato in transgressione legum humanarum; quia Legislator prudenter non censetur cum tanto rigore obligare. Dixi, *per se loquendo*, nullus enim metus excusat, si cum transgressione legis humanæ conjuncta sit gravis injuria Dei, contemptus Religionis, aut grave damnum Reipublicæ, quia bonum commune Reipublicæ aut Religionis prævalet privato; ergo in tali casu, ut ait *Suarez*, lex naturalis obligat ad observationem legis humanæ etiam cum periculo vitæ. Ideo non licet comedere carnes die jejunii, ut videaris esse Lutheranus: militi non licet deserere stationem suam ob metum mortis: idem tenetur cum periculo vitæ hostem aggredi, conscendere muros ob bonum exercitus & patriæ. *Sporer* l. c. n. 52. cum Communi.

239. IV. Violentia vel coactio (quæ est vis ab extrinseco illata membris exterioribus non tantum inferens metum alicujus mali, sed cogens ad aliquid agendum, vel patiendum contra naturalem, vel elicitam inclinationem ejus, qui vim patitur) tollit omnem culpam, & pœnam. *Ratio est*: quia, quod fit voluntate repugnante, in id voluntas non consentit; ergo nec peccat. Hinc *Gratianus causa* 32. q. 5. *ait*, *violentia stupri animum nequaquam violari*; *corpori vis infertur*, *non animo*. Juvat hic meminisse eorum, quæ traduntur in Ethica & Theol. Schol. de act. hum. quod voluntas quoad actus elicitos, quales sunt velle, nolle, amare, odisse &c. non possit pati violentiam, sed tantum quoad actus imperatos.

240. *Princip.* III. *Impotentia implendi legem tum physica, tum moralis excusat ab obligatione legis*; ad impossibile enim nemo tenetur. *Physica impotentia* est, quando quis opus præceptum nullo modo exequi potest. Sic cœcus non potest legere horas can. *Moralis* est quando quis absolute quidem potest exequi opus præceptum, non tamen sine gravi incommodo; ut ait *Babenst. t. 3. d. 3. art. 3. num. 1.* Sic ersi febricitans ab-

absolute possit audire sacrum, quia tamen sine evidenti incommodo valetudinis templum adire non potest, ob moralem impotentiam ab audiendo sacro excusatur. Hæc impotentia prudenti judicio æstimanda est ex conditione, & infirmitate personæ, item ex gravi periculo proprii vel alieni damni, infamiæ, morbi &c.

241. *Porro hic observandum* I. Si præceptum sit de re divisibili, quæ commode potest, ac solet dividi, tunc qui non potest servare totum, tenetur ad partem, quam potest implere, si hæc sit notabilis; quia aliquo modo in ea adhuc salvatur ratio legis; ergo ad illam implendam censetur legislator in tali casu obligare: secus, si non sit notabilis, sed modica. Sic qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, tenetur reliquas recitare, ut patet ex *propos.* 54. *damn. ab Innoc. XI.* Item qui tempore quadragesimæ non potest jejunare hac septimana, potest autem reliquis diebus, tenetur tunc jejunare; quia in qualibet hora can. ac quolibet die jejunii subsistit ratio præcepti, & quælibet hora, ac dies est quid divisibile & independens ab aliis.

242. *Neque dicas*: Pars major trahit ad se minorem; hæc enim regula intelligitur de majori parte personarum in aliquid communi consensu conspirantium, ut patet ex c. 1. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*; non vero de majori parte objectorum, & dividuæ materiæ alicujus obligationis, ut patet in materia justitiæ; qui enim debet centum, & non potest nisi triginta solvere, non excusatur ab hac solutione, etsi non possit majorem partem debiti solvere. *Illsung.* t. 5. d. 1. q. 1. a. 6. n. 41. Hic potius locum habet illud commune: *Qui non potest solvere totum, quod debet, solvat, quod potest.* Notat tamen *Benst.* l. c. n. 12. cum *Laym.*, quod pars debeat esse certa; nam si certo scias, te non posse jejunare per majorem partem Quadragesimæ, vel non posse recitare majorem partem Breviarii, dubites autem, an per aliquos dies jejunare, aut aliquas horas recitare possis, ab observatione horum præceptorum penitus excusaris, quia propter tale dubium non potest dividi obligatio, quin ampla via perplexitatibus & scrupulis pandatur.

243. II. Quod si lex sit circa rem indivisibilem, quæ regulariter non potest, aut non solet dividi, tunc qui non potest servare totum; etiam non obligatur ad partem; quia in hac non salvatur ratio legis: ergo nec censetur Legislator ad eam obligare. Quando autem in parte salvetur ratio legis, colligi debet 1. ex illius materia, fine & ratione; 2. ex intentione Legislatoris; 3. ex communi usu & judicio Prudentum.

244. III. Qui in re præcepta non potest servare id, quod est accidentale, tenetur adhuc servare principale, si possit;

quia

quia principale non trahitur ab accessorio, v. g. qui die Dominica post Offertorium venit ad Missam in suo loco unicam, tenetur reliquas partes Missæ audire; quæ enim a Consecratione usque ad Sacerdotis Communionem peraguntur, substantialiter ad Missæ sacrificium pertinent, & licet hoc præceptum quoad substantialia sit individuum, quoad accidentalia tamen est dividuum. Qui autem prævidet, quod post Præfationem debeat discedere, & negligere partes principales Missæ, non peccat, etsi totam Missam intermittat; quia, destructo principali, destruitur etiam accessorium. Pariter qui ob gravem causam in die jejunii cogitur anticipare prandium, debet nihilominus servare jejunium, si possit; quia determinatio temporis, quo unica refectio sumenda est circa meridiem, videtur tantum esse accidentale requisitum ad formam jejunii. *Laym.* l. c. n. 5. cum *Suar.*, *Babenst.* l. c. n. 5.

245. Princip. IV. *Lex directe cessat obligare universaliter respectu omnium*: 1. *Quando ipsa mutatur vel tollitur per abrogationem, derogationem, aut per irritationem. Abrogatio* legis fit, quando lex totaliter justa de causa a Legislatore, vel ejus successore cassatur. Juxta *P. Elbel* Confer. 15. num. 412. & comm. valida quidem est abrogatio legis sine justa causa, non tamen licita, ita ut abrogans peccet pro ratione materiæ vel damni bono communi inde illati. *Derogatio* fit, quando Legislator unum vel alterum articulum legis mutat, aut a generali constitutione certos casus excipit. Sic innuitur *l. derogatur. ff. de verb. signif.*: *Derogatur legi, cum pars detrahitur*: *abrogatur legi, cum prorsus tollitur. Irritatio* legis fit, quando lex ab inferiori Magistratu constituta, authoritate Superioris rescinditur, seu irrita declaratur. *Reiffenst.* in Theol. Mor. T. 2. de LL. dist. 4. num. 27. Denique lex nova generaliter lata tollit priorem contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem. Ita *c. 1. de Constit. in 6.* Ubi excipiuntur specialium locorum consuetudines & statuta, nisi Legislator exprimat, velle se iis derogare quod fit sequenti vel simili formula: *Nulla obstante consuetudine contraria: Non obstantibus quibuscumque constitutionibus locorum* &c. Excipiuntur etiam leges priores speciales: sic leges generales de testamentis non comprehendunt testamenta ad pias causas, militum, & alia privilegiata.

246. 2. *Cessat lex cessante ejus causa motiva sine finali adæquata, & respectu totius communitatis; cessante enim causa cessat effectus. c. cum cessante de appellat.* Quando autem lex lata est ob plures causas, & una tantum earum cessat, vel quando causa cessat respectu particularis personæ, non vero totius communitatis, tunc manet obligatio legis hoc ipso, quod maneat ejus finis & utilitas. Vide dicta *num.* 195. Sic in casu, quo Princeps prohibet venationem ob frequentia homicidia, & neglectum

ctum curæ domesticæ & officiorum, etsi respectu Titii cesset causa homicidii, manet tamen obligatio respectu Titii, manente neglectu curæ domesticæ & officiorum.

247. 3. *Lex humana potest etiam tolli per consuetudinem rationabilem, & legitime introductam.* Ita *Commun.* ex c. ult. de Consuet. Dixi 1. *Lex humana*: contra legem enim divinam & naturalem nulla currit consuetudo, quæ potius est corruptela, ut habetur in c. cit. Dixi 2. *rationabilem*: nam irrationabilis juxta *Laym.* L. 1. t. 4. c. 24. num. 4., & *Reiffenst.* loc. cit. num. 38. censetur consuetudo, quæ vel juri naturali aut divino adversatur, aut jure Canonico reprobatur: quæ est contra libertatem Ecclesiasticam, ut ait *Suarez*, item quæ peccandi occasionem præbet, vel alia ratione communi utilitati perniciosa est. Dixi 3. *legitime introductam*; hæc enim tantum obtinet vim legis. Quanto autem tempore opus sit ad legitime præscribendum contra legem, juxta *Suar.* L. 7. de LL. c. 8. num. 13. certo definiri non potest generaliter pro diversis affectibus & circumstantiis; ibidem addit, ad minimum requiri decennium contra legem civilem, eoquod ad talem præscriptionem juxta *l. 1. c. quæ sit longa consuet.* requiratur longum tempus, tale autem censetur decennium. *l. super longi. C. de præscript.* Juxta *Laym.* L. 1. t. 4. c. 3. n. 4. contra legem Ecclesiasticam nondum receptam, Legislatore ignorante, ad tempus præscriptionis requiritur decennium, contra receptam spatium 40. annorum: *Reiffenst.* vero l. c. n. 42. cum *Lessio*, *Pyrhing.* & aliis ait, generaliter sufficere decennium. Vide *Jus Canon.*

248. Princip. V. *Cessat enim legis obligatio per legitimam dispensationem.* Hæc enim est legis relaxatio publica authoritate facta, sive exemptio a legis obligatione in aliquo casu particulari, ubi lex alioquin obligaret; ergo si hæc legitime & ex justa causa fiat, deobligat. De speciali dispensatione circa votum, matrimonium & censuras suo loco agemus. Hic generaliter.

249. *Adverte* 1. Dispensatio alia est *expressa*, quæ verbis aut aliis signis fit, quibus manifeste constat de voluntate Dispensantis. Alia *tacita*, quæ ex aliquo facto aut actione Superioris prudenter colligitur, v. g. si Episcopus sciat, aliquem esse irregularem, & nihilominus vel ipse eundem ordinet, aut dimissoriales illi concedat ad Ordines suscipiendos, aut approbet, vel Parochiam conferat. *Suarez* L. 6. de LL. c. 13. nu. 21., *Palao* d. 6. punct. 12. n. 3. *Ratio* est: tum quia juxta reg. 43. in 6. *Qui tacet, consentire videtur*, præcipue si ex officio loqui videatur: tum quia Superiori ex officio incumbit, impedire transgressionem legis, si facile possit: atqui non potest, si taceat, aliter impedire, nisi dispensando; ergo, ne Superior & subditus delinquere debeant censeri, judicandus est

dispen-

dispensare. Bene tamen notandum, quod ad tacitam dispensationem non sufficiat quælibet præsumpta voluntas Legislatoris; necessarium enim est, ut sciat Superior id, quod agitur; qui enim nescit, utique non consentit. Nec sufficit sola ratihabitio de actu præterito aut futuro, quia, ut ait *Babenst.* t. 3. d. 3. a. 4., dispensatio est exemptio a lege contra legem; ergo sicut non sufficit voluntas futura ad ferendam legem, sed requiritur actualis, ita etiam ad exemptionem &c. Hinc illegitime natus, etsi certissime sibi persuadeat, Superiorem dispensaturum esse, si causam cognosceret; ex hac persuasione Ordines suscipiens, censuram suspensionis incurrit. Item Sacerdos jurisdictione carens invalide ex ea persuasione absolveret, quod, si sciret Ordinarius præsentem casum, haud dubie conferret jurisdictionem. *Laym.* L. 1. t. 4. c. 22. num. 8. Similiter ut quis in gradu prohibito legitime contrahat cum consanguinea matrimonium, non sufficit, quod præsumat, Pontificem dispensaturum. *Babenst.* loc. cit.

250. *Adverte* 2. Dispensatio iterum alia est *licita*, quæ cum justæ causæ cognitione fit; alia *illicita*, quæ temere & justa causa non cognita fit. De his *Suarez* L. 6. de LL. c. 18. n. 19. & 20., *Laymann* loc. cit. num. 10. *Valida* est, quæ ita subsistit, ut excuset a transgressione legis. *Invalida*, quæ sic non excusat. Legislator dispensans sine justa causa in sua lege valide quidem, sed non licite dispensat. *Valide*: quia obligatio legis totaliter dependet a voluntate Legislatoris; ergo sicut potuit legem non ferre, vel ab initio statuere, ut hos vel illos non obligaret; ita etiam postea absque causa poterit ab obligatione eximere, quos voluerit. *Illicite* autem: quia ad legitimum usum potestatis legislativæ pertinet, in pari causa obligationes æqualiter distribuere, ne quasi per acceptionem personarum, & inæqualem exhibitionem favoris subjectio nimis onerosa, & gubernatio justis querelis obnoxia reddatur. *Babenst.* loc. cit. nu. 21. Dispensare autem sine justa causa in præcepto graviter obligante, esse tantum peccatum veniale, per se loquendo, & seclusa scandalo, docent *Thom. Sanchez* L. 8. de matrim. disp. 18. n. 7., *Laym.* l. c. n. 13. & alii, quorum sententiam *Babenst.* l. c. vocat probabiliorem (contra *Suarez* l. cit. n. 9., qui dicit, esse mortale in genere suo) quia Legislator utitur jure suo, non secus, ac si quis prodigat pecuniam suam: ergo sicut prodigalitas ex genere suo est tantum veniale peccatum, ita etiam &c.; addit tamen *Laymann*, si aliquibus a communi tributo vel obsequio sine justa causa exemptis alii notabiliter plus gravarentur, fore peccatum grave.

Inferior absque justa causa in lege Superioris non tantum illicite, sed etiam invalide dispensat: quia Superior non præsumitur inferiori dedisse potestatem, in lege sua temere dispensandi.

sandi. *Babenst.* l. c. n. 23. Similiter peccat, qui dispensatione sine justa causa impetrata utitur, non quidem directe contra legem positivam, cujus obligatione revera solutus est, sed contra legem naturæ peccato singularitatis & insolentiæ ex genere suo veniali. *Laym.* ibid.

251. *Adverte 3.* Potestas dispensandi alia est *ordinaria*, quæ alicui vi sui officii competit; talem habet Legislator, ejusque successor: hic enim reputatur eadem persona cum illo, & in eandem potestatem succedit. Alia *delegata*, quæ ex concessione habentis potestatem ordinariam convenit inferiori: hæc si concedatur ab ipso jure, utpote officio aut dignitati annexa, æquiparatur ordinariæ, diciturque *perpetua*, qualem in multis habent Episcopi. *Pure delegata* non a jure, sed a Superiore duplici modo solet concedi, 1. per modum puræ commissionis vel mandati in favorem certæ causæ & personæ, cum qua dispensatur. Hæc, delegante mortuo, exspirat, si res adhuc sit integra, sive causa executioni nondum mandari cœpta, juxta *c. relatum de officio Delegati*, & *c. si cui*, *de præbend. in 6.* *Excipe*: nisi delegatio a dignitate potius, quam persona particulari delegantis orta videatur sub tali verborum formula: *Sedes Apostolica tibi committit*; nam Sedes ipsa non moritur, sed in successore continuatur. 2. Per modum gratiæ in favorem Delegati, quæ si absolute conferatur, non exspirat morte delegantis. *Laym.* l. c. n. 6. Pure delegata non potest subdelegari ab habente illam, qui eam accepit non ut Dominus & Principalis, sed ut minister & executor. Varias limitationes vide apud *Salmant.* t. 11. de LL. c. 4. n. 52. Ex his inferes

252. 1. Quivis Legislator, ejusque successor potest cum suis subditis in lege propria dispensare. Ita *Comm.* Vide dicta *n.* 250. Inferior autem non potest dispensare in lege Superioris, nisi in certis casibus infra cit. juxta *Clement. Ne Romani. de elect.* & *c. cum inferior.* 21. Ita *Suar.* L. 6. de LL. c. 14. n. 4. & *Commun.* contra *S. Anton.*, *Sotum* & alios, qui volunt, quod inferior possit dispensare in lege Superioris, quoties ea dispensatio non est expresse reservata aut interdicta.

253. 2. Papa dispensare potest in omni jure Ecclesiastico tam universali, quam particulari, imo etiam in iis Apostolicis Canonibus, quos tanquam Ecclesiæ Præsides condiderunt, v. g. de jejunio Quadrag., observatione Dominicæ, non ordinandis bigamis &c.; non autem in iis Canonibus, quos Apostoli a Christo Auctore acceptos tanquam ministri Ecclesiæ promulgarunt & tradiderunt, v. g. de parvulorum Baptismate, indissolubili vinculo matrimonii consummati &c. *Laym.* l. c. n. 3. cum *Suar. Azor.* & *Comm.* Vide *c. proposuit* 4. *de concess. præb.*

254. 3. Episcopus regulariter non potest dispensare in Legibus Pontificiis, sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis,

& Decretis CC. generalium, nisi in casibus a jure sibi concessis. *Suar.* l. c., *Reiffenst.* tit. c. de Constit. n. 463., *Rebuffus* §. de dispens. ad plura benef. n. 26. *Primum* patet ex can. *nulli fas sit*. 25. q. 1. & can. *Institutionis* 25. q. 2. *Ratio* est: quia dispensatio est actus jurisdictionis, atqui Episcopus tanquam inferior non habet jurisdictionem respectu Papæ aut Conciliorum Gener. ergo. Quoad *Secundum*

Quinam sint illi casus, in quibus ex concessione juris communis potest Episcopus dispensare, vide apud *Barbos.* P. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 33. & seqq. & L. 1. Juris Eccles. univers. c. 11. a n. 134. Satis amplam concessionem *Conc. Trid.* vid. Sess. 24. c. 6. de reform. *Speculator* L. 1. §. de dispens. ultra sexaginta casus in jure scriptos numerat. Itaque generaliter Episcopi tunc in dictis possunt dispensare, 1. ubi in jure expresse conceditur potestas, ut fit *c. penult. de elect. c. At si Clerici*. §. *fin. de judiciis* &c. 2. Quando est causa magnæ necessitatis, vel evidentis utilitatis de novo emergens, vel quando periculum est in mora, nec facile ad Papam recurri potest. *Reiffenst.* l. c. n. 470. cum 8. gravibus Auth. *Ratio* est: quia ita exigere videtur pastorale officium Episcoporum, ne oves concreditæ in casu urgentis necessitatis destituerentur necessariis auxiliis. 3. Vi consuetudinis legitime præscriptæ: hæc enim tribuit jurisdictionem. 4. In casibus frequenter occurrentibus, v. g. in jejuniis ab Ecclesia indictis, in votis Papæ specialiter non reservatis, in observatione festorum. 5. In materia levi, sicut ob levem percussionem Clerici absolvit Episcopus ab excommunicatione, ut patet ex *c. pervenit*. 17. *de sent. excommun.* 6. Quando dubium est, an casus indigeat dispensatione, tunc enim vel potest declarare, quod non indigeat, dispensatione, vel ad cautelam dispensare. Plura apud *Schmalzg.* tit. de Constit. num. 59.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

Anicetus hora undecima noctis præcedentis festum solemne in utroque foro ad venationem exit, prævidens, se altero die non posse audire Sacrum. Idem die Jovis ita se inebriat, ut facile ab experientia prævideat, quod diebus sequentibus sit laboraturus, nec die Dominica auditurus Sacrum.

Quæres I. An peccet is, qui ponit impedimentum servandi legem?

255. Ante R. advertendum: impedimenta adimplendi præcepta sunt duplicia, alia solum excusant ab obligatione, v. g. infirmitas,

mitas, ignorantia, impotentia, oblivio &c. alia penitus liberant ab obligatione præcepti, qualia sunt dispensatio, egressus e loco, ubi præceptum obligat &c. His prænotatis

257. Rx. 1. Non peccat, qui ponit aliquod impedimentum penitus liberans ab obligatione præcepti, vel non aufert, tametsi possit, vel non prævenit implendo legem. *Ratio* est: quia alias peccaret, qui ex justa causa peteret dispensationem. Vide *dicta n.* 212.

257. Rx. 2. Peccat, qui tunc ponit impedimentum mere excusans, quando lex vel actu jam urget, vel obligatio saltem moraliter jam existit. Ideoque Anicetus exiens hora undecima noctis peccavit, quia tunc moraliter jam censetur adesse festum, & urgere præceptum. Sic etiam peccat, qui abjicit Breviarium, quod unicum habet, vel alteri donat, ne illud debeat recitare, qui enim ad legem obligatur, etiam tenetur ad media ordinaria, & ex natura rei proxime necessaria procuranda, ac tollenda impedimenta per se impedientia. *Tambur.* 4. Decal. c. 2. §. 2. *Ulsung.* t. 1. d. 2. n. 37. *Gobat* in Quin. t. 5. c. 27. ubi hanc quæstionem fuse tractat.

258. Rx. 3. Non peccat, qui uno alterove die, antequam urgeat *lex humana*, se reddit impotentem ad legem observandam, modo non ex directa intentione violandi legem procuretur impotentia, vel ponatur impedimentum. Ideoque Anicetus se inebriando quidem peccavit, ita tamen, ut illa ebrietas solam specificam suam malitiam retineat & non contrahat novam ex futura omissione Sacri. Ita *Gobat* l. c. n. 75. cum *Bonac. Suar. Palao*, *Becano*. Dixi, *lex humana*; ibidem enim recte ait *Gobat* num. 63. quod præcepta naturalia ad hoc obligent, ne aliquot diebus, antequam obligatio urgeat, ponatur impedimentum; ideoque peccat miles, qui die Lunæ omne peculium suum potitando consumit, prævidens, se exinde coactum iri, reliquis diebus ex rapto vivere.

259. Denique n. 18. monet *Gobat*, propter plurimas difficultates generaliter attendendum esse, quoties non constat, esse communem sensum Fidelium, quod hæc vel illa lex humana in particulari obliget ad non ponendum impedimentum pridie instantis executionis, toties censendum esse, non adesse ejusmodi obligationem, exceptis obligationibus justitiæ in quibusdam casibus. Sic ex communi sensu TT. peccaret contra præceptum de Communione Paschali, qui eam differret usque ad ultimam diem determinati temporis, & pridie discederet, ubi sciret, non fore copiam sumendi Eucharistiam. Vide etiam *La Croix* de LL. a n. 782. ubi sub finem n. 795. ait cum *Ulsung.*: cum in hac quæstione non possit dari regula generalis; attendendam esse mentem Legislatoris, & finem legum, quæ quandoque facilius, alias difficilius patiuntur poni impedimentum.

260. *Quær.* II. Quis censendus sit agere in fraudem legis? Rx. ex dictis 1. qui ponit impedimentum *mere excusans* observationi legis, cujus obligatio jam existit actu, saltem moraliter secundum prudentum ac piorum æstimationem. 2. Qui tale impedimentum ponit etiam ante legem actu urgentem, ea tamen intentione, ut a tali lege, quando actu obligabit, se eximat. 3. Econtra non agit in fraudem legis, qui ponit impedimentum *penitus liberans* observationi legis, dummodo illud ponere non prohibeatur alia lege. *Ratio horum* est: quia impedimentum excusans per accidens tantum deobligat ab observatione legis, unde dum quis illud ponit, dici non potest uti jure suo: impedimentum vero liberans per se deobligat, proinde illud ponens recte dicitur uti jure suo: ergo nec committit fraudem. Vide *dicta n.* 213.

Dixi, *dummodo non prohibeatur alia lege*: sic egrediens in locum, ubi *Trid.* non est receptum, eo præcise animo, ut ibi matrimonium clandestine contrahat, & postea revertatur agit in fraudem legis sive constitutionis *Urbani VIII.* talem egressum prohibentis, imo tale matrimonium annullantis.

Casus II.

Albertus die Dominica mane subitaneam sentit infirmitatem, ideoque non audit Sacrum, quia probabiliter judicat, se non obligari lege. Idem sub initium Quadragesimæ ex cibis quadragesimalibus certum sanitatis periculum prævidet, non tamen audet vesci carnibus, nisi petita prius a Parocho dispensatione.

261. *Quær.* I. An Albertus peccaverit non audiendo Sacrum? Rx. Non peccavit, sed prudenter ob veram & subitaneam infirmitatem judicavit, se non obligari. Vide *dicta n.* 240.

262. *Quær.* II. An, qui ex legis observatione prudenter sibi periculum imminens prævidet, dispensatione indulgeat? Rx. In casibus, qui frequenter occurrunt, v. g. in esu carnis uno alterove die, auditione Missæ &c. per se loquendo, non indiget, quia ipsa necessitas excusat, in casibus autem gravioribus & rarioribus, v. g. in proclamationibus, indiget; puniunt enim Superiores, & aliter fiat; tutius tamen semper est, etiam in aliis recurrere ad Parochos vel Confessarios pro declaratione, ad quid hic & nunc lex obliget. *La Croix* n. 877. de LL. cum *S. Thom. Cajet.* & aliis: Si judicari non possit probabiliter, sed mere dubium sit, an casus comprehendatur sub lege, recurrendum esse ad Superiorem; si id fieri nequeat, servandam esse legem, utpote quæ tunc manet in possessione.

Casus III.

Anastasius propter infirmitatem, quam sentit ab initio Quadra-

drageſimæ, impetrat diſpenſationem in jejunio; ſed poſt quatuordecim dies integre reconvaleſcit, & pergit uti diſpenſatione.

263. *Quær.* An ceſſante infirmitate licite pergat uti diſpenſatione? R. Ex ſuppoſito, quod integre reſtituta eſt ſanitas, ita ut nec prudenter timeatur periculum alicujus infirmitatis ex jejunio, non licet ulterius diſpenſatione uti. *Suar.* l. 8. de LL. c. 30. n. 9. *Th. Sanch.* l. 8. de Matrim. d. 30. n. 14. *Laym.* l. 1. t. 4. c. 22. n. 16. *Ratio* eſt 1. quia ceſſante cauſa finali adæquata, ceſſat jus commune, ergo multo magis diſpenſatio: atqui infirmitas fuit cauſa adæquata diſpenſationis; ergo 2. Abſque cauſa juſta non poteſt licite concedi diſpenſatio; ergo nec illa poteſt perſeverare ſublata cauſa totali. 3. Obligatio Eccleſiaſtici jejunii ſucceſſive ligat, ergo etiam diſpenſatio ſucceſſive operatur liberationem a lege, dum cauſa ſubſiſtit. 4. Non videtur alia eſſe intentio diſpenſantis, ita ut tacite incluſa ſit hæc conditio: *Si cauſa maneat*. Imo prudenter abſente omni alia cauſa non poteſt prudenter præſumi, quod Superior etiam pro eo tempore velit diſpenſare, quando penitus ceſſat cauſa diſpenſandi. Neque hic applicari poteſt commune illud, favores eſſe ampliandos; quia diſpenſatio utpote contraria legi eſt ſtrictæ interpretationis. Contrarium reſolvit *Eſcobar*, *Burghab.* Cent. 1. caſu 24. Ipſemet *Sanch.* l. c. n. 13. ſub finem ait, probabile eſſe, diſpenſationem abſolute datam valere, quamdiu non revocatur, ſicut lex ſemel ſublata non redit abſque voluntate Legislatoris. Quæ oppoſita ſententia tunc in praxi tuta eſſe videtur, quando ceſſante cauſa finali, alia prudens cauſa diſpenſationis, abſolute conceſſæ habetur, v. g. ob periculum relapſus in eundem morbum, vel ob aliam cauſam per ſe connexam cum allegata in petitione. Vel ſi diſpenſatio redacta ſit ad actum irrevocabilem, v. g. ad matrimonium ab eo contractum, qui propter graves intentiones petiit diſpenſationem ſuper voto continentiæ; his enim ceſſantibus, non ceſſat diſpenſatio, durante matrimonio.

Casus IV.

Arnoldus Religioſus, abſque a Monaſterio ex præſumpta Superioris voluntate, accipit ab amico Ducatum. Idem ſine Superioris licentia ſe ſubjicit obſequio Principis, ad habendam ſingulis diebus Dominicis concionem in Sacello Aulico, nixus privilegio, quod Ordini ſuo fuit olim conceſſum.

264. *Quæres* I. An Arnoldus peccaverit contra votum paupertatis? R. *Negative* (ex ſuppoſito, quod hic modus admittendi ſpeciali ſtatuto Ordinis non prohibeatur) quia ad ſimplicem licentiam ſufficit præſumpta voluntas Superioris; per licentiam enim non ſolvitur obligatio, ſed conceditur operatio, ut exerceatur juxta modum a voto vel lege præſcriptum; adeoque

non est contraria legi, sicut dispensatio: ergo hæc est strictæ interpretationis de voluntate actuali Legislatoris; licentia autem tanquam favorabilis extendi potest ad præsumptam. *Babenst.* de dispens. n. 3. & 8. Nihilominus juxta communem tenetur postea Superiori manifestare factum.

265. *Quær.* II. An in secundo casu licite usus fuerit privilegio sui Ordinis? R. *Negative*. Prob. ex *Trid.* Sess. 25. cap. 4. de Regularibus, ubi ita statuitur: *Prohibet S. Synodus, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia prædicationis vel lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscunque personæ seu loci; neque ei aliquod privilegium aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragatur*. Vide propos. 36. ab *Alex. VII.* damnatam.

266. *Quær.* III. Quid, & quotuplex sit privilegium. R. 1. Privilegium est lex privata in favorem alicujus data a legitimo Superiore: *Lex* dicitur, quia obligat, non quidem ipsum privilegiatum ad utendum privilegio, sed alios indirecte ad non obsistendum: *Privata* est, quia beneficium *particulare*, v. g. exemptionem fori, & *particularibus* v. g. Clericis, ut sunt pars Communitatis, concedit.

267. R. 2. Aliud est *reale*, quod proxime ac directe conceditur intuitu rei, loci, officii, dignitatis, v. g. prædii, Monasterii, Ecclesiæ, Episcopatus &c. mediate tantum pertinet ad personas. Aliud *personale*, quod directe ac proxime confertur in personæ favorem, subinde mediate in alios, vel in locum redundat. Aliud est *mixtum*, quod ita conceditur alicui Communitati, ut eo etiam uti possint singula ejus membra. Hujusmodi sunt privilegia Religiosorum, studiosorum, militum &c. differt a dispensatione, quod hæc non necessario sit perpetua, sed sæpe unico actu exspiret. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*. Reg. 7. in 6. Reale autem cohæret rei, & cum eadem exspirat. Privilegia concessa cum onere aliorum amittuntur per non usum aut usum contrarium, & hoc vel via præscriptionis, vel tacitæ renunciationis; privilegia vero, quæ meræ gratiæ, tum affirmativa, v. g. indulgentiæ, tum negativa, v. g. non jejunandi, non sic amittuntur per non usum. *Reiffenst.*

268. R. 3. Privilegia *contra jus commune* plerumque strictæ interpretationis esse debent, juxto *c. Porro & c. Sane de Privil.* favor enim juris communis merito præferendus est favori privato. *Excipe* 1. Nisi tale privilegium datum sit in favorem causæ publicæ, piæ, religiosæ &c. ideo juxta *Suar.* L. 8. de LL. c. 27. n. 7. privilegium exemptionis Clericum a jurisdictione Principum sæcularium, vel Religiosorum a jurisdictione Ordinariorum ample interpretandum est in Religionis favorem.

rem. 2. Si privilegium a jure communi exorbitans motu proprio Principis conceſſum ſit, tunc meretur amplam interpretationem, utpote quod proprium Principis Beneficium eſt, & ex certa ſcientia datum cenſetur. *Suar.* ibid. n. 8. Privilegium vero *præter jus*, v. g. poteſtas abſolvendi vel diſpenſandi, & aliæ multæ gratiæ iis conceſſæ, quibus lege communi non competunt, late interpretari debent, *c. quia circa de privil.* & *c. olim de V. S.* item *l. 3. ff. de Conſtit. Princip.* dicitur, *beneficium Principis quam plenisſime interpretari debere*. Unde facultas conceſſa Epiſcopis in *Trid.* Seſſ. 24. c. 6. de Reform. etiam competit Epiſcopo confirmato, etſi necdum conſecrato. Item iis etiam, qui Epiſcopo in juriſdictione æquiparantur, videlicet Capitulo, Sede vacante. *Laym.* L. 1. t. 4. c. 23. n. 5. cum *Sanchez* contra *Suar.* quam doctrinam limitat *Laym.* ibid. n. 6. niſi beneficium in alterius præjudicium cedat, cujuſmodi eſt exemptio a decimis, a juriſdictione Ordinarii, aut ſi præbeat occaſionem ſcandali aut litium; non eatenus odioſum cenſeri debet. Denique pro interpretatione privilegii ante omnia attendi debet ad mentem & intentionem concedentis, ad perſonam, cui confertur, ad poſtulationem & procœmium, item ad materiam privilegii, & omnes circumſtantias.

269. Porro Ordines Religioſi Mendicantes habent inter ſe, & cum non Mendicantibus perfectam communicationem privilegiorum, ut cum communi oſtendit *Reiffenſt.* L. 5. Decretal. n. 55. Privilegium autem conceſſum uni Religioſo privato, non communicatur aliis Religioſis. Excipitur etiam privilegium alicui Eccleſiæ ad tempus determinatum, vel ob ſpecialem rationem conceſſum, v. g. quando indulgentia conceditur loco ſpeciali, quia ibi eſt imago B. V. cum magna veneratione Fidelium; ſecus eſt de indulgentiis perpetuis, & quæ continet rationem generalem.

„ 270. *Quæres*. 1. Quid requiratur ad effectum Privilegii? „ R. 1. *Integritas conceſſionis*, hoc eſt, ut ſit *datum* ſeu *ſignatum* & *completum* per Commiſſarium, aut delegatum „ diſpenſatorem, e. g. ſi Papa conſentiens in diſpenſationem „ eam committat Epiſcopo loci; non tamen, ut ſit etiam præſentatum: nam gratia a die datæ effectum habet, „ & non primum a die præſentatæ, quo nempe privilegiatus „ accipit litteras: eſt omne axioma. 2. *Cauſæ finalis verificatio*, & *obtinibilitas tempore integræ conceſſionis*; quia Superior dat privilegium ex ſuppoſitione, quod finis ſit obtinibilis, & cauſa dandi verificetur, ſive det motu proprio, ſive ad inſtantiam. Quare ſi petatur favor ineundi „ matrimonium cum conſanguinea propter legitimationem prolis, ſi hæc moriatur, antequam aut Papa per ſe, aut „ per delegatum Epiſcopum diſpenſaverit, favor erit nullus,

„ *idem est*, si Beneficiandus tempore concessionis nondum habet „ ætatem debitam &c. 3. *Effectus tamen hic perdurat, licet „ causa finalis cesset post tempus integræ concessionis*; quia dans „ concessit privilegium absolute, & non affixit ejus valorem „ conditioni futuræ. Igitur valebit prius matrimonium, modo „ proles vivat tempore, quo a Papa obtenta, & ab Episcopo „ excusationi data est dispensatio, quamvis moriatur, ante- „ quam Parentes matrimonium contrahat: *item* dispensatus in „ voto castitatis ob actuale periculum incontinentiæ, aut ac- „ cipiens privilegium ad duo beneficia ob inopiam pergit uti „ privilegio, etsi post collationem absolutam favoris cesset pe- „ riculum incontinentiæ aut inopiæ: *aliter loquendum*, si pri- „ vilegium sit concessum *ad actum successivum* propter causam „ pariter divisibilem, e. g. dispensatio in Breviario, vel jeju- „ nio quadragesimali ob debilitatem, si postea convalescas. „ Ita *Illsung. tr.* 1. *d.* 3. *a.* 6. *& alii*.

„ *Dices* 1. Ad Privilegium etiam requiritur *causa justa*, si- „ cut ad valorem indulgentiæ. 2. In dispensationibus, Apostо- „ licis gratiis non sufficit *signatura*, sed requiritur *expeditio* „ in curia, ut litteræ desuper sint confectæ, ut habet regula „ 52. Cancellariæ; præterea privilegium non residendi in be- „ neficio requirit *Scripturam*: ergo & alia privilegia. 3. Et- „ iam requiritur *innotescentia*, vel *acceptatio*. 4. *Lex cessat ces- „ sante fine*: ergo & Privilegium.

„ R. *Ad* 1. N. disparitas cum indulgentiis est, quod Papa „ eas det ut dispensator, non ut Dominus. *Ad* 2. Litteræ „ tantum requiruntur pro foro externo, non interno; rescri- „ ptum non residendi est speciáliter exceptum. Ad 3. Insinua- „ tio privilegii facienda privilegiato vel tertio, cui per „ privilegium derogatur; acceptatio &c. tantum requirun- „ tur ad usum vel privilegium in actu secundo, non ad sub- „ stantiam & in actu primo. *Ad* 4. N. C. quia lex ablato „ fine non manet utilis reipublicæ, ut privilegium manet fa- „ vorabile, ex quo patet, privilegium participare aliqua de „ lege, aliqua de donatione.

„ *Q.* 2. Quomodo cesset privilegium?

„ R. Modis 6. tollitur. 1. *Lapsu temporis*, si restricte da- „ tum. 2. *Cessatione causæ inductivæ*, quæ scilicet fuit moti- „ vum unicum vel primarium factæ concessionis, & non me- „ re *impulsivæ*, quæ fuit causa libentius dandi &c. 3. *Interi- „ tu subjecti*, vel personæ, cui datum est, si privilegium est „ *personale*, vel rei, si *reale*. 4. *Renuntiatione privilegiati*, „ quæ tamen non procedit, si privilegium sit connexum sta- „ tui e. g. clericali; vel officio e. g. Thesaurarii; vel renun- „ tiatio cedat in præjudicium communitatis &c. 5. *Abusu* vel „ illud extendendo ultra limites concessionis, vel sumendo in-

„ de

„ de occasione delinquendi; mere autem *non usu* sive *negativo*, „ eo quod occasio utendi non fuerit, sive *omissivo*, eo quod „ privilegiatus data occasione non fuerit usus, non cessat privilegium. 6. *Revocatione concedentis*, quarum una est *tacita*, „ seu implicita per actum contrarium a concedente positum; „ altera *expressa*, sed per clausulam non obstantiæ seu derogatoriam generalem; tertia expresse per clausulam derogatoriam specialem. Porro in privilegiis in specie hic ordo „ servandus.

„ 1. Privilegium simpliciter concessum revocatur per clausulam derogantem generalem: *non obstantibus quibuscumque privilegiis*. 2. Privilegium in corpore Juris clausum revocatur per actum contrarium lege universali, seu generali constitutione præceptum, vel per clausulam: *non obstante privilegio etiam inserto juri communi* &c. 3. Privilegium speciale, quod præsumitur Pontifex ignorare, nisi specialem de eo mentionem faciat, revocatur per clausulam; *motu proprio*, *& ex certa scientia*, vel alia hujus privilegii scientiam indicante. 4. Privilegium concessum a Concilio generali e. g. Tridentino revocatur per clausulam: *non obstante Concilio generali quocunque*: vel: *Tridentino*. 5. Privilegium concessum cum speciali clausula derogatoria debet in sui revocatione derogatoriam illius derogatoriæ continere; scilicet; *non obstantibus quibuscunque privilegiis sub quacunque forma concessis*: vel addendo; *ac si singulæ privilegiorum formulæ de verbo ad verbum insertæ forent*. 6. Denique „ privilegium, quod privilegiato tribuit jus rigorosum e. g. „ onerosum interveniente pacto concessum &c. non revocatur „ valide, nisi causa publica adsit, fiatque insinuatio privilegiato, aut compensetur per aliud.

„ *Q.* 3. Unde oriatur privilegium immunitatis Ecclesiasticæ?

„ R. Juvat hic sententias modernas recensere, & authores consulendos addere, reliqua Canonistis relinquere. 1. Opinio „ est *quorundam Juristarum post Paulum Venetum*, *Joan. Marsilium* &c. qui dicunt, Clericos subditos esse per se Principi laico, in omnibus temporalibus etiam personalibus, & quod „ immunitatis habent, id ex favore Principum descendere: sic „ argutantur: dantur duæ Monarchiæ in mundo, *Sacra & Ecclesiastica* quod causas spirituales e. g. fidem, sacramenta, „ sacrificia, cultum divinum &c. & *Profana*, *seu Politica* quoad causas temporales e. g. judiciorum criminalium, civilium, „ tributorum, onerum publicorum &c. prima est penes Vicarium Christi ac Clericos privative, altera penes supremum „ Principem laicum plene, ut huic quoad temporalia nulla persona sit exempta de jure; cum non detur status in statu &c.

„ 2. Opinio est *Julii Clari*, *Rebuffi*, *Abbatis*, *Bellarmini* „ &c. qui defendunt, exemptionem etiam in causis tempora- „ libus saltem personalibus a jure divino immediate oriri e. „ g. privilegium fori, liberationem ab actionibus servilibus, „ tributis in recognitionem dominii personalis solvendis, ac „ legibus civilibus. Ut adeo potestas Jurisdictionis Ecclesia- „ sticæ sit *Superior* laicali ex fine supernaturali, mediis, obje- „ cto &c. & *latior*, laicalis vero inferior, & limitata a Chri- „ sto, non tantum quoad causas spirituales, sed etiam quoad „ personas Ecclesiasticas & jura earum temporalia, saltem „ aliqua. 3. Opinio est *Covarruviæ*, *Soti*, *Molinæ Theol. Ca- „ stropalai &c.* qui propugnant exemptionem Clericorum „ quoad causas spirituales esse certo juris divini: quoad tem- „ porales autem *originaliter*, *& in Thesi* esse juris divini, in „ quantum ad similitudinem legis veteris ordinata, pro perso- „ na Vicarii Christi immediate a Christo constituta, & ut pro „ reliquis personis Ecclesiasticis a Pontifice introducatur, po- „ testas data, & præceptum a Christo Pontifici impositum: „ *actualiter* vero, & *in hypothesi* esse juris humani, in quan- „ tum Papa ex mandato Christi aliqua constituit, aliqua ab „ Imperatoribus statuta acceptavit, aliqua pro diversitate cir- „ cumstantiarum mutare potest, totam tamen immunitatem „ nec tollere potest, nec ut a laicis tollatur, permittere. Hac „ de re legi meretur Tannerus *L. defensio libertatis Eccles.* „ Augustinus Michl. Can. Reg. Unterstorff. *discussio Theologi- „ co-Juridica*, & pro favore Politicæ potestatis Tractatus post- „ humus Cl. D. Bernardi Glettle: *Anotomia Juridica immuni- „ tatis*. Tum judicabit Lector, an præstet, Principem Laicum „ Authorem immunitatis Ecclesiasticæ statuere, an Deum, aut „ ex Dei commissione Summum Pontificem? maxime quod „ constet, in hac etiam sententia, ingens super subsidium a „ Clero Principes excepisse.

„ *Q.* 4. Quænam Privilegia Regularium sint revocata?

„ *Nota*. Præscindendo hic ab indulgentiis per Paulum V., „ Innocentium XI. & particulariter Benedictum XIV. revoca- „ tis, tres sunt revocationes magis notabiles. 1. *Per Triden- „ tinum*, & Pium IV. confirmantem decreta Tridentini in „ Bulla: *In Principiis* 1565. 2. Vivæ vocis oraculo conces- „ sa privilegia revocata sunt ab Urbano VIII. per bullam „ *Alias felicis* 1631. & jam prius sub aliqua limitatione, „ quæ manu Cardinalis subscripta non fuerant, a Gre- „ gorio XV. per Bullam: *Romanus Pontifex* 1622. 3. „ Privilegia concernentia auditiones confessionum, prædi- „ cationes verbi divini, absolutiones a reserv. &c. revoca- „ cata sunt a Clemente X. per Bullam: *Superna Patris- „ familias* 16.

„ R. 1. Per Tridentinum ſunt revocata omnia, & ſola illa „ privilegia, quæ Regularibus *ante* Tridentinum ſunt conceſ„ ſa, & quorum revocatio eſt *expreſſa* per adjectam clauſulam „ derogatoriam. Talia ſunt omnia contenta in *Seſſ.* 25. *de re„ gul.* quia in *c.* 22. ſubjungitur: *hæc omnia & ſingula in „ ſuperioribus decretis* (intellige hujus ſeſſionis) *contenta SS. „ Synodus obſervari præcipit non obſtantibus privilegiis ſub qui„ buſcunque formulis verborum conceptis*. Non item *poſt* Tri„ dentinum conceſſa, nec alia in prioribus ſeſſionibus ſine tali „ derogatoria, adeoque *implicite* per decretum Concilii revo„ cata. Ita *Illſung*, *Rodriquez*, *Reiffenſtuel cum* 3. *aliis*. *Rat.* „ Prop. 36. ab Alex. VII. dam. *Regulares poſſunt uti privi„ legiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata a Concilio Trident.* „ ergo cum de implicite per decreta contraria revocatis ta„ ceat damnatio &c. 2. Decretum generaliter latum non „ derogat particularibus ſtatutis & privilegiis, niſi hoc ex„ primat, cum Legislator probabiliter hæc ignorare poſ„ ſit.

„ Dices 1. Cum Alviſet: *Nullum* privilegium eſt ſufficien„ ter revocatum ad hoc, ut illo abſtinere Regulares teneantur; eo quod his data privilegia vel ſint remuneratoria, „ oneroſa &c. vel alia derogatio pro Caſſinenſibus requiratur „ &c. 2. *Omnia* privilegia etiam implicite abrogata ſunt ſuf„ ficienter revocata; cum Pius IV. in Bulla confirmatoria „ Concilii addiderit derogatoriam ſpecialem: *ſub quibuſcun„ que formulis concepta*. Et Gregorius XIII. & Sixtus V. „ reſtituerunt Regularibus omnia privilegia, per Concilia generalia ablata: ergo omnia ſupponunt fuiſſe revoca„ ta &c.

„ R. *Ad* 1. N. A. revocatio per Trident. fuit ſufficiens „ tamen ratione ſolemnitatis, quam cauſæ e. g. quod tunc ma„ gnus fuerit abuſus privilegiorum, & quod ea impediant „ univerſalem reformationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quam „ meditabatur Concilium &c. *Ad* 2. N. A. Sicut clauſula ulti„ ma Tridentini tantum ſe extendit ad decreta ultimæ ſeſſio„ nis (alias dixiſſet *omnia in ſuperioribus ſeſſionibus contenta*) „ ita clauſula Pii IV. ſolum confirmat decreta habentia clau„ ſulam derogatoriam expreſſam, cum Bullæ confirmatoriæ & „ declaratoriæ non ſe extendant ultra rem confirmandam. Dein „ Gregorius & Sixtus Decreta Tridentini derogantia expreſſe „ excipiunt.

R. 2. Per Urbanum VII. ea ſola & omnia vivæ vocis ora„ cula ſunt revocata, quæ *ante* Urbanum ſunt conceſſa, & „ non debitæ *authentizata*, adeoque pro foro interno valent „ oracula vivæ vocis data poſt Urbanum: pro utro„ que foro valeant conceſſa *poſt* Urbanum, & tunc

jam

„ jam authentizata ab officialibus illis, quibus ex munere in-
„ cumbit ejusmodi gratiis concessis fidem facere, ex concessa
„ *ante* Urbanum, sed *post* ipsum confirmata per Bullam specia-
„ lem *ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine*.
„ Neque audiendus hic est Alviset, dicens, hanc revocationem
„ Urbani fuisse de subjecto non supponente, & frustraneam;
„ eo quod omnia hæc oracula transierint in Bullata per Bul-
„ lam Gregorii XIII. anno 1575. Minoribus innovantem; &
„ per Bullam Pauli V. anno 1605. Dominicanis vivæ vocis
„ oracula confirmantem; siquidem repugnat Bulla revocatoria
„ Urbani etiam literas Apostolicas revocans ob causam com-
„ munis boni Ecclesiæ, ut refert Illsmg. &, ut oracula fiant
„ Bullata, debent non generaliter dumtaxat, sed specialiter eo-
„ rum tenores exprimi &c.

„ R. 3. Clementem X. revocata sunt omnia & sola privi-
„ legia in Bulla *Superna* clare expressa.

„ Q. 5. Quid & quotuplex damnatio Propositionis?

„ R. 1. Est nota, qua Summus Pontifex Ecclesiam docens
„ afficit propositionem ab authore quodam prolatam. Dicitur
„ 1. *nota*, id est censura hæresis, erroris, temeritatis, scanda-
„ li &c. non habetur pro censura, quod propositio dicatur fal-
„ sa, improbabilis &c. 2. *Pontifex Ecclesiam docens*; hoc duo
„ involvit; & definire seu pro certo decidere aliquid, & velle
„ simul obligare Ecclesiam universam, ut id indubitanter ad-
„ mittat. Unde colligis, Papam loqui ex cathedra, loqui
„ ut Caput Ecclesiæ, loqui Ecclesiæ, docere Ecclesiam esse
„ synonyma. 3. *Propositionem*, quæ vel concernit fidem, vel
„ mores, aut media necessaria ad salutem, cum in his neces-
„ sario sit infallibilis. 4. *Ab authore &c.* ubi quandoque damna-
„ tur sola Propositio, *prout jacet*, ut expresse in decreto suo
„ 1679. testatur Innocentius XI. quandoque propositio secun-
„ dum *sensum Authoris*, seu *in sensu ab Authore intento*, hoc
„ est, qui per contextum eruitur, ut Alexander VII. damna-
„ vit 5. propositiones Jansenii. Insuper quandoque damnantur
„ Propositiones *singillatim*, cuivis seorsim suam censuram ad-
„ dendo, quandoque *in globo*, singulas quidem propositiones
„ recensendo, sed cumulatim censuras addendo. Aliud est, si
„ *opus totum* damnatur & prohibetur ob propositiones aliquas
„ non in specie expressas per congregationem.

„ R. 2. Propositio 1. *Hæretica* est ea, quæ formaliter & di-
„ recte adversatur propositioni explicite revelatæ; vel impli-
„ cite revelate, & ut talis ab Ecclesia definitæ. 2. Propositio
„ *erronea* est ea, quæ opponitur veritati, quam vel universa
„ Ecclesia tenet, quamvis non sit de fide; vel communis Do-
„ ctorum Catholicorum sententia mediate revelatam judicat,
„ licet ab Ecclesia id nondum expresse fuerit definitum. 3.

„ Prop.

„ Prop. *hæresi proxima*, est ea, quæ proxima cum probabi-
„ litate judicatur hæretica. 4. Prop. *suspecta de hæresi*, est
„ ea, quæ licet aliquo sensu tolerari possit, tamen magna
„ cum probabilitate judicatur hæretica. 5. Prop. *hæresim sa-*
„ *piens*, est ea, quæ majori cum probabilitate quam suspe-
„ cta de hæresi, judicatur hæretica. 6. Prop. *Schismatica*, est
„ ea, quæ fideles ab obedientia S. Pontificis, aliisque Supe-
„ rioribus Ecclesiasticis debita, retrahit. 7. Prop. *seditiosa*,
„ est ea, quæ per se nata est subditos ad rebellionem contra
„ Principes civiles inducere. 8. Prop. *hæresi, aut schismati*
„ *favens*, est ea, qua hæretici, aut schismatici uti possunt,
„ ad suos errores, vel suam inobedientiam propugnandam. 9.
„ Prop. *blasphema*, est ea, quæ Deo, vel Sanctis est injurio-
„ sa. 10. Prop. *impia*, est ea, quæ cultum Deo debitum mi-
„ nuere de se nata est. 11. Prop. *scandalosa*, est ea, quæ
„ per se nata est proximum inducere ad peccatum. 12. Prop.
„ *perniciosa*, est ea, quæ facile possunt deduci conclusiones con-
„ tra fidem, aut bonos mores. 13. Prop. *captiosa*, est ea,
„ quæ sub pietatis specie, venenum obtegens, apta est simpli-
„ cium mentes seducere. 14. Prop. *male sonans* est ea, quæ
„ licet duplicem habeat sensum, unum bonum, & alium ma-
„ lum, absolute tamen & sine distinctione profertur. 15. Prop.
„ *piarum aurium offensiva*, est ea, quæ aliquid indecorum de
„ Deo, vel Sanctis ejus profert. 16. Prop. *temeraria*, est ea,
„ quæ absque ullo, aut Scripturæ, aut traditionis, aut ratio-
„ nis Theologicæ fundamento, a communi Theologorum sen-
„ tentia recedit. 17. Prop. *falsa*, est ea, quæ factum aliquod,
„ quod ad fidem pertineat, eique nocere possit, veritati contra-
„ rium enuntiat. 18. Prop. *Verbo Dei contraria*, est ea, quæ,
„ licet contraria Scripturæ & traditioni, nondum tamen est
„ proscripta ab Ecclesia. Hujusmodi propositionibus hic recen-
„ sitis plenæ sunt doctrinæ Quesnelli 101. damnatæ a Clemen-
„ te XI. *Unigenitus* 1713. Michaelis Molinos 68. damnatæ ab
„ Innocentio XI. *Ad abolendum* 1687. & Fenelonii 28. da-
„ mnatæ ab Innocentio XII. *Cum alias* 1699. & assectarum
„ Jansenii modernorum e. g. Excommunicationem non a pri-
„ mis Pastoribus, sed a toto Ecclesiæ corpore ferri debe-
„ re, ut valeat. *Ita Quesnellus, Arnaldus* &c. missas pro
„ defunctis recreare animas in refectorio, non in Purgatorio.
„ *Ita Opstrat.*

„ *Q.* 6. Quid intelligatur per adverbium, *respective*, cum
„ in Decreto, in quo plures propositiones damnantur, dicitur
„ eas esse *respective* hæreticas, erroneas &c.?

„ R. Hæc particula, *respective*, significat nullam esse ex
„ damnatis propositionibus disjunctive, in quam non cadat una
„ saltem ex notis, quæ in condemnationis decreto referuntur.

„ *Q.* 7.

„ Q. 7. An Negans Censuram a Pontifice latam sit hæreticus?

„ R. Si sit censura hæreseos, Negans est hæreticus, non item, si sit alia inferior e. g. propositionem esse scandalosam, temerariam &c. ita *Cardenas*, *Card. de Lugo*, *Dom. Bannez*, *Turrianus & alii*: nempe potest Pontifex decernere aliquid ut *dogma fidei*, hoc est, ut certum certitudine summa & a fidelibus divina fide credendum, prout sunt articuli fidei, & hos negans est hæreticus, vel ut *doctrinam Ecclesiæ simplicem*, hoc est ut certam quidem in se, sed certitudine aliqua inferiore, & a nullo in dubium trahendam aut negandam, & hanc negans errat solum circa fidem, seu habet propositionem erroneam aut errori proximam, & sic censendus est Papa procedere in aliis censuris, cum sufficiat ad finem damnationis, ac plus probari non possit.

„ *Dices* 1. Sic censura ne quidem esset *certa*; quia juxta Caramuelem & Leandrum a Murcia nulla propositio probabilis damnari ab Ecclesia potest. 2. Si est certa, Negans est Hæreticus; quia negat reipsa *ipsam infallibilitatem* Pontificis, quod est hæreticum. 3. Papa definiens propositionem e. g. esse scandalosam, temerariam &c. definit hoc ipso eam esse *falsam*; vel saltem falsum esse, eam licere sequi: ergo Negans defendit, eam esse veram & licitam sequi, contradicitque veritati infallibiliter definitæ. 4. Saltem talis propositionis definitio debet prius *promulgari*, potest *non acceptari* a populo, potest apud Papam *supplicari* pro exemptione &c.

„ R. *Ad* 1. esse omnino falsum: alii dicunt: probabilis non potest damnari ita, ut in sensu composito adhuc maneat probabilis C. in diviso, dividendo, tollendo probabilitatem N. *Ad* 2. N. A. siquidem non negat infallibilitatem directe, & formaliter &c. licet hoc consecutive per discursum sequatur, quod tamen non sufficit ad hæresim incurrendam. *Ad* 3. N. A. falsitas enim solum mediate & per illationem deducitur. *Ad* 4. cum in damnatione propositionum plerumque tria inveniantur, *declaratio* doctrinæ; *prohibitio* ne in praxin deducatur, & *pœna* excommunicationis in docentem aut defendentem, possunt aliqua ex objectis fortassis de pœna defendi, nullum de declaratione, quæ quia est plerumque juris naturalis & divini, debet ab omnibus acceptari sine solemni promulgatione.

„ Q. 8. An præter Papam sit alius Doctor infallibilis in propositione damnanda aut asserenda?

„ R. Quamvis *Authoritas Sanctorum Patrum* sit maximi momenti, potissimum quando omnes, aut fere omnes in re dogmatica conveniunt, nullus tamen, nec Augustinus, nec D. Tho-

„ Thomas est infallibilis, nec ullus in hos Commentator, nec
„ Schola integra potest infallibilis interpretationis eorundem
„ privilegium prætendere. Quod hodie certum est ex propos.
„ 30. ab Alex. VIII. damn. *Si quis invenerit doctrinam in Au-*
„ *gustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere*
„ *non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*: ergo nullius Au-
„ ctoritas est irrefragabilis, seu talis, quæ teneri aut doceri
„ possit sine respectu ad Pontificis Bullas, ut patet de operi-
„ bus Cypriani &c. nempe doctrina D. Augustini *generaliter*
„ duntaxat approbata est a Pontificibus, exceptis 7. propositi-
„ onibus *de Gratia*, quas Cælestinus I. suam Ecclesiæque do-
„ ctrinam faciendo, quodammodo canonizavit, ut videre est
„ in Ep. ad Episcopos Galliæ apud Prosperum, & Vivam
„ hic &c. & sic Authores procedunt passim. Addit Palao Tr.
„ 4. dis. 1. pu. 6. §. 8. universos *Doctores* etiam errare non
„ posse, non quod ipsis Spiritus S. immediate assistat, ut
„ Pontifici, sed quia hoc pertinet ad specialem Dei providen-
„ tiam, ne *omnes errent* illi, quorum doctrina utitur Ecclesia
„ in controversiis fidei, & morum.

„ Hinc sane injuriosa est propositio *moderni* cujusdam scri-
„ bentis: *Moralistæ sunt contemptores Conciliorum & Patrum,*
„ *exiguæ auctoritatis, nimium laxi, docentque passim propositio-*
„ *nes damnatas*. Quamquam enim Summistæ e. g. Armilla,
„ Sylvester, Tabiena, Lezana, Toletus &c. ob brevitatem a
„ prolixis authoritatibus passim abstineant, majorum tamen
„ operum scriptores e. g. Layman, Castro-Palao, Moderni
„ &c. iis abundant: deinde licet Author in unam, alteramve
„ propositionem impingat, quæ postmodum ab Ecclesia da-
„ mnata est, nihil tamen exinde dedecoris in Authorem re-
„ dundare probat Vindex Gobati; tum quia id humanitus con-
„ tingit *omnibus*, magni quoque nominis Scriptoribus, uti In-
„ nocentio IV. Navarro, Gajetano sæpius, atque Magistro
„ Sententiarum, cui 26. errores non leves objiciuntur, quin
„ idcirco auctor cum reliquis suis sanis doctrinis rejiciatur;
„ tum quia ex nimio *rigoris studio* hæreses Montanistarum,
„ Novatianorum, Waldensium, ac Jansenianorum prodiit, ut
„ sic par sit nimiæ laxitatis, & nimii rigoris error.

„ Q. 9. Quis sensus sit propositionis damnatæ indefinitæ?

„ R. Hac Regula generali: quo in sensu *universali an par-*
„ *ticulari* damnata sit propositio, desumi ab uno ex his 4.
„ punctis debet: 1. ex *materiæ subjectæ* natura, 2. vel *commu-*
„ *ni sensu* doctorum; vel 3. *mente Auctorum* hanc Thesin de-
„ fendentium; vel 4. *Scopo Pontificis* quem is sibi in ea pro-
„ scribenda præfixit: sit Exemplum in prop. 26. ab Innoc. XI.
„ damn. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus &c.*
„ *juret cum restrictione mentali, nec mentitur, nec est perjurus:*

„ hæc

„ hæc propositio potest habere vel *sensum universalem*: omnis „ iste modus restringendi est liber a mendacio & perjurio; & „ sic propositio *contradictoria* erit particularis: aliquis modus „ ex his non est liber a mendacio & perjurio: vel *sensum particularem*: aliquis ex istis modis restringendi est liber a mendacio & perjurio; & sic propositio *contradictoria* erit: nullus modus ex his est liber a mendacio: cum ergo ex mente „ docentium hanc Thesim, & ex causa, quæ Pontificem premovit ad damnandum, constet, damnatam in sensu particulari acceptam esse, erit damnans Ecclesiæ propositio universalis, & latius patens. Idem dicendum *de prop.* 29. quod „ metus excuset simulationem Sacramenti: *de prop.* 34. quod „ liceat procurare abortum, ne puella diffametur, vel occidatur; *de prop.* 53. quod liceat plures partes sacri simul audire „ &c.

„ Observatio 1. Quivis ad lectionem Authorum, maxime „ qui scripserunt ante annum 1665. accedere debet probe gnarus propositionum damnatarum; quas optime detegent Dom. „ Viva: *Theses damnatæ* &c. Cardenas S. J. Duarte Ord. S. „ Franc. Refor. &c. qui pariter exhibet prohibitionem Alex. „ VIII. ne quis damnet, censuret &c. alterutram sententiam „ de attritione ex metu gehennæ.

„ 2. Quando Pontifex damnat *propositionem*, non semper „ prohibet illius authorem, & quando damnat propositionem „ *copulativam*, non semper damnat singula ejus membra; patet utrumque in prop. 32. ab Innoc. XI. damnatam: *Licet* „ *defendere, defensione occisiva, bona quæ actu possidemus, &* „ *ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. 3. Præterea quando Papa concedit alicui *privilegium*, „ probari id a privilegiato oportet, cum privilegia sint quodammodo vulnera legum, res facti, & sæpius jam revocata ab Ecclesia, inter quas revocationes ternæ sunt magis solennes scil. a *Tridentino*, ab *Urbano VIII.* & a *Clemente X.* „ ut supra. 4. Ex quibus colligitur aliud esse, si Papa judicium „ ferat de propositione *prout jacet*, aliud relate ad *contextum*, „ vel *authorem*.

„ *Q.* 10. Quid Ars Critica?

„ R. Est *ars ferendi sanum judicium de rebus ad doctrinam* „ *vel historiam pertinentibus*; unde etiam bifariam distinguitur, „ dum una *res juris*, ut vocant, seu Auctoris doctrinam, opus, sensum &c. examinat, altera *res facti*, seu historias. „ Ejus Regulæ sunt. 1. *Maxime attendendum, quo fine, tempore, idiomate, ac circumstantiis Author scripserit*. Sic alius „ videtur Augustinus dum Pelagium impugnat, alius dum „ Manichæos. Item juxta S. Thomam minus caute scripsere „ antiqui, quam moderni, dum ipsa temporum securitas ab

„ hæ-

„ hæresibus immunis liberiores calamos fecerit: alius verborum
„ sensus, quæ ad populum, alius quæ in rigore inter Scholas
„ prolata sunt. 2. *Propositiones faciunt a libris abstractæ alium*
„ *non raro sensum, quam in librorum contextu;* quare non me-
„ retur authoritatem ille, qui deprehenditur malitiose textus
„ truncasse, aut documenta suppressisse, quæ illius adversan-
„ tur doctrinæ, neutiquam tamen textum truncasse censendus
„ est, qui tacuit, quod ad rem non pertinet: & universim
„ authoritas habet se ad certitudinem, sicut casus in quibus
„ author fefellit, aut non fefellit. 3. *Opus antiquo authori ad-*
„ *scriptum summe dubium est, si aut toti antiquitati ignotum*
„ *fuerit, aut stylus discrepet a reliquis ejus operibus, aut con-*
„ *trarium tueatur iis, quæ hic Author alibi docet, quin muta-*
„ *tæ opinionis moneat lectorem.* Nempe unus testis coævus, cæ-
„ tera veritatis amans, præferendus est pluribus non coævis,
„ & silentium Synchronorum suspectam merito relationem fa-
„ cit. 4. *Quod personas & res refert Scriptoris ævo posteriores,*
„ *aut voces postea primum usu receptas, opus apocryphum est;*
„ liber autem apocryphus 5. significationes habet, vel quod
„ alterius Authoris, vel quod incerti Authoris, vel quod hu-
„ jus quidem Authoris, sed corruptus, vel continens falsa, vel
„ quod prohibitus liber sit. Plura *Gisbert & alii*, qui con-
„ tendunt, quemadmodum moderatus Criticæ usus optimus est:
„ ita illius abusum esse rei Catholicæ summe pernicioſum.
„ Certe *sanæ Criticæ debemus* 1. quod *Epistolæ Decretales* primis
„ 4. sæculis usque ad Siricium Papam credamur paucæ genui-
„ næ utpote non a S. Isidoro Hispalensi, sed ab alio Isidoro
„ Mercatore vel Peccatore dicto evulgatæ. 2. Quod *Libri Ca-*
„ *rolini*, qui Carolo Magno attribuuntur, apocryphi censean-
„ tur, cum Canones Synodi 2. Nicænæ vel corruptos, vel ab
„ Iconoclasta male versos esse detectum sit: aliter de *Capitu-*
„ *lari Caroli Magni* Aquisgrani facto loquendum est. 3. Quod
„ *distingui debeat* inter traditiones Divinas, Apostolicas & Ec-
„ clesiasticas; inter decreta pertinentia ad fidem, & œcono-
„ miam; inter judicium Synodi, & judicium Episcoporum
„ tantum &c. cum ad judicium Synodi requirant, ut conci-
„ liariter fiat, ut materia hæc fuerit causa convocationis, vel
„ saltem præceptum a Papa ut de ea judicium feratur; &
„ denique a Pontifice confirmetur, qui ultimam judicio Syno-
„ di manum & complementum addat.

Ad solvendos plurimos casus de Dispensatione, Interpre-
tatione & Epikeja.

272. *Observa* I. Ex dictis, ut dispensatio sit valida & licita,
si,

ta, requiritur 1., ut fiat ab eo, qui habet legitimam potestatem. 2. Ut fiat circa subditum, vel quasi subditum. Juxta *La Croix* de LL. n. 799., *Sanchez*, *Lessium*, Superior loci vel territorii potest dispensare cum vagis nullibi habentibus domicilium in iis legibus communibus, in quibus potest cum suis subditis, similiter cum peregrinis in dictis legibus, sicut potest eos absolvere a peccatis; cum peregrinis tamen non potest dispensare in votis, juramentis, aut aliis singularibus impedimentis; ad hoc enim videtur requiri major subjectio. Vide *Palao* t. 3. d. 6. p. 7. §. 2. 3. Ut adsit rationabilis causa dispensandi, v. g. necessitas, utilitas, pietas, gratitudo ob merita in Ecclesiam vel Rempublicam, misericordia ad succurrendum humanæ fragilitati &c., aliæ causæ justæ in casibus particularibus prudentum judicio decidendæ sunt. 4. Ne sit ob vel subreptitia. *Obreptitia* dicitur, quando in petitione falsa causa tanquam principale motivum exprimitur, qua cognita, non fuisset data dispensatio. *Subreptitia*, quando tacetur veritas alioquin necessario exprimenda de jure, vel stylo curiæ, præsertim si id ex fraude & dolo contingat. Si motivum falsum habeat se ut causa tantum impulsiva, sine quo nihilominus data fuisset dispensatio, quamvis difficilius; vel si taceatur aliquid, quod non pertinet directe & intrinsece ad materiam concessionis, neque de jure aut stylo curiæ exprimendum est, adhuc valet dispensatio, quia tunc censetur Superior adhuc velle dispensare, dummodo causa principalis subsistat. Vide *Laymann* L. 1. t. 4. c. 22. a n. 17. usque ad 26.

272. II. Legislator potest secum ipso dispensare, excepta irregularitate contracta per sententiam, uti nec potest se ipsum absolvere a censuris & peccatis. Probabilius tamen potest secum dispensare in irregularitate per dispositionem juris incursa. *Babenst.* hic a. 3. §. 3.

De modo recurrendi Romam ad impetrandam dispensationem vide *Reiffenst.* post L. 4. Decret., *La Croix*, & infra de votis matrim. &c.

273. III. In interpretatione legis (de qua n. 171.) præceptivæ vel prohibitivæ 1. debet servari proprietas verborum in sensu naturali secundum usum communem hominum, v. g. si talis lex loquatur de filio, intelligitur naturalis, non civilis. 2. In interpretatione legis favorabilis lex extenditur ad proprietatem verborum etiam in sensu civili, v. g. si filiis detur privilegium aliquod, postquam parentes fuerint mortui, extenditur ad adoptivos, & ad mortem tantum civilem, v. g. si mittantur in exilium &c. 3. Interpretatione legis odiosæ vel pœnalis semper accipi debet, quod est minus; nam *in pœnis benigna est interpretatio facienda*, juxta reg. 49. in 6. Denique

ut

ut sæpe dictum, consuetudo est optima legum interpres. *Layl.* c. c. 18. *La Croix* de LL. a n. 823.

274. IV. Epikeja (de qua n. 172.) locum non habet in Lege naturali, nec proprie in Lege divina, sed potius interpretatio. Locum autem habet in lege humana, quia Legislator scit, se non esse omniscium, nec posse prævidere omnia, ergo hic & nunc debet pati benignam interpretationem, ut se accommodet infirmitati subditorum. Plura apud *Laym.* l. c. c. 19. ubi manet, quod epikeja maxime locum habeat in legibus obligantibus, non item in infirmantibus, nisi de voluntate Legislatoris saltem ex aliquo signo constet; hæ enim præscribunt formam substantialem, sine qua actus subsistere non potest. Tunc autem, in genere loquendo, potest quilibet privatus legem secundum epikejam interpretari, quando manifestum est, particularem casum generali legis sententia non comprehendi, sed æquitatis ratione excipi debere. *S. Th.* 2. 2. q. 147. in ☞ *Ast quando id manifestum est?* Respondet *Laym.* l. c. n. 3. *Primo*, si lex servari non possit, nisi violando aliam graviorem legem, scilicet naturalem aut divinam, v. g. si die festo non possis audire Sacrum, nisi periculose ægrotum patrem solum relinquas, potius teneris omittere Sacrum. Huc pertinet regula communis: *Si concurrant duo præcepta, quæ simul servari non possint, posthaberi debet, quod minus est. Secundo*, si legis observatio a majore bono alterius virtutis impediatur. Sic Sacerdos volens hora undecima noctis adhuc Vesperas & Completorium recitare, dum subito vocatur moribundum, licet jam omnibus morientium Sacramentis præmunitum, potius debet omittere Vesperas & Completorium. *Tertio*, si observatio legis humanæ in aliquo casu sit nimis difficilis, & certo constet, Legislatorem noluisse, vel non potuisse tanta severitate obligare; *vide, quæ excusent a transgressione legum*. In dubio, utrum lex in casu particulari per epikejam cesset, ad Superiorem recurrendum est, juxta *L.* 1. *C. de LL.*

„ Pro coronide hic subjungitur brevis notitia Librorum Ju-
„ ris utriusque, & modus eosdem citandi.

§. I.

De jure Canonico.

„ Jus Canonicum, sic dictum quod constet Canonibus, seu
„ regulis Ecclesiæ, est collectio Canonum, seu Decretorum
„ Ecclesiasticorum auctoritate Ecclesiæ facta, vel approbata.
„ Hodiernum (de quo solo nunc) tribus Voluminibus, & sex
„ collectionibus continetur.

„ I. Volumen vocatur Decretum Gratiani: cum enim multi

„ SS. Canones collegissent, ut Dionysius Exiguus, Isidorus Hispalensis, Cresconius Africanus Episcopus, Isidorus Mercator, Regino Prumiensis Abbas, Burchardus Vormatiensis, Yvo Carnotensis, horum vestigiis insistens Gratianus, per 24. annos aut circiter defudavit in colligendis variis tum Conciliorum, sive Generalium, sive particularium Canonibus, tum SS. Pontificum Decretis, tum SS. Patrum dictis, seu sententiis; quæ omnia in unum redacta inscripsit *Concordantia discordantium Canonum*, eo quod Canones in speciem discordes conciliaret, ac publica fecit anno 1151. aut circiter.

„ Decretum tribus constat partibus. 1. agit de personis Ecclesiasticis, ac complectitur 101. Distinctiones, quarum singulæ multis ordinarie constant Capitibus, seu Canonibus. 2. Tractat de actionibus, seu Judiciis Ecclesiasticis, & continet 36. Causas, quæ distribuuntur in varias quæstiones, multis item capitibus conflatas. Causæ vero trigesimæ tertiæ Quæstio 3. continet Tractatum de Pœnitentia in 7. Distinctiones divisum. 3. Cui titulus est, *de Consecratione*, agit de Rebus sacris, & in 5. Distinctiones distribuitur.

„ Hoc opus ab Eugenio III. fuisse approbatum asserunt nonnulli, sed verosimilius videtur, privata tantum auctoritate fuisse editum, nec proinde plus habere auctoritatis, quam habent fontes, ex quibus desumpti sunt Canones. Quia vero menda quædam irrepserant in Decretum, tribuebatur v. g. uni Auctori, quod alteri convenit, laudabantur Concilia nullibi celebrata, &c. ab iis mendis magna ex parte purgatum est jussu, & cura SS. PP. Pii IV. & Greg. XIII. ac tandem ab Augustino Tarraconensi Episcopo in opere edito *De emendatione Gratiani*.

„ Sic autem citari solent Canones, seu Capita primæ Partis, Cap. *Quorundam* Distinct. 23. vel distinct. 23. Cap. *Quorundam*: id est, Capite quod incipit ab isto vocabulo, *Quorundam*, quodque reperitur in Dist. 23..... Canones secundæ Partis citantur v. g. Causa 16. Cap. *Episcopo* Quæst. 6. Tractatus vero de Pœnitentia sic allegatur: De Pœnitentia, Dist. 3. Cap. *Irrisor est*. Id est in Tractatu de Pœnitentia (quem in Causæ 33. quæst. 3. esse diximus) distinct. 3. capite quod incipit ab his verbis; *Irrisor est*... Canones vero tertiæ partis: de Consecratione dist. 5. Cap. *Manus*. „ Aliquando invertitur ordo, & primo citatur Canon, deinde Causa vel Distinctio sic: Can. *Manus* de Consecr. dist. 5. Aliquando ex prima, & tertia parte Decreti laudantur Canones, citando priora cujusque Canonis verba, adjecto simul n. 1. 2. &c. e. g. Can. *Multis* 5. Dist. 44.

„ Quod si multi Canones in eadem distinctione vel quæstione ab eodem vocabulo incipiunt, additur numerus, quo possit,

„ fit citatus canon designari v. g. Cap. *quando*, in Dist. 44. id
„ est, 2. capite ex iis quæ incipiunt voce, *quando*, in distin-
„ ctione 44. Idem observatur in aliis libris Juris Canonici. Ad
„ calcem Decreti reperiuntur in aliquibus Editionibus Canones
„ Pœnitentiales, & ii qui sub Apostolorum nomine vulgantur.

„ II. Volumen continet 5. Libros Decretalium, quæ dicun-
„ tur Gregorii IX. quia ejus jussu S. Raymundus de Pennafort
„ Canones in postremis Conciliis generalibus editos, ac De-
„ creta SS. Pontificum, præcipue vero Alexandri III. Innoc.
„ III. & Honorii III. in unum volumen collegit, & edidit 5.
„ Libros Decretalium variis titulis inscriptos, qui multa conti-
„ nent capita. In 1. agitur de Personis Ecclesiasticis: in 2. de Ju-
„ diciis: in 3. de Clericis, & Rebus sacris: in 4. de personis laicis,
„ seu de iis, quæ ad Sponsalia, & matrimonium pertinent; in 5.
„ de Criminibus & eorum pœnis. Quinque Libri Decretalium hoc
„ versu complectuntur: *Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen*.

„ Nota eundem ordinem servari in Sexto, Clementinis &
„ Extravagantibus communibus. Collectionem hanc editam an-
„ no circiter 1230. auctoritate Apostolica confirmavit Grego-
„ rius IX. Allegantur hoc modo; extra de Simonia cap. *Mat-*
„ *thæus*. Id est, extra Decretum Gratiani, nempe in Decre-
„ talibus Greg. IX. Titulo de Simonia cap. *Matthæus*. Aliquan-
„ do citantur, non per verba, sed per numeros, e. g. cap. 1.
„ de Præbendis. In unoquoque titulo capita omnia, quibus
„ non præfigitur nomen Pontificis, tribui debent Pontifici,
„ qui fuit ultimo designatus.

„ III. Volumen tribus constat partibus, quarum 1. dicitur
„ Sextus: 2. Clementinæ, 3. Extravagantes.

„ I. Sextus sic nuncupatur, quia quinque libris Decretalium
„ Greg. IX. additus est. SS. Pontificum, qui Gregorium IX.
„ inter & Bonifacium VIII. sederunt, Epistolas Decretales,
„ & ipsius Bonifacii Constitutiones complectitur. A Bonifacio
„ VIII. promulgatus est anno circiter 1298. Citantur Canones
„ Sexti eodem modo quo Decretales Greg. IX. addita solum hac
„ voce in Sexto: v. g. cap. *Si gratiose*, de Rescriptis in 6. In
„ fine Sexti apponuntur Regulæ Juris.

„ 2. Clementinæ sunt Constitutiones Clementis V. in Con-
„ cilio Viennensi editæ, & a Joanne XXII. ejus Successore
„ promulgatæ circa annum 1316. Sic allegantur: Clementina
„ *Quamvis*, de Foro competenti; vel Clementina unica, De
„ Foro compet. vel etiam addito numero v. g. Cap. *Nolentes*
„ 2. in Clementinis de Hæreticis.

„ 3. Extravagantes, sic dictæ, quod vagarentur extra Cor-
„ pus Juris Canonici. Aliæ autem sunt particulares, aliæ com-
„ munes. Particulares, quæ dicuntur Joannis XXII. sunt hu-
„ jus S. Pontificis Constitutiones in 14. Titulos distributæ. Sic

„ citantur: cap. *Ecclesiæ* Extrav. (vel Extravag.) Joannis
„ XXII. vel etiam: cap. *ad onus*, 1. de electione, & electi
„ potestate in Extravagantibus Joannis XXII. Communes, sic
„ appellatæ, quod sint Constitutiones plurimorum SS. Ponti-
„ ficum, qui paulo ante, vel post Joannem XXII. vixere,
„ imo & ipsius Joann. XVII. a privatis quibusdam collectæ
„ sunt, nec illius S. Pontificis auctoritate promulgatæ. Viden-
„ tur tamen usu ut plurimum receptæ, & dividuntur in 5.
„ Libros, quibus tamen deest quartus, de Sponsalibus. Eodem
„ modo allegantur, quo particulares, sed additur, in Extra-
„ vag. Communibus. Et semper intelliguntur Communes,
„ quoties absolute citantur Extravagantes.

„ Extat etiam in quibusdam juris Editionibus septimus De-
„ cretalium Liber conflatus ex variis SS. Pontificum Constitu-
„ tionibus, sed privata tantum auctoritate editus est, & raro
„ allegatur. Est & Bullarium magnum, quod multis constat
„ Voluminibus, ubi colliguntur recentiorum SS. Pontificum
„ Bullæ, Brevia, aliaque multa. Bullæ sunt concessiones aut
„ ordinationes in rebus gravioribus, nec nisi in membranis de-
„ scribuntur, sigilla habent appensa plumbea; & quæ præse-
„ ferunt SS. Petri, & Pauli effigiem. Breve Apostolicum est
„ contracta, & brevis Scriptura, quæ in negotiis minoris mo-
„ menti conceditur, muniturque sigillo in cera sub annulo Pi-
„ scatoris, & Secretarii subscriptione... Signaturæ Apostolicæ
„ sunt dispositiones, quæ ab Apostolica Sede proficiscuntur, in
„ papyro conscribuntur, nec sigillo muniuntur, & ut plu-
„ rimum his exprimuntur verbis: *Fiat ut petitur*. Versantur
„ circa concessionem Beneficii per supplicationem petiti; cir-
„ ca absolutionem, aut dispensationem, aut rehabilitatem &c.

§. II.

De Jure Civili.

„ Jus Civile Romanum continetur in collectione Legum Roma-
„ narum edita a Justiniano Imperatore, qui suas antiquis addidit,
„ & quatuor in partes distribuit. Is floruit sæculo VI. obiit 566.
„ In 1. parte sunt Institutiones Justiniani, quæ 4. Libris editæ
„ sunt, quasi rudimenta, & elementa tyronibus Juris Civilis...
„ Citantur per paragraphum, hoc modo: §. 2. Institut. de Jure
„ naturali, Gentium & Civili: id est, in Libris Institutionum,
„ titulo de jure naturali, &c. nam quando citatur §. non citata
„ lege, materia, de qua fit sermo, reperitur in Institutionibus.
„ In 2. parte sunt Digesta, seu Pandectæ, ubi immensa pene
„ Legum volumina digesta sunt, & continentur 50. libris, qui
„ in varios distribuuntur titulos, tituli in Leges, & Leges in

„ Para-

„ Paragraphos. Quia vero una cum Gloſſis unico volumine com-
„ prehendi non poſſent, in 3. volumina dividuntur, quorum
„ primum *Digeſtum vetus* nuncupatur, utpote prius editum
„ ſecundum *Infortiatum*, quaſi pleniorem, ac fortiorem Legum
„ notitiam ſuppeditans; tertium *Digeſtum novum*, ſeu poſtre-
„ mo editum. Deſignantur Pandectæ, ſeu Digeſta per duplex
„ ff. ſeu per D. & citantur ſic: l. 1. §. 3. ff. de Pactis: id eſt, le-
„ ge 1. Paragrapho 3. quæ lex in Digeſtis, titulo de Pactis reperitur.
„ In 3. parte eſt Codex, qui primum ex priſcis codicibus,
„ Hermogeniano, Gregoriano, & Theodoſiano, ſed contractis
„ conflatus eſt. At cum multa in eo deeſſent, auctiorem, &
„ correctiorem edidit Juſtinianus anno 529. Vocatur Codex Re-
„ petitæ Prælectionis, & diſtinguitur in 12. libros, quorum
„ Leges ſic allegantur: *l. ſi quis* 5. Cod. de Epiſcopis & Clericis.
„ In 4. parte continentur Authenticæ, ſeu Novellæ Conſtitu-
„ tiones a Juſtiniano latæ, & promulgatæ. Unicus eſt earum
„ liber conſtans 9. Collationibus, quarum ſingulæ in varios titu-
„ los, & Novellas diſtribuuntur. Sunt autem Novellæ 168. quæ
„ ſic ſolent citari: Cap. *neque igitur* Novella 90. ... addi etiam
„ poſſet Collatio e. g. Collat. 7. quod eſt ac ſi diceres, Libro 7.
„ Authenticæ, quæ inter Libros Codicis reperiuntur, ſic allegan-
„ tur: Authentica „ *Sicut hæreditas*, C. de legitimis tutoribus.
„ Ad calcem quatuor Juris partium apponuntur aliquando
„ varia Imperatorum Edicta, & novellæ Conſtitutiones, item
„ & Feudorum Conſuetudines 5. libris comprehenſæ, Leges
„ 12. Tabularum, Faſti Conſulares, &c.

CAPUT IV.

De Peccatis in genere.

§. I.

Quid & quotuplex ſit peccatum proprie acceptum?

275. Rx. 1. CUM *S. Ambr.* L. de Paradiſo c. 8. Peccatum eſt prævaricatio, ſive libera tranſgreſſio Legis divinæ. Vel juxta *S. Aug.* L. 22. contra Fauſtum cap. 27. eſt dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei. Dixi 1. *Libera tranſgreſſio*: ad peccatum enim tria requiruntur, 1. ut ſit voluntarium, 2. ut ſit liberum, 3. ut advertatur malitia. *Buſemb.* L. 5. de pecc. c. 1. dub. 1. Dixi 2. *Legis divinæ*, hoc eſt, omnis legis in conſcientia obligantis; quælibet enim tranſgreſſio legis etiam humanæ obligantis in conſcientia legi divinæ repugnat; *qui enim reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, ad Rom. 13. ergo hoc ipſo peccata contra legem humanam obligantem in conſcientia ſunt contra legem divinam mediate.

Materiale peccati est ipse actus, vel ejus omissio; *formale* est ipsa ratio transgressionis legis. In peccato proprie tali præcipue spectantur *reatus culpæ & pœnæ*. *Causæ peccati* est sola voluntas creata, Deo permittente, & incitantibus mundo, carne & dæmone. Effectus sunt corruptio naturæ, qua hebetatur intellectus, induratur voluntas &c., pœna, & variæ quandoque obligationes.

276. §. II. Peccatum *primo* dividitur in originale & personale. *Originale* est, quod contraximus in Adamo, quatenus nostræ voluntates in ejus voluntate erant inclusæ, juxta *Trid.* Sess. 5. in Decreto de peccato orig.: *Hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest unicuique proprium*. In fine hujus Decreti declarat hæc ipsa sancta Synodus, *non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas etiam innovat*. In prima edita anno 1476., quæ incipit: *Cum præexcelsa*, immaculatam B. Virginis Conceptionem devote celebrantibus concedit *Sixtus IV.* easdem indulgentias, quas *Urbanus IV.* concessit devote celebrantibus festum Corporis Christi. In altera anno 1483., quæ incipit: *Grave nimis*, ut falsas & erroneas, & a veritate penitus alienas reprobat, & damnat duas sequentes assertiones, scil. primo, *omnes illos, qui tenent aut asserunt, eandem gloriosam & immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos*. Secundo, *ejusdem immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui Eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter*. Ibidem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & summo Pontifici reservatæ prohibet omnibus, cujuscunque status, gradus &c. conditionis fuerint, ne impotterum in publicis ad populum concionibus, aut alias quomodolibet affirment, veras esse prædictas assertiones, & ne libros illas continentes ut veros legant, teneant, vel habeant. Anno 1520. *Pius V.* per Constit. *Super speculam*: confirmavit secundum *Sixti IV.* statutum; relicta tamen fuit facultas adhuc impugnandi vel defendendi immaculatam B. Virginis Conceptionem in publicis disputationibus, modo abesset periculum scandali, & alia sententia non notaretur tanquam erronea, & præscripta a *Sixto IV.* servarentur. Anno 1616. *Paulus V.* per Constit. *Regis Pacifici* innovavit Constitutiones *Sixti IV.* & *Pii V.* Anno sequente idem per Decretum; *Sanctissimus*, prohibuit omnibus immaculatam B. V. Conceptionem impugnare publice: poterat tamen adhuc impugnari in privatis colloquiis; defendere autem eam licebat tum pu-

publice, tum privatim, modo oppositæ sententiæ non fieret mentio gravis. Anno 1622. *Gregorius XV.* per Decretum: *Sanctissimus*, statuit, ne deinceps etiam in sermonibus & scriptis privatis quisquam audeat asserere, quod B. Virgo fuerit concepta in peccato originali; simulque præcepit, ut tam in Missa, quam in Breviario non aliud, quam Conceptionis nomen adhibeatur. Deinde anno 1662. *Alexander VII.* novo Decreto præfatas Constitutiones innovavit, & easdem sub censuris & pœnis in iis contentis observari mandavit; postea hæc addit: *Insuper omnes & singulos, qui præfatas Constitutiones ita perget interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ* (scil. quæ affirmat, quod anima B. Virginis Mariæ in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuerit speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi a macula peccati originalis præservata) *& festo seu cultui secundum illam exhibito frustretur, vel qui hanc sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directe, vel indirecte, aut sub quovis prætextu ejus disinibilitatis examinandæ, sive Sacram Scripturam, aut sanctos Patres, sive Doctores glossandi vel interpretandi, scripto seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidpiam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo ausi fuerint; præter pœnas & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per præsentes subjicimus, etiam concionandi, publice docendi & interpretandi facultate, ac voce activa & passiva in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus .... Innovantes Pauli V. & Gregorii XV. Constitutiones, ac Libros, in quibus præfata sententia, festum seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque aliquid scribitur ac legitur, seu locutiones, conciones, tractatus & disputationes contra eam continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda prohibemus sub pœnis & censuris in indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus & mandamus.*

Personale est, quod propria peccantis voluntate committitur. Hoc iterum aliud est *commissionis*, quando ponitur actio prohibita, v. g. furtum; aliud *omissionis*, dum omittitur res præcepta, v. g. Missa die festo. Ad peccatum vero omissionis, tria requiruntur. 1. quod quis possit non omittere; 2. quod teneatur non omittere; & 3. quod vere omittat. Porro hic notandum, ex eo, quod B. Virgo in templo obtulerit duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccatis, neutiquam erui potest, ipsam indiguisse purificatione, Filiumque Ejus, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatum esse,

ut patet ex propſit. 24. ab *Alex. VIII.* damnata. *Primo* quidem ex Incarnatione Verbi nullam maculam realem contraxit, unde purificatione indigeret, quia ad Chriſtum concipiendum virtus Altiſſimi obumbravit illam; ergo nulli libidinis maculæ fuit obnoxia. *Confir.* Lex Purificationis ſolum obligabat mulieres, quæ ſuſcepto ſemine maſculum parerent, ut a libidinis macula mundarentur; ergo puriſſima Virgo ipſis verbis legis a purificatione eximebatur. *Secundo.* Nec indigebat purificatione ob maculam ullam legalem ex partu; in partu enim virginitatem non amiſit, ut docet fides contra Jovinianum & alios. Cum dicatur Iſaiæ 7.; *Ecce Virgo concipiet, & pariet.* Præterea ſine dolore, & ſine ullis ſordibus peperit Chriſtum. *Tertio.* Nec indigebat purificatione ob præſumptionem alicujus maculæ legalis; quia in illis tantum caſibus contrahebatur immunditia legalis, & opus erat purificatione, in quibus id lex exprimebat: atqui non exprimitur, quod, quæcunque peperit, ſit immunda ex Præſumptione ſordium, ſed ſpecialiter additur, quæ *ſuſcepto ſemine peperit*; ergo. *Viva* in cit. propoſ.

Secundo. Dividitur peccatum perſonale in actuale & habituale. *Actuale* eſt ipſe actus vel omiſſio difformis legi. *Habituale* eſt ipſum actuale antea commiſſum nondum retractatum, vel non remiſſum a Deo, adeoque moraliter perſeverans. Peccatum, quod committitur ex contracto habitu, dicitur habituatum, ſive factum ex conſuetudine.

Tertio. Aliæ ſubdiviſiones fere ex terminis notæ ſunt, v. g. 1. *Peccata carnalia* ſunt, quæ in delectatione carnis perficiuntur, ut gula, luxuria. *Spiritualia*, quæ conſummantur delectatione ſpirituali, licet eorum objecta poſſint eſſe aliquid materiale, v. g. ſuperbia, invidia, avaritia &c. 2. *Peccata contra Deum* ſunt, quæ immediate & ſpecialiter motivis illarum virtutum repugnant, quibus obligamur tendere in Deum, v. g. Fidei, Spei, Charitatis & Religionis, quibus directe repugnant infidelitas, deſperatio, odium Dei, blaſphemia &c. *Peccata contra proximum* ſunt, quæ ſpecialiter repugnant charitati proximi, ut homicidium, furtum &c. *Contra nos ipſos*, quæ ſpecialiter ſunt contra temperantiam & moderationem paſſionum. 3. *Peccata infirmitatis* dicuntur, quæ ex gravi tentatione: *ignorantiæ*, quæ ex errore culpabili: *malitiæ*, quæ ex malitioſa determinatione voluntatis potius, quam ex tentatione aut errore fiunt. 4. *Peccata cordis, oris & operis* dicuntur, prout cogitatione, verbo vel opere perficiuntur.

277. Rx. III. Denique peccatum dividitur in mortale & veniale. *Mortale* eſt libera tranſgreſſio legis obligantis graviter, hoc eſt, ſub diſſolutione divinæ amicitiæ, & reatu pœnæ æternæ. *Veniale* eſt libera tranſgreſſio legis tantum leviter obligantis, aut legis graviter obligantis non perfecte libera. *Illud* vo-

catur

catur mortale, quia mortem infert animæ, privando eam gratia habituali, quæ est vita animæ. De hoc Sap. 16. v. 14.: *Homo per malitiam occidit animam suam*. *Hoc* vero veniale vocatur, quia relinquit principium veniæ, cum non tollat gratiam & amicitiam, licet minuat fervorem charitatis.

Adverte: Mortale aliud est *per se*, *& ex genere suo*, quod secundum se, & ex specifica sua ratione, quam haurit ex proprio objecto graviter prohibito, secluſa alterius speciei malitia, potest esse mortale. Hujusmodi peccata sunt, quæ committuntur contra virtutes theologicas, præcepta Decalogi & Ecclesiæ. *Per accidens* vero mortale dicitur, quod secundum se quidem ratione objecti leve est, aliunde tamen per accidens grave fit, v. g. ratione contemptus, scandali, periculi &c. *Lay.* L. 1. t. 3. c. 5.

Veniale triplex est: 1. *Veniale ex genere suo*, quod absolute spectatum ex objecto seu materia, circa quam versatur, non trahit gravem malitiam, adeoque manens inter speciem suam non potest fieri mortale: sic mendacium semper manet veniale, nisi ratione damni, vel alterius circumstantiæ transeat ad aliam speciem. 2. Veniale ex levitate vel parvitate materiæ. 3. Ex imperfectione actus, de quibus infra.

278. Denique juxta *S. Thom.* 1. 2. qu. 71. a. 6. ad 5. *a Theologis consideratur peccatum præcipue, secundum quod est offensa contra Deum; a Philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi*. Non dari peccatum pure philosophicum, scil. quod graviter quidem repugnet rectæ rationi, & tamen non sit transgressio legis divinæ, & offensa Dei patet ex propos. secunda ab *Alex. VIII.* damnata. *Ratio* est, quia, dum attingitur peccatum ut disconveniens naturæ rationali, sive rectæ rationi, hoc ipso attingitur ut disconveniens legi æternæ, sive ut prohibitum a Deo; dictamen enim rationis est quasi præco divinæ voluntatis. *Viva* de duabus propos. ab *Alex. VIII.* damnatis, ubi præterea asserit, sensum propositionis damnatæ esse quod peccatum grave philosophicum non sit offensa Dei in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat vincibiliter, non vero dum ignorat invincibiliter; talis enim ignorantia excusat a peccato mortali. Negatur autem suppositum, quod detur ignorantia Dei invincibilis ad longum tempus.

279. Merito etiam damnata est ab *Alex. VIII.* propositio nona ex 31., quod revera peccet, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu. *Ratio* est: quia impossibile est, ut peccet, sive inhoneste agat, qui juxta rationis rectæ dictamen operatur; atqui, si quis ex supposito Deum ignorat, & odio haberet v. g. furtum, quam naturæ rationali dissonat, juxta rationis rectæ dictamen operaretur: ergo. Ita *Viva* in cit. propos., ubi tamen monet, hoc odium, ut disponat ad gratiam,

tiam, debere procedere ex motivo turpitudinis cognitio ex fidei lumine.

§. II.

Principia generalia ad formandum rectum judicium de peccato mortali & veniali.

280. Principium I. *Ad peccatum mortale tria requiruntur*: 1. *Ex parte intellectus plena advertentia ad legem, vel moralem malitiam objecti*. 2. *Ex parte voluntatis perfectus consensus*. 3. *Ex parte objecti gravitas materiæ*; in quibusdam autem peccatis nequidem datur parvitas materiæ. Quoad primum & secundum *Suarez* Disp. 1. de pecc. Sect. 5. n. 22. ait, ad peccatum mortale necessarium esse consensum perfectum & deliberatum; quia sicut gravitas malitiæ objectivæ nullo modo cognita, etiam nullo modo est volita (nihil enim volitum, nisi præcognitum) ita eadem gravitas non perfecte & plene cognita etiam non est plene & perfecte volita (volitio enim sequitur modum cognitionis) ergo etiam advertentia nonnisi perfecta, & plenus consensus possunt refundere in actum plenam, sive gravem malitiam formalem. *Confirm.* 1. In negotiis & contractibus magni momenti inter homines requiritur plena advertentia ad onera & obligationes inde emergentes, alioquin non censetur quis iis subjacere: ergo etiam non videtur incurrere odium Dei, & mereri æternam damnationem, qui vel non advertit actus vel objecti sui malitiam, nec ad periculum malitiæ gravis, vel non satis libere in eam consentit. Vide *La Croix* L. 5. de pecc. n. 16. & n. 216. cum plurimis gravissimis AA. ubi etiam solvit argumenta *Elizaldæ* & *Camargo*. Præterea ad peccatum mortale & demeritum in statu naturæ lapsæ non sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis, ut patet ex propos. 1. ab *Alexandro VIII.* damnata; quia in statu naturæ lapsæ sive corruptæ (in quo justitia originali exuti, & peccato contaminati nascimur) nulla necessitas peccandi est transmissa in homines ab Adamo libere peccante, neque Adæ peccato libertas amissa, nec extincta fuit, sed in nostra potestate adhuc est, tentationi consentire, vel eidem resistere, & præcepta implere cum divina gratia, ubi patet ex *Scrip.* & *Trid.* Sess. 6. can. 5. & 6.; tam quia ad meritum & demeritum non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas indifferentiæ, sive a necessitate; cum nemo censeatur laude ac præmio, probro ac pœna dignus, qui habet necessitatem operandi, uti patet in pueris, amentibus & dormientibus. Hinc Eccl. 31.: *Beatus* (dicitur) *vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus*. Et *S. Aug.* L. 3. de lib. arb. C. 18. ait. *Quis peccat in eo, quod nullo modo ca-*

caveri poteſt? Hinc etiam merito damnata hæc propoſitio Janſenii: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*. Item propoſitio 39. inter Bajanas: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſarie fiat, libere tamen fit*, & 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſario facit*. Vide *Viva* in citata propoſitione.

281. *Adverte* 1. Mortale ex genere ſuo poteſt fieri veniale, 1. ex conſcientia erronea, qua quis invincibiliter judicat, hoc eſſe veniale, quod de ſe eſt mortale. *Vide dicta de Conſcientia erronea*. 2. Ex defectu perfectæ advertentiæ ad legem vel malitiam objectivam. Ita expreſſe *S. Thom.* 1. 2. q. 88. art. 2. in ⊖: *Ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, ſit veniale, propter hoc ſcilicet, quod actus eſt imperfectus, id eſt, non deliberatus ratione*. 3. Ex defectu perfecti conſenſus. *Ratio utriuſque* præter dicta præced. n. quia quodvis peccatum mortale ſummam includit malitiam ob liberam tranſgreſſionem legis divinæ: ergo quando voluntas non perfecte libere, nec ſatis deliberate conſentit, non poteſt dici perfecte libere tranſgredi legem: ergo nec videtur accuſari poſſe ſummæ malitiæ; non tamen requiritur ad mortale ſumma omnino advertentia: ſufficit enim, ſi ſit de ſe verus ac deliberatus conſenſus. 4. Ob parvitatem materiæ, ſi nimirum hæc tam ſecundum ſe, quam ſecundum circumſtantias conſiderata, ſit & maneat levis.

282. *Si quæras*: Quænam cenſeatur plena & ſufficiens advertentia ad peccatum mortale? R. 1. cum *P. Reiffenſt.* in Theol. Mor. t. 3. diſt. 2. n. 10. Si conſenſum præcedat expreſſa (alii vocant actualem) cogitatio malitiæ moralis vel periculi, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio; quia, ſi nihil horum præceſſerit, cenſetur adfuiſſe vel naturalis inconſiderantia objecti prohibiti, vel oblivio obligationis incumbentis. R. 2. cum *Th. Sanch.* in Decal. L. 1. c. 2. n. 10., quod tunc adſit perfecta deliberatio, quando ratio perfecte advertit objectum malum quoad circumſtantias, quibus moveri poteſt ad illud excutiendum. Ibidem plenam advertentiam, & ſatis deliberatum conſenſum explicat in homine, qui plene excitatus a ſomno, ſine turbatione aut alio impedimento advertit, quid agat, circa quid verſetur &c.; ſemiplenum vero in homine nondum plene a ſomno excitato, qui nonniſi obſcure, & turbata mente objectum, vel actum malum advertit. Recte tamen *La Croix* de pecc. n. 223. ait, ad peccatum mortale non requiritur reflexa advertentia, ſive ut cognoſcam me advertere, ſed ſufficit cognitio directa malitiæ, & ut poſtea illam velim. Neque (ut ait *Oviedo*) requiritur cognitio formalis ipſius actus, ſed ſufficit cognitio malitiæ objectæ, vel legis talem actum prohibentis.

Ma-

Malitia autem objectiva tunc sufficienter cognoscitur esse gravis, quando advertitur esse inductiva odii Dei, aut pœnæ æternæ.

283. *Adverte II.* de peccato veniali sequentia: 1. peccata venialia, quantumcunque multiplicata, per se loquendo, & ratione multiplicationis nunquam possunt constituere mortale. *S. Thom.* 1. 2. q. 88. a. 8. in ☉; quia mortale est altioris ordinis & plura individua unius speciei non constituunt aliam speciem. Ideo non peccat mortaliter, etiamsi quis per Quadragesimam semel quotidie extra statuta tempora comederet modicum quid; sic enim materiæ parvæ nec secundum se, neque secundum effectum moraliter coalescerent. Nihilominus venialia disponunt ad committenda facile mortalia: nam *qui spernit modica, paulatim decidet*, Eccli. 19., & hoc innuit *S. Thom.* l. c. *Ratio* est: quia venialia minuunt fervorem charitatis, & auxilia extraordinaria ad superandas graviores tentationes, voluntatem proclivem reddunt ad peccata graviora, maxime si veniale & mortale tendant ad idem objectum; sic furunculi brevi evadunt fures. Juxta *Sanchez* L. 1. Moral. c. 5. num. 4. ille peccat mortaliter, qui vult committere omnia venialia, quotquot committenda occurrent, & vitare sola mortalia, eoquod talis se exponat apertissimo periculo peccandi mortaliter. *Sporer* autem T. 1. procem. c. 1. n. 41. cum *Palao*, *Tambur.* & aliis contrarium docet, quod talis non excedat culpam venialem, quia malitia actus interni sumitur ob objecto, prout proponitur a ratione; atqui objectum hujus voluntatis sunt solum omnia venialia, & nulla malitia mortalis proponitur a ratione: ergo. Prior sententia videtur tunc esse verior, quando venialia sunt proxima, & probabilis dispositio ad mortale, v. g. si quis ex proposito admittat quasvis confabulationes turpes, aspectus, tactus tantum venialiter malos, vel si Religiosus nollet servare statuta & regulas, nisi eas, quæ obligant sub mortali; quia in his casibus est periculum peccati gravis, scandali aut damni in disciplina. *Sanch. Sporer* l. c., *Bassæus* V. *Peccatum*. n. 8.

284. Venialia multiplicata, quæ ratione materiæ concrescentis, vel ratione effectus moralem habent inter se connexionem, fiunt mortale, si quis directe intenderet congregare sufficientem quantitatem ad mortale, aut causandi effectum graviter malum. v. g. Qui sæpius furatur quid modicum, ex intentione colligendi magnam quantitatem, is singulis furtis peccaret graviter, quia singula furta adhibet tanquam media proxima nocendi graviter *Sporer* l. c. num. 45. cum *Sanchez*, *Laymann* & aliis. Item qui die jejunii sæpe modicum quid comederet, & nihilominus sub vesperum notabilem quantitatem sumeret. *Vide propos.* 29. *ab Alex. VII. damn.* Quando autem directe non intenditur magna quantitas, & nihilominus plu-

rium

rium transgressionum parvæ materiæ ob aliquem ordinem inter se moraliter uniuntur, sive coalescunt secundum effectum ab ipsis productum, v. g. dum quis plura levia furta committit, tunc demum malitia mortalis completur in ultima transgressione, v. g. illo ultimo furto, quod in se quidem leve, sed cum præcedentibus grave reputatur; quia tunc censetur consentire in totum damnum.

285. 3. Veniale ex genere suo fit mortale, 1. vel ratione conscientiæ erroneæ, si peccatum, quod committit, judices esse mortale: vel ratione scandali gravis, vel magni detrimenti. 2. Ratione finis vel effectus mortaliter mali, ut expresse docet *S. Thom.* l. c., v. g. si quis ex levi peccato intentat gravissimas rixas, odia, suspiciones &c. 3. Ratione affectus nimis inordinati, v. g. quando quis mavult Deum graviter offendere, non audiendo Sacrum die festo, quam abstinere a lusu, otioso colloquio &c. 4. Ratione periculi proprii, ut si quis per verba turpia, curiosam lectionem, conversationem familiarem se exponat periculo gravis peccati aut tentationis. 5. Ratione contemptus formalis, qualem committit is, qui agit vel omittit aliquid ideo, quia præceptum est, sive ut ostendat, se nihil facere legem aut Legislatorem. *Palao*, *Sporer* de pecc. a n. 31. *Adverte*: Ex peccato veniali nunquam fit mortale hoc sensu, quod idem numero actus primo sit peccatum veniale, postea mortale, ut monet *S. Thom.* l. c.

286. Principium II. *Distinctio specifica moralis peccatorum ultimatio desumitur a præceptis formaliter diversis*. *Palao* t. 2. d. 3. pu. 1. cum *Azor.* *Vasq.*, *Valent.* *Salas*, & aliis. *Ratio* est: quia peccatum intrinsece est transgressio legis sive præcepti; ergo illa peccata inter se differunt specie morali, quæ opponuntur præceptis formaliter sive moraliter diversis. Dixi 1. *Specie morali*, sive in æstimatione morali quoad diversam malitiam: hic enim non attendimus ad diversitatem physicam actuum. Sic licet ambulare & ludere sint actus specie physica diversi, quatenus tamen sunt causa neglecti Sacri, non differunt specie morali, quia sic opponuntur uni tantum præcepto audiendi Missam, contra quod æqualiter peccatur, sive propter deambulationem, sive propter lusum omittatur Sacrum. Econtra unus idemque actus physicus, v. g. homicidium in templo perpetratum continet in se plures species malitiæ moralis, scilicet homicidii & sacrilegii, in confessione explicandas, quia præceptis formaliter diversis repugnat. Dixi 2. *Præceptis formaliter diversis*: sic licet simplex furtum sit transgressio legis naturalis, divinæ & humanæ, non tamen habet tres malitias specie diversas, sed tantum unam; quia opponitur præcepto non furandi, quod est formaliter, & secundum moralem æstimationem unum, quamvis a pluribus Legislatoribus, vel ab uno sæpius positum.

287.

287. *Si quæras*: Quænam præcepta dicantur formaliter diversa? Ex. cum *P. Herzig* P. 1. Man. Confess. n. 78. quæ versantur 1. vel circa materiam *notabiliter diversam*, ut præceptum jejunii, & audiendi Missam. 2. Vel circa eandem quidem materiam, sed ex diversis motivis formalibus, v. g. dum præcipitur jejunium ex motivo temperantiæ, & a Superiore ex motivo obedientiæ. 3. Si aliunde constet, quod Legislator intendat diversam obligationem. Ubi vero materia est eadem, idem motivum, intentio Legislatoris eadem, leges tantum *materialiter diversæ* sunt, quales sunt, quibus præcipitur jejunium in Quadragesima, Vigilia, & Quatuor Temporibus.

288. Si cui difficilior videatur unica hæc regula, in praxi poterit reflectere ad regulas aliorum hoc versu comprehensas:

Virtus, Præceptum, diversa objecta, modusque
Peccatis speciem dant, diversumque reatum.

hoc est, diversitas specifica peccatorum desumi potest 1. ab oppositione cum diversis virtutibus, ut patet in furto, quod est contra justitiam; & in ebrietate, quæ est contra temperantiam. 2. A diversis præceptis, ut dictum est. 3. A diversis objectis formalibus, sive motivis prohibendi. 4. A diverso modo, quo homo tendit in objecta mala. Sic odium proximi ex modo tendendi aliud est leve, aliud grave. Idem ex diverso modo, quo peccata opponuntur eidem virtuti; sic specie differunt avaritia, & prodigalitas; quia hæc per excessum, illa per defectum opponitur liberalitati.

Ex quibus patet, quod peccatum, ex suo objecto habens unicam tantum malitiam, sæpe ex circumstantia finis, loci, rei, aut personæ sacræ accipiat malitiam specie distinctam, ideoque ejusmodi circumstantiæ dicuntur speciem mutantes; econtra, quæ tantum aggravant intra eandem speciem, aut major quantitas in furto, major intensio, duratio in affectibus, dicuntur aggravantes, de quibus plura in P. 2., & apud *P. Stoz* L. 1. p. 1. q. 1. §. 3.

289. *Principium III.* Ad cognoscendam distinctionem numericam peccatorum, sive ut quis colligere possit, quod in uno vel pluribus physice actibus ab eodem operante elicitis sit tantum unica, vel plures malitiæ morales, ac peccata solo numero distincta, observandæ sunt duæ sequentes regulæ.

1. *Tot sunt numero distincta peccata* (tum in diversis actibus, tum in eodem physice actu) *quot sunt objecta prohibita numero distincta, moraliter non unita, in quæ actus peccaminosus tendit.* Ita *Azor* Tom. 1. L. 4. c. 4. q. 3. *Filliucius* t. 21. c. 8. n. 19. *Babenst.* t. 2. d. 3. a. 3. n. 4. *Ratio* regulæ est: idem actus malus tendens in plura objecta specie morali diversa contrahit plures malitias specie diversas, ut dictum est in princ. præced.; ergo etiam idem actus tendens ad plura numero objecta moraliter

liter non unita contrahit plures numero malitias: malitia enim peccati sumitur ex ordine ad objectum, ut est difforme legi vel rectæ rationi. Porro illa objecta dicuntur numero distincta, & moraliter non unita, quæ nec ex sua natura, nec ex communi hominum usu, aut prudentum judicio ordinantur ad eundem finem, seu idem peccatum complendum; item (ut addunt *Haunoldus* & *Dicastillo*) quæ nec se mutuo possunt augere, nec communiter invicem compensabilia aut communia invicem sunt, sed habent proprias rationes completas & disparatas. Hinc plura numero peccata committit, qui uno actu sciens ac volens tres homines occidit: qui uno discursu pluribus detrahit: qui durante eadem voluntate peccandi fornicationem sæpius reperit: qui a pluribus furatur unica etiam actione furti; hæc enim objecta, scilicet unum homicidium, detractio respectu unius hominis, copula fornicaria, furtum uni illatum non ordinatur ad aliud complendum, sed quolibet in sua specie est completum, per quodlibet læduntur tot distincta jura, & tot distincta numero præcepta, quot sunt distincti homines, quot distincta moraliter objecta: ergo etiam tot sunt peccata numero distincta. Econtra unum numero peccatum committit, qui simul ab eodem aufert centum imperiales, quia hi unam moraliter summam gravem constituunt. Alii cum *Suarez* dicunt, quod is, qui unico actu tres v. g. homines occidit, unicum peccatum committat, sed gravius; ita ut debeat exprimi in confessione. Vide *Reiffenst.* de pecc. dist. 1. n. 57. Alii vero dicunt, quod triplex homicidium committat, quia trium jura violat, quæ singuli habent in suam vitam, nec ordinantur ad unum jus, nec se mutuo augent, nec inter se commutantur aut compensantur; idem dicendum de juribus, quæ competunt diversis hominibus in suam famam, pecuniam &c.; jura autem, quæ idem homo habet in suam pecuniam, frumenta &c., se mutuo augent, eundem finem respiciunt, invicem commutari ac compensari possunt, sicut una pecunia auget aliam; frumentum auget aliud &c., & omnia collective sumpta referuntur ad divitias ejusdem, & ad eandem necessitatem vitæ sublevandam, & in commercio humano inter se sunt commutabilia: ergo in his unitas moralis admittenda est, si pertineant ad eundem. Vide *La Croix* L. 5. num. 151. Pariter duo numero peccata committit, qui duobus diebus non jejunat, vel non audit Sacrum, licet utrumque pro diversis diebus ex eodem motivo temperantiæ & Religionis sit præceptum; quia singulæ transgressiones sunt completi & distincti numero actus. Hinc sit

290. 2. *Regula*: *Toties peccata in- vel externa multiplicantur numero, quoties ponuntur actus realiter distincti non uniti moraliter*, aut *quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur, etsi*

circa

circa idem numero objectum contingat. Babenſt. l. c. n. 6. cum *Comm. Ratio* eſt: quia toties multiplicantur peccata numerice, quoties deſtruitur moralis unitas actuum peccaminoſorum; atqui hæc toties deſtruitur, quoties interrumpitur moralis voluntas peccandi: voluntas enim eſt principium, a quo dependet actus in eſſe voluntarii & moralis: ergo. *Confirm.* Quando actus moraliter interrumpuntur, diſceditur ab objecto peccaminoſo: ergo complentur; ergo etiam non continuantur cum aliis; ergo illi per ſe, & independenter ab aliis peccata ſunt. Econtra ſicut plura objecta moraliter unita, ita actus moraliter uniti, quamvis phyſice ſint diſtincti, moraliter tamen cenſentur quid unum, & conſtituunt unum numero peccatum.

291. *Si quæras* 1. Quinam actus moraliter dicuntur uniti? R. Illi, qui vel tanquam media ad eundem finem, vel tanquam partes & complementa ad eundem effectum referuntur; v. g. Qui proponit occidere inimicum, ſumit gladium, quærit inimicum, inventum occidit; hic committit unicum numero peccatum, & ſatisfacit in confeſſione, dicendo: Deliberato animo commiſi homicidium; intentio enim finis, electio mediorum, eorum executio, & conſecutio finis in tali caſu unus actus cenſentur.

293. *Si quæras* 2. Quando voluntas peccandi moraliter interrumpatur? R. Generaliter, ſi ipſius actus nec in ſe formaliter, nec in aliquo effectu virtualiter, nec ſecundum hominum æſtimationem perſeveret. Speciatim vero 1. quando plures actus *ſucceſſive* exercentur circa plures objecta complete diſtincta, v. g. ſi detrahas Paulo, poſtquam detraxiſti Petro. 2. Quando actus voluntatis retractatur vel *formaliter* per *pœnitentiam*, v. g. ſi deſiderium peccandi voluntarie habitum deteſteris, & tamen poſtea pecces. Vel *interpretative* per *ceſſationem voluntariam & notabilem* ab actu ſine poſitiva retractatione; quod tunc contingit, quando animus deliberate convertitur ad aliquid cum actu antecedenter intento incompoſſibile, v. g. ſi quis proponat hac nocte committere grave furtum, poſtea memor propoſiti, domi maneat, & cubitum concedat; ſequenti vero nocte furtum committat, diſtinctum peccatum committit. *Laym.* de pecc. c. 3. n. 4. Tunc autem ceſſatio cenſetur notabilis, quando inter plures actus nullo voluntatis affectu antea connexos tanta intercedit mora temporis, ut judicio prudentum diſcontinuari judicentur.

Dixi: *Per voluntariam ceſſationem*; ſi enim animus involuntarie tantum & indeliberate ab actu interno divertatur v. g. per ſomnum naturaliter obruentem, ebrietatem, vel per involuntariam diſtractionem ad alia, & poſtea idem propoſitum renovetur, non cenſetur voluntas peccandi moraliter interrumpi,

pi, adeoque peccatum consequens erit numero idem cum priore, nisi iterum hæc distractio, oblivio, turbatio duraret valde notabili tempore, v. g. per tres aut quatuor dies.

293. *Principium* IV. De morosis delectationibus, desideriis aliisque pravis affectibus observanda sunt sequentia.

Primo. Peccatum ordinarie solet fieri sequenti modo: 1. Excitatur sive a dæmone *per suggestionem*, sive ab extrinseco per visum, auditum, sive ex naturali dispositione aut infirmitate imaginatio rei delectabilis vel odibilis in phantasia (*Ecce tentationem*; sic Evæ suggessit serpens Genes. 3. *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?*) exinde interdum naturaliter & necessario oritur motus appetitus sensitivi, hic vocatur motus *primo primus*, & caret omni culpa, teste *S. Aug.* L. 3. de lib. arbit. c. 25. apud *Laym.* de pecc. c. 5. n. 11. De hoc *S. Paulus* Rom. 7. v. 19.: *Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*; & v. 23. *Video aliam legem in membris meis* &c. Dixi: *caret omni culpa*: quia talis motus est ante omnem rationis deliberationem & advertentiam ad honestatem vel malitiam objecti; imo alias noceret concupiscentia non consentientibus, id quod reprobatur a *Trid.* Sess. 5. 2. Per conjunctionem & excitationem peccatorum fit cogitatio in intellectu, sive subobscura, semiplena, & imperfecta advertentia ac deliberatio intellectus, qualis est in semi-dormientibus, semi-ebriis, consternatis, aut habentibus animum vehementi passione iræ, timoris &c. perturbatum, vel alienis cogitationibus implicatum, adeo ut ad illud, quod agunt, vel saltem ad actionis malitiam, ejusque periculum plene non advertant; oritur simul motus vehementior appetitus sensitivi (ecce motum *secundo primum*, qualis incitavit Evam ad videndum fructum prohibitum) de hoc *S. Thom.* 1. 2. q. 74. a. 3. ad 3. ait. *motum sensualitatis, qui prævenit rationem* (scilicet perfectam) *esse peccatum veniale*. 3. Huic motui dum non resistitur, sequitur plena advertentia objecti, vel actus honesti aut inhonesti, affectio voluntatis, complacentia vel displicentia deliberata; si displicentia: resistitur vel avertendo animum ad aliud objectum, vel exercendo actum virtutis, vel detestando suggestionem, vel invocando Deum, ut liberet a malo; si vero complacentia dicitur delectatio (ecce primum gradum peccati mortalis, si objectum sit graviter malum, quia hic actus est plene deliberatus & voluntarius.) 4. Hic affectus est vel efficax, vel inefficax: *Inefficax* est simplex complacentia, vel delectatio deliberata de re illicita cogitata absque voluntate, illam opere perficiendi. *Filliuc.* t. 21. c. 8. n. 276. vocatur etiam consensus simplex, vel *delectatio morosa*, non quod requirat moram temporis, brevissimo enim tempore perfici potest; sed quod voluntas post plenam advertentiam ei immoretur,

tur, acquiescat, & consentiat, & hæc delectatio morosa vel graviter vel leviter est peccaminosa pro qualitate objecti graviter vel leviter prohibiti. *Efficax* vero dicitur affectus voluntatis, qui conjungitur cum proposito vel desiderio exequendi id, quod cogitatum est, & hoc est distinctum a morosa tantum delectatione peccatum in confessione specialiter exprimendum. Et hic ex secundus gradus peccati: tertius denique opus ipsum peccaminosum completum. Sic Eva postquam *vidit, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu illius, & comedit.*

294. *Secundo*. Desiderium sive affectus efficax voluntatis habet illam malitiam, quam habere cognoscitur objectum volitum, v. g. qui desiderat fornicari cum conjugata, consanguinea &c. præter fornicationem contrahit malitiam adulterii &c. *Spor.* t. 1. c. 6. n. 18. *Ratio* est: quia talis affectus tendit in rem, prout a parte rei est; ergo attrahit totam malitiam; quæ objecto a parte rei inesse cognoscitur. Idem est, si quis gaudeat, delectetur vel glorietur de re illicita commissa.

Econtra delectatio tantum morosa non circa peccatum jam commissum, sed circa objectum prohibitum tantum contrahit illam malitiam, a cujus delectabilitate voluntas movetur: potest autem contingere, ut voluntas tantum moveatur a delectabilitate v. g. solius copulæ, & non moveatur, imo potius abstrahatur a circumstantia matrimonii, vel consanguinitatis, vel voti, quamvis sciat, hanc in objecto reperiri, ideoque malitia talis circumstantiæ non contrahitur, & sufficit in confessione exprimere delectationem morosam de fornicatione: secus si ipsa circumstantia simul deliberate oblectasset. Vide *Laym.* de pecc. c. 6. n. 15. *Azor*, cum *Vasq.* & aliis. Circumstantia autem personæ peccantis semper refundit suam malitiam etiam in actum delectationis morosæ; ideo Sacerdos se oblectans in cogitatione turpi, admittit sacrilegium; quia talis circumstantia cohæret personæ, & exercite saltem cognoscitur, nec quisquam potest præsumi, sui status ita esse immemor, ut propterea possit prudenter excusari.

295. *Tertio*. Aliud est, delectari de re cogitata, v. g. furto, ita ut ratio delectationis sit ex ipso furto; cogitatio vero sit tantum conditio applicans rem cognitam. Aliud est, delectari de cogitatione rei, v. g. furti, ita ut ratio delectationis sit tantum ipsa rei cognitio. Et talis cogitatio etiam rei malæ per se mala non est, sed interdum bona; sic Theologus gaudet licite & bene, dum bene scit distinguere inter varia genera & species peccatorum; Deus ipse cognoscit mala, Confessarius audit pessima. Denique aliud est, delectari de modo operandi male, v. g. si cui placeat furtum artificiosum, vel raptus ingeniosus alienæ sponsæ, talis non peccat, quia non gaudet de ipso peccato,

cato, v. g. furto, vel rapto sponsæ, sed tantum de modo, vel artificio de se non malo. *NB.* In materia lubrica id valde est periculosum, quia delectatio circa modum facile transit in ipsum objectum, ob nimiam vitiatæ naturæ propensionem.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

Albinus Præceptor quoties instruit discipulas suas, inhonestis cogitationibus infestatur, & motibus; idem illis contingit, quoties casus in AA. legit. Et quamvis sæpius per diem repetat propositum potius moriendi, quam consentiendi; quid tamen continuo redeunt tentationes, & tenacius inhærent; hinc valde anxius est, an non consenserit aliquoties?

296. *Quær.* I. Quænam sint signa deliberationis, vel advertentiæ imperfectæ? R. Juxta n. 282. *primo*: Si quis velut semidormiens apprehenderit malum. 2. Si vere semidormiens, vel semiebrius fuerit, hoc, vel illud agendo. 3. Si vehementi passione, aut distractione turbatus fuerit. 4. Si post factum rem melius considerans judicet, quod omnino non fecisset, si ita cognovisset, vel plene sibi præsens, aut mente serena fuisset.

297. *Quær.* II. Quænam in dubio sint signa nullius, aut imperfecti consensus? R. Sequentia: 1. Si is, qui dubitat, serium animum, & sæpe repetitum propositum habuerit, nunquam peccandi mortaliter, ideoque habitualiter ita comparatus sit, ut malit mori, quam peccato consentire (uti videtur comparatus fuisse Albinus) talis prudenter præsumere potest, se non consensisse; quæ enim serio, ac sæpe detestamur, ea, si re ipsa contra propositum amplectamur, facile advertimus. Econtrario consuetudinarius, aut parum abhorrens a peccato facilius potest præsumere, se vere consensisse. 2. Si dubitans, quamprimum se reflectit super cogitationes pravas, vel motus, statim sentiat dolorem, aversionem, tristitiam, horrorem &c. prudenter præsumere potest, se nullo modo tentationi inhæsurum fuisse, si ad actum melius advertisset. 3. Si dubitans sit timoratæ conscientiæ, & alias non soleat consentire in ejusmodi peccatum, sed ad tentationem se reflectens terreatur, & mox eam conetur reprimere. 4. Si post tentationem meminerit, se valde timide processisse, conatum impendisse ad resistendum, atque ita constitutum fuisse, ut, si in ipsa tentatione fuisset interrogatus, num amplectatur illam voluptatem, certo responsurus fuisset, se nolle consentire &c. 5. Si (ut dictum est) dubitet, an plene vigilans, an dormiens, an plene sui compos, an impos quidquam facere voluerit; perfecte enim vigilans satis bene scit, quid agat. 5. Addit *Sanch.* in Decal. L. 1. n. 17. Si dubitans

bitans potuit facile exequi peccatum, & non executus est. 7. Si adsit defectus ætatis, ut si septennium necdum sit expletum, nisi malitia certo suppleat ætatem. Recte hic monet *Herzig*, c. 2. de qual. Confess. n. 67. cum *Stoz*, solam delectationis perseverantiam non esse semper sufficiens signum præstiti consensus. Denique universaliter loquendo, hæc indicia sunt quidem conjecturæ non inanes de non præstito consensu, neque tamen pro quolibet casu particulari manifeste probant, consensum non fuisse præstitum, sed decisio pendet ex prudenti judicio Confessarii, qui spectato statu pœnitentis facile alias regulas noverit applicare.

Juvat hic etiam annotare doctrinam S. Gregorii ex L. 12. Registri ad Augustinum Anglorum Episc. c. 11. ubi ait: *Necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem, delectationem, atque consensum judex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla delectatio sequatur, peccatum omnimode perpetratum non est. Cum vero caro delectari cœpit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est: in delectatione fit nutrimentum: in consensu perfectio. Et sæpe contingit, ut hoc, quod spiritus malignus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat; & cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se esse vehementer ingemiscat.* Adde regulam S. Bernardi Serm. 5. in Quadragesima: *Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis, aut impatientiæ, cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: solummodo ne consenseris, & quoties restiteris, toties coronaberis.*

Casus II.

Anatolius liberiori vitæ deditus, & nonnisi laxa principia sequens, in templo oculis plerumque liberrime circumvagatur ad personas alterius sexus pulchre vestitas, occurrentibus obscœnis cogitationibus delectatur quidem, sed sine desiderio; ideoque nec de his se accusat in confessione, ita secum argumentans: Deliberate non inhæsi, quia argumenta pro & contra non perpendi; neque consensum formalem iis præbui, quia sciebam, in templo non esse occasionem peccandi opere.

298. *Quær.* I. An Anatolius recte statuerit, se deliberate non inhæsisse, eoquod argumenta pro & contra non perpenderit, vel non examinaverit, an talis actus esset potius ponendus, vel non? Respondet *Elbel* Confer. 20. n. 570. *Negative*; quia ad actum humanum etiam perfectum non est necessaria delibe-

ratio

ratio formalis sive consultatio, & ponderatio rationum pro & contra, sed hoc ipso adest sufficiens deliberatio, quando quis perfecte advertit malitiam in tali actu, vel objecto, vel quando scit, talem cogitationem versari circa rem turpem, ac prohibitam. Sic peccat absque dubio comedens carnes die prohibito sine rationabili causa excusante, hoc ipso, quod sciat prohibitionem Ecclesiæ, vel saltem practice dubitet, an hæc comestio hoc die non sit prohibita, licet non adhibeat ulteriorem deliberationem. *Ratio* est: quia per talem advertentiam voluntati sufficienter proponitur malitia latens in objecto, vel actu, ita ut consensus sufficienter deliberatus debeat dici. Addit *Henno*, ad peccandum formaliter circa talia objecta, vel actus, qui sunt intrinsece mali, multo minore deliberatione opus esse, quia lumen naturale cuivis rationis usu prædito facile dictat, hujusmodi actus, ceu repugnantes primis regulis honestatis, esse malos.

Quær. II. An Anatolius propterea non peccarit graviter, quia formalem consensum non præbuit?

299. Ante R. *adverte*. Consensus hic in genere dicitur actus voluntatis, quo hæc amplectitur, & libere eligit id, quod ab intellectu proponitur. Hic triplex est: 1. *Formalis*, quando voluntas actu positivo motum aliquem amplectitur, eumque fovet, vel sibi complacet in eo, quod intellectus plene advertenter proponit. 2. *Virtualis*, qui includitur in formali, quando scilicet voluntas motum aliquem, vel actum in se quidem non vult, ponit tamen ejus causam vel *per se talem*, quæ ex natura sua tendit ad illum, qualis est turpis aspectus respectu motuum libidinosorum: vel *per accidens talem*, quæ ex natura sua non ordinatur ad illum, qualis est cibus & potus respectu eorundem motuum. Præterea virtualis consensus etiam dicitur, quando formalis consensus per dissensum necdum moraliter desiit; sic virtualiter adhuc consentit in furtum, qui elicito consensu progreditur ad locum furti committendi, licet tunc consensum formalem non eliciat. *Herzig* l. c. n. 68. 3. *Interpretativus*, sive negativus est, quando voluntas objectum malum, vel motum pravum nec amplectitur positive, nec aversatur, sed omnino negative vel præcisive se habet, cum tamen deberet illum aversari.

300. His præsuppositis R. Motus Concupiscentiæ sunt peccata, 1. si adsit consensus formalis, vel positivus; quia voluntas libere eos tunc amplectitur. 2. Sunt peccata, si adsit consensus virtualis, ita ut cognoscatur connexio positæ causæ cum pravo affectu. 3. Sunt peccata, si adsit consensus interpretativus, vel negativus; quia, qui facile potest resistere positive, & tamen sine causa non resistit, exponit se manifesto consensus formalis periculo, imo censetur non illubenter tales mo-

tus habere, & virtualiter sibi in illis complacere; id quod plerumque observandum in tentationibus contra fidem & continentiam.

Dixi: *Si sine causa non resistat*: aliud foret, si adesset rationabilis causa permissive se habendi, nec adsit periculum consensus, v. g. si quis prudenter timeat, ne positive resistendo tentationem magis augeat, vel si ea solicitudine nimium fatigetur cum periculo scrupulorum; item si ad ejusmodi motus reprimendos deberet cessare ab aliqua actione honesta, & cum officio suo connexa, v. g. a studio, auditione confessionum, colloquio honesto cum honesta fœmina &c., modo tunc displiceant hi motus, & absit periculum consensus.

Ex his patet, peccasse Anatolium, tum quia scivit ex circumvagatione oculorum oriri tales tentationes; tum quia eas advertendo, non restitit, sed delectatus fuit, iis inhærendo: imo cum plurimis Libertinis falso supposito nititur, existimando consensum peccaminosum non esse, nisi accedat desiderium opere peccandi: cum tamen consensus jam adsit, hoc ipso, quod quis voluntarie inhæreat delectationi venereæ.

Casus III.

Attilius se accusat, 1. *quod in expellendis tentationibus ad peccatum carnis firmam quidem habuerit voluntatem, sed negligenter ab initio restiterit*. 2. *Quod a procaci fœmina invitatus ad peccatum anceps hæserit, an debeat consentire*. 3. *Quod advertens in appetitu sensitivo varios motus turpes passive se habuerit*. 4. *Quod sæpius dixerit: nisi fornicatio esset contra legem Dei, peccarem cum illa formosa*. 5. *Quod invitatus ad comœdiam, ubi plerumque turpia repræsentatur, & sermone proferuntur, ibi comparuerit, quamvis prævideret gravissimas tentationes, easque passus fuerit, dubius, an cum consensu*.

301. *Quæres* I. Quid dicendum ad tres primos casus? Respondet *Sanchez* in Decal. L. 1. c. 1. n. 15. ad 1. quando voluntas se habet primo modo, negligentia communiter est venialis; quia plenus consensus deficit; transit autem in mortalem, quando probabile periculum consensus affert. Ad 2. respondet idem n. 16., quod peccaverit graviter, tum quia talis deliberans re ipsa confert peccatum cum Deo, qui tamen appretiative debet amari super omnia; tum quia se exponit periculo proximo consensus formalis. Præterea dubitans hoc modo committit peccatum ejusdem speciei, de quo deliberat; ideo Attilius in confessione debet dicere; deliberavi, an non velim fornicari. *Sanch.* ibid. Ad 3. R. juxta n. præced. peccavit graviter; quia posuit consensum interpretativum.

302. *Quæres* II. An sit mortale, desiderare rem prohibitam sub conditione, si prohibita non esset? R. 1. Si apposita condi-

tio

tio vere aufert omnem malitiam operis, non est mortale per se loquendo; idque contingere potest tum in iis, quæ jure positivo prohibita sunt, v. g. si quis diceret; Vellem hodie comedere carnes, nisi esset dies Veneris; tum in iis, quæ jure naturæ conditionate tantum, non absolute prohibita, sed in certo statu, & circumstantiis licita sunt: v. g. utinam essem judex, vellem occidere istum furem. Vel alterius argentum auferrem, si Deus mihi illud donaret. *Ratio* est: quia hujusmodi objecta tunc non desiderantur absolute, sed tantum in eo statu, in quo sunt honesta. Dixi: *Non est mortale*; quia hi affectus sunt valde otiosi, adeoque venialiter mali, imo *fatua*, & *diabolica tentatio ad peccandum*; (ut ait *Cajet.*) in materia vero luxuriæ facile miscetur actualis delectatio circa objectum turpe conditionate volitum. *Laym.* L. 1. t. 3. c. 6. n. 2. *Sanch.* in Decal. L. 1. c. 2. n. 24.

℟. 2. Si conditio apposita malitiam actus non auferat, grave peccatum est, aliquid ex se graviter peccaminosum desiderare, vel eo delectari. *Laym.* l. c. n. 11. Sic peccaret, qui cogitaret: Vellem hoc die Veneris comedere carnes, si haberem: vellem furari, nisi timerem patibulum. Porro si desiderium sit ad objectum in nulla circumstantia licitum cum affectu ad rem ipsam sua natura malam, v. g. vellem fornicari, nisi peccatum esset (ut *Attilius* desideravit) vellem blasphemare, pejerare, nisi prohibitum esset, committitur grave peccatum: tum quia talis conditio impossibilis non aufert malitiam objecti intrinsecæ mali; tum quia hoc est optare, ut ordo & lex naturæ immutetur, quod pejus est, quam velle fornicari &c. Si vero desiderium non fuerit ex affectu in rem ipsam, sed tantum ex animo manifestandi naturæ suæ malam propensionem, quæ in consensum ad peccatum traheret, nisi lex Dei arceret; tunc non peccasset graviter: quia potius propensio in malum recordatione divinæ legis fuit repressa. *Laym.* l. c. cum *Sanch. Azor*, & aliis.

303. *Quæres* III. An peccaverit Attilius, spectando comœdiam, ex qua prævidit orituras gravissimas tentationes cum manifesto periculo consensus? ℟. *Affirmative*; quia hoc ipso liberrime se commisit periculo peccati. Ulterior ratio dependet ex seq. Qu.

304. *Quæres* IV. An peccet is, qui ponit actionem, ex qua turpes cogitationes, & motus se prævidet passurum? ℟. 1. Si actio illa sit aliunde utilis, honesta, vel necessaria, quamvis prævideantur tentationes carnales, non peccat quis ponendo illam, *secluso tamen periculo consensus*; quia talis utitur jure suo, nec intendit ullo modo, ut supponitur, illas tentationes: ergo ipsi non sunt voluntariæ: imo alias plurimi deberent mutare suum officium, vel deberent intermittere exercitium artis suæ. Suadendum tamen hujusmodi hominibus, ut sciant media vincendi orituras tentationes. ℟. 2. Si actio illa non sit necessaria,

ria, aut utilis, sed ex quadam tantum levitate fiat, ideoque sit venialiter mala, is, qui ponit illam actionem, NB. *si non intendat tales motus, & absit periculum consensus*, venialiter tantum peccare videtur; quia hi motus ex colloquiis, conversationibus, recreationibus etiam honestis possunt oriri: ergo non videntur satis voluntarii esse in causa; alias fere omnis conversatio non necessaria cum altero sexu esset mortaliter peccaminosa, quod falsum est. *Confir.* ex eo, quod tales actiones non sint proxima dispositio ad turpes motus. Secus est de aspectu, tactu turpi, colloquiis obscœnis, lectione, aut auditione curiosa rerum valde turpium; quæ sunt proxima dispositio ad ejusmodi motus, ideoque si sine necessitate suscipiantur, graviter peccaminosa sunt. Vide *Sporer* t. proœm. c. 5. n. 19.

305. *Ad resolvendos plurimos alios casus observa sequentia*: 1. In omnibus iis non datur parvitas materiæ excusans a peccato mortali, in quibus semper invenitur integra ratio gravis malitiæ, sive materia parva sit, sive magna. Hinc non datur in iis 1. per quæ immediate & directe imputatur Deo imperfectio, ut contingit per odium Dei, blasphemiam formalem, hæresin, perjurium assertorium, desperationem, præsumptionem, simoniam juris naturalis &c. 2. In iis, quorum materia, si non in omni casu esset graviter prohibita, genus humanum maxime ad peccandum alliceret; hoc maxime tenet in peccatis luxuriæ, & in omni delectatione venerea per aspectus, tactus, oscula, &c. directe intenta, aut cum perfecto consensu volita. *Vide propos.* 40. *ab Alex. VII. damnatam*. 3. Quorum malitia in quacunque materia sive parva, sive magna æqualiter præjudicat fini a lege sub gravi pœna intento; sic quia lex præcipiens jejunium naturale ante S. Communionem pro fine habet, ne spirituali cibo corporalis & terrestris præferatur, ideo per quamcunque cibi vel potus sumptionem hoc jejunium violatur. Idem tenent plurimi de sigilli sacramentalis fractione. *Sanch.* in Decal. L. 1. c. 4. *Sporer* l. c. a n. 13. usque ad n. 51.

306. II. Quantitas magna vel parva in materia peccati mortalis sufficiens, vel excusans prudenti judicio desumenda est 1. ex ipsa re secundum se spectata, 2. ex comparatione ad totum, quod præcipitur, 3. & principaliter ex ordine ad finem præcepti. *Sporer* l. c. n. 27.

307. III. Peccatum dignoscitur esse mortale, 1. si sit contra Decalogum, vel præcepta Ecclesiæ in materia gravi. 2. Si contra proximum, hoc est, si graviter lædat charitatem vel justitiam in bonis animæ, corporis, famæ, aut fortunæ. 3. Si contra se ipsum cum gravi corporis vel animæ damno. 4. Si imposita sit pœna gravis, v. g. gehennæ, mortis, censuræ. 5. Si ita communiter sentiant TT. & timorati. *Vide n.* 182. *de LL.*

308. IV. Damna & effectus mali ex aliqua actione vel opere

re secuti, & nullo modo prævisi carent culpa: quia nec in se, nec in causa sunt voluntarii & liberi. Culpabiles vero sunt, si sint prævisi, nec diligentia sufficiens juxta prudentiam sit adhibita, ne sequerentur: ea vero adhibita etsi postea eveniant, culpa vacant; quia ibi effectus est voluntarius in causa, non in posteriore casu. Sic qui cum familiaribus bibit vinum, cujus virtutem ignorat, nec advertit proximum periculum ebrietatis; si postea vinum rationem turbet, culpa caret, quia ebrietas ei voluntaria non fuit; secus, si præviderit eam. Item si in tali ebrietate involuntaria evomat calumnias, blasphemias &c. non peccat, quia non habens rationis usum non advertit ad malitiam horum actuum, nec prævidit hos effectus malos; secus foret, si prævidisset, quod in ebrietate in blasphemias sit erupturus, tunc enim indirecte fuissent volitæ. Denique effectus malus intentus, vel prævisus ex causa illicite posita est culpabilis, sive sequatur post, sive ante voluntatem retractatam, aut quando non est amplius potestas illum impediendi, quia causa supponitur libere posita, consequenter etiam effectus in causa prævisus, vel intentus. Vide *La Croix* L. 5. n. 42. item a n. 30. object. solutas. *Dicastillo* de pœnit. d. 9. a n. 27. contra *Henriq.*

309. V. In somno per se loquendo ob defectum advertentiæ humanæ, & liberæ electionis peccari non potest. Hinc pollutio in somno culpa vacat; peccatum vero est, 1. si ante somnum illa fuerit per causam studiose, & directe procurata, & causa non sit retractata. 2. Si consequenter de eadem deliberate quis delectetur carnaliter. 3. si in somno cœpta ab expergefacto promoveatur. *La Croix* l. c. n. 65. & L. 3. p. 1. a n. 921. Plura de præc. 7.

310. VI. Juxta *Laym.* de pecc. c. 6. n. 12. cum *S. Antonino* conjux mortaliter non peccat, si de maritali copula, absente conjuge, morose delectetur; *si tamen id citra periculum pollutionis fieri possit*; quia copula maritalis de se peccaminosa non est: ergo nec in delectationem morosam inde redundat malitia. Veniale tamen peccatum est talis delectatio, juxta *Cajet.* quia nec necessitas, nec pietas, nec utilitas talem mentis occupationem suadet. Si vero advertatur periculum pollutionis, & non resistatur, culpa gravi non caret. Juxta *eumdem* n. 13. mortaliter peccat vidua, si voluntarie consentiat in motum delectationis sensitivæ, qui ex recordatione copulæ maritalis naturaliter oritur. Idem dicendum de sponso, si in carnis commotionem ex cogitatione futuri actus conjugalis exortam deliberate consentiat.

Casus IV.

De distinctione specifica peccatorum.

Anacletus carnes comedit die jejunii ab Ecclesiæ statuto, quo simul tenebatur jejunare pro pœnitentia a Confessario injuncta, & ex voto,

voto, quo se libere obstrinxerat. Postea confitetur, quod die prohibto carnes comederit.

311. *Quær.* I. An triplex peccatum commiserit Anacletus? R. *Affirmative*; quia violavit tria præcepta formaliter diversa: 1. Præceptum Ecclesiæ; 2. Præceptum Confessarii, qui injunxerat jejunium ex motivo pœnitentiæ; 3. Præceptum voti obligantis ex motivo Religionis. Ideo in confessione debuisset dicere: Violavi jejunium, ad quod vi præcepti Ecclesiæ, pœnitentiæ, & voti, vel sub triplici gravi obligatione tenebar.

321. *Quær.* II. Quomodo circumstantiæ: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando* mutent, vel non mutent speciem? R. cum *Stoz* L. 1. p. 1. q. 1. a n. 50., & *P. Herzig* p. 1. a n. 97. ad singula *primo*: Circumstantia *Quis* importat personam peccantem, quæ si voto, juramento, vinculo matrimonii ligata, vel sanguine juncta, vel ex officio, aut speciali lege ad aliquid agendum, vel omittendum obligata sit, & peccatum aliunde vetitum committat, addit eidem peccato novam specie malitiam. Ex eo tamen non additur, quod votum circa eandem rem sit renovatum, aut solemne; nec ex eo, quod persona sit in Novitiatu, aut minoribus Ordinibus aut dignitate constituta, nisi forte scandalum accedat, ut ait *Sanch.*; nec ex eo, quod quis peccat ex ignorantia; denique (ut vult *Lugo* de Pœnit. Disp. 16. n. 201.) nec ex eo, quod peccet ex inveterata consuetudine.

Secundo. Per *Quid* denotatur juxta *Stoz* loc. cit. n. 54. res concupita, persona, ad quam peccatum terminatur, & effectus ex peccato ortus. Circumstantia rei addit novam speciem, si res sit sacra. Sic qui furatur sacrum calicem, præter furtum committit sacrilegium. Item qui abutitur Hostia consecrata ad superstitiones, reus est superstitionis, & sacrilegii. Circumstantia personæ auget malitiam specifice, si qualitas illius spectet ad distinctam specie virtutem; sic occisio Clerici præter homicidium continet speciem sacrilegii, occisio Parentis speciem parricidii.

Tertio. Per *Ubi* intelligitur locus, in quo peccatum committitur: *Locus sacer* novam in actum malitiam refundit, quando opera quædam reverentiæ illius opposita, & specialiter ab Ecclesia prohibita in eo exercentur; sic effusio sanguinis humani ex *injuriosa*, ac *gravi* percussione, aut vulnere in templo, item pollutio notoria, & culpabilis, imo juxta *Laym.* L. 1. t. 1. c. 9. n. 3. impudicus tactus in partibus verendis, consequenter enim pollutio occulta in templo duplicem specie malitiam continent. *De his infra, ubi de sacril. Locus publicus* refundit novam malitiam scandali in peccatum, si quis in conspectu aliorum peccet, ut alios ad simile peccatum facile seducat.

Quarto. *Quibus auxiliis* partim significat proprie dicta instrumen-

menta, quorum adminiculo homo ad peccandum utitur, v. g. si quis armorum genere speciali lege prohibito, vel ad magis cruciandum exquisito alterum injuste aggrediatur: partim significat alios homines jussu, vel consilio ad criminis societatem inductos. Sic qui filium allicit ad occidendum patrem; specie diversum peccatum committit. *Laym.* l. c. n. 4. cum *Azor.* t. 1. l. 2. c. 4.

Quinto. *Cur* indicat hic finem extrinsecum, sive finem operantis (finis intrinsecus, sive operis, cum sit objecto intrinsecus, per se actioni moralem speciem, sive essentiam tribuit) hinc si finis intrinsecus de se malus sit, & insuper ab operante ad finem extrinsecum, continentem specie diversam malitiam ordinetur, nova contrahitur malitia: imo si plures mali fines operi præfigantur, tot malitiæ in actu erunt, quot insunt diversis finibus: sic qui furatur, ut ex furto possit fornicari, peccatum duplicis malitiæ committit. Econtra si finis extrinsecus non sit malus, vel sit tantum venialiter malus, gravis malitia nova non additur, v. g. si fureris, ut te cum aliis honeste recrees, vel ut pauperi possis dare eleemosynam, primo sine nulla malitia, altero nulla bonitas in actum refundetur: bonum enim ex integra causa. Vide *Laym.* l. c. a n. 4. usque ad 9.

Sexto. *Quomodo* indicat modum pravæ actionis, qui tunc novam speciem addit, quando speciali præcepto, vel virtuti opponitur. Tales modi sunt violentia in stupro, aut furto adhibita; singularis crudelitas, qua homo occisus multis adhuc vulneribus confoditur, membratim discerpitur &c., item omne peccatum factum ex formali contemptu legis. Reliqui modi, v.g. major intentio actus, duratio &c. raro speciem mutant, sed ordinarie malitiam tantum accidentaliter augent: nec species mutatur ex eo, quod peccatum committatur ex mera malitia, passione, culpabili ignorantia, metu, suasione, precibus aliorum, aut seductione passiva &c. *Laym.* l. c. n. 8., *Regin. Bonac.* & alii.

Septimo. *Quando* importat tempus, quo peccatum committitur, additque illi novam speciem, si divino cultui eo præcise tempore specialis irreverentia irrogetur; ut si ludi obscœni die festo, Dominico, sacro Parasceves, exhibeantur, & quidem cum directa intentione sacrum tempus inhonorandi, ut vult *Laym.* l. c. n. 9., vel saltem si id fiat contra expressam legem talia prohibentem hoc vel illo sacro tempore; alias juxta *Herzig* l. c. n. 313., & *P. Stoz* nova species non superadditur.

Casus V.

De distinctione numerica peccatorum.

Asclepiades confitetur, 1. *quod una nocte ex eadem taberna successive variis merces furatus sit*. 2. *Quod per integrum annum*

num

num habuerit voluntatem nunquam restituendi, ignarus tamen, quoties hæc voluntas fuerit interrupta.

313. *Quæres* I. An Asclepiades in primo casu plura numero furta commiserit? R. Licet in dato casu sint plures actus externi successive, moraliter tamen constituunt unum, quamvis longe gravius furtum: tum quia substant eidem intentioni auferendi ab uno, eodemque Domino illas merces; ergo actus externi moraliter sunt unus actus per unum internum continuatum; tum quia ejusmodi merces sunt talia objecta, quæ moraliter uniri, sive tanquam unum intendi possunt: pecuniæ enim, & merces non sunt ita completæ, ut, si multiplicentur, non sint aptæ integrare aliquod totum *in ratione quanti* majus; secus est de vita plurium (ut dictum est n. 289.) Vitæ enim, quantumcunque multiplicentur, non sunt aptæ integrare in ratione vitæ majus aut perfectius. Idem respondet *Sporer* de pecc. c. 4. n. 21. *Babenst.* t. 2. d. 3. a. 3. nu. 12. de eo, qui uno tractu temporis furatur integram bibliothecam, incendit integram domum &c.

314. *Quæres* II. An sufficienter se accuset Asclepiades quoad secundum? R. cum *Sporer* l. c. n. 19. *affirmative*: Si voluntas illa formaliter, vel interpretative fuisset revocata sæpius, & denuo renovata, *per se loquendo*, numerus illorum actuum esset exprimendus in confessione; quia autem sæpe impossibile est, certum numerum explicare, ideo sufficit moram temporis exprimere, v. g. integro anno perstiti in proposito furandi, non restituendi, occidendi, hoc vel illud peccatum grave patrandi &c. Item integro mense odio habui proximum, vel patrem, fratrem &c., & quoties memoria inimici occurrebat, odium, vel propositum nocendi renovavi. Idem affirmat *Laym.* de pecc. c. 3. n. 3. de iis, qui, vel quæ longo tempore luxuriæ vacarunt.

Idem dicendum I. si quis eidem in uno æstu sæpe imprecetur, idem numero peccatum committit; quia repetitæ imprecationes in eodem æstu prolatæ ad unum actum odii internum referuntur, in eoque moraliter consummantur. Item qui durante eodem impetu sæpius blasphemat, pejerat, alterum percutit &c., eo tamen gravius peccat talis, quo sæpius reperit imprecationes, blasphemias &c. *Sporer* l. c. n. 20. *Bonac. Illsung.* & alii. Eodem modo unum numero peccatum sunt oscula, tactus &c. ante copulam; secus si hæc non intenderetur, sed per accidens sequeretur: excipe etiam actus per se jam completos, qualis est pollutio. Vide *Sporer* l. c. n. 21.

II. Si quis eidem in uno æstu diversa mala, v. g. morbum, infamiam, mortem &c. imprecetur, & advertat specificam diversitatem malorum, eamque imprecando intendat, plura peccata etiam specie diversa committit; quia imprecationes termi-

minarentur ad objecta formaliter diversa. Si quis vero illa imprecaretur apprehensa tantum in uno genere mali (ut plerumque contingit) unum numero peccatum committeret non secus, ac si unicum malum ex eodem impetu sæpius imprecaretur. Econtra qui uno actu pluribus idem malum imprecatur, plura peccata committit; quia illud plures personas afficit, charitatem pluribus debitam violat. Idem docet *Bubenst.* l. c. n. 19. cum *Bonac. Tambur.* & aliis de eo, qui uno actu pluribus scandalum præbet, aut injuriam detrahendo vel damnum alio modo infert; hinc in confessione debet exprimere probabilem numerum personarum, quibus nocuit; quia jura, & damna singulorum non habet connexionem inter se. Probabilius etiam plura peccata sunt, eidem uno actu in diversa materia detrahere; quia læduntur jura ad plures diversas famas: per hoc enim, quod quis dicatur lascivus, non sciunt esse fur &c.; ergo retinet jus ad hanc famam. Denique multiplex peccatum committit, qui uni coram pluribus detrahit; quia per hoc, quod fama tua tollatur, aut minuatur apud Petrum, manet adhuc jus ad famam apud Paulum.

Casus VI.

De Peccatis alienis.

Aldelmus vir tenerioris conscientiæ sæpe memor verborum Psalmi 50.: Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo, *rogat Confessarium, ut exponat modos, quibus rei alienorum peccatorum reddimur.*

315. *Quæres* I. Qua ratione quædam peccata dicantur aliena, & quibus modis ea perpetrentur? R. Aliena dicuntur, quia ab alio quidem complete committuntur, ita tamen, ut propriæ voluntati tanquam causæ aliquo modo concurrenti merito imputentur; novem autem modis propria voluntas alterius peccati particeps redditur: scil. *Jussione, consilio, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione, reticentia culpæ alienæ, conniventia vel indulgentia, participatione, ac prava defensione.* Quia qui cooperatur alterius peccato uno his modis, censetur causa moralis illius, vel saltem ei consentiens expresse, vel virtualiter, vel interpretative, & sic illius malitiam contrahit. *Nam digni sunt morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Rom. 1. Et 1. Tim. 5.: *Ne communicaveris peccatis alienis.* De peccatis alienis, prout includunt cooperationem ad damnum tertii, infra de restitutione a n. 775.; hic vero, præscindendo a damno, de modis prædictis agemus; ac

1. *Jussione* perpetrat peccatum alienum, qui dato decreto, aut mandato alium inducit, ut injuriam, aut malum quodcunque

que inferat tertio: sic David peccavit occidendo Uriam non propriis quidem manibus, sed per literas mandans, ut certo occisionis periculo exponeretur: *Derelinquite eum, ut percussus intereat.* 2. Reg. 11.

2. *Consilio* perpetratur peccatum alienum ab eo, qui consiliis suis vel alium determinat ad peccatum, vel modos docet peccandi. Sic Caiphas pessimo suo consilio Senatum Judaicum in mortem Christi concitavit Joann. 11. Pessimus quoque Consiliarius erat Achitophel, suadens Absaloni, ut ingrederetur ad concubinas Patris sui. 2. Reg. 16. Consilium iniquissimum Herodiadis vide *Marci 6.*

3. *Consensus* alieni peccati reum facit illum, a quo alter peccans suffragium accipit, vel a quo peccatum alterius approbatur. Sic peccavit Saulus Stephani neci consentiens *Act. 7. v. 60.* Item Cives Hierosolymitani suis Magistratibus suffragantes, ut Christus crucifigeretur, ideoque Petrus illis exprobravit, dicens: *Authorem vitæ interfeciſtis.* Act. 3.

4. *Irritatione* peccati alieni reus fit, qui deliberate alium ad iram, vindictam, blasphemiam, aut aliud peccatum sive verbis, sive factis, aut quacumque alia ratione provocat, aut instigat. Sic irritare intendit Jobum uxor pessima dicens: *Adhuc permanes in simplicitate tua: benedic Deo, & morere.* Huc pertinent susurrones, de quibus Prov. 26. legitur; *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtracto jurgia conquiescunt.*

5. *Laudatione vel adulatione* committitur alienum peccatum ab eo, qui alterius malefactum deprædicat, vel adulando malefacienti calcar addit, ut pergat in malo. De his Isa. 5. legitur: *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Hos S. *Basilius* hom. in Psal. 61. bene describit, dicens: *Multi sunt, qui pro bonis pravas comprobant actiones; nam scurrilia loquentem, urbanum ac lepidum: turpiloquum vero, politicum: amarulentum, & iracundum neutiquam contemnendum prædicant.* Postea subjungit: *In verborum namque benedictione omnem execrationem vitæ suæ inducunt, ac reos æternæ damnationi ob ea, quæ approbant, sese constituunt.* Et S. *Chrysost.* hom. 2. de Davide & Saule ait: *Collaudare delinquentes, longe plus est, quam delinquere.*

6. *Reticentia* peccat is, qui suo silentio non impedit peccatum alterius, quod vel fraterna correctione, vel delatione ad legitimum Superiorem probabiliter impedire posset: maxime in hoc peccant, quibus ex officio incumbit, delinquentes monere. De his S. *Bern.* Serm. de Nativ. S. Joan. Bapt ait: *Est enim consentire, silere, cum arguere possis.* De correctione fraterna vide infra n. 711.

7. *Conniventia* implicantur peccatis aliorum, qui ea authoritate sua puniendo impedire, vel saltem vindicare possunt, ac debent; impunita tamen, & in pejus abire sinunt. Sic peccant

cant sæpe Magistratus, Parentes, Heri, Præceptores, qui dissimulatione, & indulgentia nimia connivent peccatis suorum subditorum. Ita

8. *Participatione* peccatum alienum contrahunt, qui lucrum sibi ex aliena turpitudine comparant, ut lenones, quive latronibus, vel notæ turpitudinis hominibus præbent locum, quo se, aut sua recipiant: item qui partem furti accipiunt, bona injuste parta scienter cum aliis retinent; de quibus in Præcepto 7.

9. *Defensione* committit peccatum alienum, qui malefactoribus patrocinatur, aut doctrinam alterius perversam, & impiam tuetur, vel spargit: item qui sua cura, aut opera promovere, ac propugnare contendit alterius factum iniquum.

Porro dictas species peccatorum alienorum *S. Basilius* Serm. 2. de Baptis. C. 9. tribus modis explicat, breviter dicens, peccatum alienum posse committi vel *opere*, vel *voluntate tantum*, vel *supina negligentia*, dum alii nostro admonendi officio defraudantur.

316. *Quæres* II. Quænam peccata in Spiritum S. committi dicantur? Respondet *S. Thom.* 2. 2. q. 14. a. 1.: *Quando peccatur ex certa malitia, ... quod contingit ex eo, quod per contemptum abjicitur, & removetur id, quod peccati electionem poterat impedire: sicut spes per desperationem, & timor per præsumptionem &c.; hæc autem omnia, quæ peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus S. in nobis; & ideo sic ex malitia peccare, est peccare in Spiritum S.* Ibid. a. 2. sex species hujus peccati assignantur: scil. *Desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ gratiæ*, sive charitatis, *quæ distinguuntur secundum remotionem, vel contemptum eorum, per quæ potest homo ab electione peccati impediri.*

Ibid. a. 3. explicat, quomodo peccatum in Spiritum S. dicatur irremissibile: *Diversimode dicitur irremissibile: si enim dicatur peccatum in Spiritum S., finalis impœnitentia, sic dicitur irremissibile, quia nullo modo remittitur, peccatum enim mortale, in quo homo perseverat usque ad mortem, quid in hac vita non remittitur per pœnitentiam, neque etiam in futuro dimittetur. Secundum autem alias duas acceptiones dicitur irremissibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia, quantum est de se, habet meritum, ut non remittatur. Et hoc dupliciter: Uno modo, quantum ad pœnam; qui enim ex ignorantia, vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur; qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus pœna minuatur .... Altero modo quoad culpam: sicut aliquis morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi & medicinæ, licet talem morbum Deus possit curare, ita etiam peccatum*

in

in Spiritum S. dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum: per hoc tamen non præcluditur via remittendi Omnipotentiæ, & Misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur. Porro illa *Præsumptio* facit peccatum in Spiritum S., quæ hominem sola Dei Misericordia confidentem, & ad peccandum audacem facit, abjecto omni timore divinæ justitiæ. De hac infra num. 387. in Princip. III. de spe.

Desperatione peccatur in Spiritum S., per quam homo abjicit omnem spem vel impetrandæ a Deo veniæ, vel salutis æternæ consequendæ. De hac infra l. c. n. 386. Sic peccarunt *Gain* Genes. 4. *Judas proditor* Matth. 27.

Impugnatione agnitæ veritatis: quando de fidei & religionis negotio veritas non ex ignorantia, sed ex deliberata malitia studiose oppugnatur, ut hinc veritatis Christianæ sinceritas lædatur. Sic peccarunt Pharisæi, contra suam conscientiam insectantes doctrinam Evangelii.

Invidentia fraternæ gratiæ: quando quis dolet, & tristatur graviter de virtutibus, donisque Dei, quibus proximus est conspicuus: hoc vitium est proprium Satanæ; cujus filii erant Judæi, qui gratiam Evangelii invidebant Gentibus Act. 11.

Obstinatione: quando quis adeo induratum habet animum, ut nullis monitionibus, & rationibus a pravo proposito, & damnabili instituto se deflecti patiatur. Sic obstinatus perit Pharao Exodi 7. & seq.

Impœnitentia: cum homo peccatorum suorum finem, modumque nullum facit, ac insuper statuit, se nolle unquam pœnitentiam agere.

317. *Quæres* III. Quæ dicantur peccata in cælum clamantia? R. Ea, quæ ob specialem malitiam, divinam ultionem insigniter accersunt iis, a quibus committuntur. Ita *P. Canisius* cum *S. August.* & *Gregorio M.* Ejusmodi quatuor e Scriptura numerantur: *Homicidium voluntarium; Peccatum Sodomiticum; Oppressio pauperum, Viduarum atque Pupillorum; & Merces Operariorum defraudata.*

I. De Homicidio agetur infra in C. 5. de Præcepto 5. Decal. a n. 654. & seq. Est autem hoc peccatum unum ex atrocissimis, summamque proximo injuriam infert, qui vitam ei adimit absque legitimo authore; unde sanguis innocenter effusus vindictam clamat, juxta illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram.* Unde etiam Genes. 6. statuitur: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Et Matth. 26. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

II. De peccato Sodomitico vide infra C. 7. de Præcepto 6. n. 756. & seq. De peccatis Sodomitarum dicebant Angeli Genes.

nes. 19. *Delebimus locum istum, eoquod increverit clamor eorum Domino, qui misit nos, ut perdamus illos.*

III. De oppressione Pauperum, Viduarum, atque Pupillorum dicit Scriptura Exodi c. 22. *Viduæ, & pupillo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus* &c. Et Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum.*

IV. De Mercede Operariorum retenta, vel injuste imminuta docet Scriptura Jacobi 5. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Et Deuter. 24.: *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam; ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.*

§. IV.

Resolutiones de Peccatis Capitalibus.

318. *Resol. 1. De Superbia:* Hæc juxta Commun. *est inordinatus appetitus, sive amor propriæ excellentiæ.* Dixi: *inordinatus*: velle enim excellere secundum se, est indifferens, imo honestum, si fiat ex honesto fine, v. g. ad promovendam Dei gloriam, ad satisfaciendum officio suo, ad procurandam salutem proximi &c. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Luc. 12. Si vero tantum ordinetur, & quiescat appetitus excellentiæ in immoderata propria complacentia, erit vitium superbiæ. Cujus vitii quatuor species assignat *S. Th.* 2. 2. q. 16. a. 4. *primo* Si quis bona sua æstimet, quasi non acceperit a Deo, sed a se ipso. Quod reprehendit Apostolus 1. Cor. 4. 7. *Quid autem habes, quod non accepisti* &c. 2. Si quis bona a Deo accepta æstimet tanquam sibi debita. 3. Si quis se extollat ob bona, quæ tamen non habet, vel ob majora, quam habet. 4. Si quis cum contemptu aliorum velit videri singulariter, & meliore modo habere quædam bona multis communia. Hæ quatuor species superbiæ versu sequenti continentur:

Ex se, pro merito, falso, plus omnibus inflat.

Ex his superbia dividitur in *perfectam*, ac *completam*, per quam homo adeo se extollit, ut divinæ voluntati, ac legi nolit esse subjectus: hanc *S. Thom.* l. c. a. 6. vocat peccatum gravissimum, eoquod contineat formalem, ac directam aversionem mentis a Deo. Huc reducitur formalis inobedientia erga Superiores. Et in *imperfectam*, sive *incompletam*, quæ salva subjectione erga Deum sistit in nimia æstimatione sui ipsius, &

in inordinato amore propriæ excellentiæ. Hæc de se est peccatum veniale, nisi accedat gravis injuria proximi, ut si proximus ex superbia graviter contemnatur, infametur, vel suprimatur, ut superbus extollatur; vel si superbia sit causa graviter violandi præceptum divinum. *Laym.* L. 3. sect. 4. n. 23.

319. Idem esto judicium de filiabus superbiæ: quæ sunt 1. *Præsumptio* (prout humilitatis, non spei opponitur) quando quis vult manifestare propriam excellentiam per aggressionem alicujus operis supra vires. 2. *Vana gloria*, quando quis inordinate appetit laudem humanam. Huc reducitur *jactantia*, dum quis verbis extollit propriam excellentiam ad laudem humanam captandam: si vero factis, dicitur *ostentatio*: si per ficta signa virtutis, *hypocrisis*. 3. *Ambitio*, quæ est inordinatus appetitus honoris, ac dignitatis. Inter reliquas filias superbiæ adhuc recensetur *Pertinacia*, *inobedientia*, *contemptus aliorum*, *ingratitudo* &c., quæ sunt mortalia, vel venialia peccata pro gravitate materiæ, damni, finis &c. Ex his resolve sequentem casum.

Casus *de Superbia*.

Arethusa arrogans fœmina se accusat: 1. *Quoties in speculo me contemplor, certo mihi persuadeo, quod Deus formosiorem fœminam non possit creare, quam ego sum*. 2. *Vane me jactavi*. 3. *Hypocrisi dedita fui*. 4. *Vestibus superbivi*. *Proh dolor! nunc sentio pœnas superbiæ: posthac humilis ero: rogo remedia contra superbiam*.

320. *Quær.* I. Quomodo Arethusa in singulis peccarit? R. ad 1. ex suppositio, quod deliberate ita judicaverit, peccavit graviter ex nimis inordinata complacentia sui ipsius cum contemptu, & injuria divinæ Omnipotentiæ. Quoad 2. per se loquendo peccavit venialiter; nisi vana jactantia fuerit de peccato forte gravi. Quoad 3. hypocrisis graviter mala fuit, si finis graviter malus, v. g. si simulasset pietatem, castitatem &c. ut alium seduceret ad grave peccatum; secus, si finis leviter malus, v. g. ut laudaretur ab hominibus. Quoad 4. Ut rectum judicium feratur, quærat Confessarius, quid per vestes, aliumque corporis ornatum intenderit: si decentia tantum, vanitas sive levitas, cupiditas placendi aliis sine malo fine alio eam impellat, illa inordinata complacentia ornatus corporis non excedet veniale: si vero grave scandalum contingat ad alios seducendos, vel si ornatu nimis pretioso impediatur, quo minus possit satisfieri creditoribus, a mortali non excusabitur; quia aliquid ordinare ad grave malum, aut proximo graviter nocere, gravique obligationi non satisfacere, est grave peccatum. *Herzig* p. 2. n. 416.

321. *Quær.* II. Quænam sint remedia contra superbiam? R. 1. Timeat superbus gravissimas pœnas a Deo infligendas etiam

etiam in hac vita: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* Jacobi 4. 6., terreant verba Christi Matth. 23.: *Qui se exaltaverit, humiliabitur*. Item illud Eccl. 10. 14. *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo*. 2. Superbus plerumque loco laudis & æstimationis odium omnium, cum quibus conversatur, in se suscitat: nam *odibilis coram Deo est, & hominibus superbia*, ibid. v. 7. imo justo Dei judicio, *ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia*. Prov. 11. 3. Videat superbus, quem præceptorem habeat, & cujus doctrinam sequatur, non Christi, cujus prima regula est. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*. Matth. 11. 29. 4. Superbiens forma speciosa recogitet, quod omnis pulchritudo vi unicæ febris velut flos decidat 5. Vanæ gloriæ inhians perpendat, quid prosit, laudari ab hominibus, & displicere Deo. 6. Se, suaque facta deprædicans sciat, quod propria laus maxime sordeat. 7. Alios ex superbia contemnens certo credat, quod justo Dei judicio maximum sui ipsius contemptum sibi causet apud alios, juxta illud Isaiæ 33. *Qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Denique se ipsum cognoscat homo, quid fuerit? *Nihil*: quid sit? *quoad corpus infinitis miseriis subjectus*: quoad animam, *sine Dei gratia infelix*: quid futurus sit? *Terra & cinis; & forte æternum miser*; ex his discet humiliatem, quæ est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, ut ait *Laur. Justin.* Varios actus humilitatis facile suggeret prudentia Confessarii pro statu & conditione pœnitentis.

De Avaritia.

322. *Resol. II.* Avaritia est inordinatus appetitus bonorum temporalium, sive immoderatus amor, cura, ac solicitudo, ea acquirendi, conservandi, vel augendi. Ita Comm. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 118. Ejus malitia non consistit in actuali abundantia rerum, sed in affectu inordinato, quo quis cor apponit rebus terrenis. Avaritia, prout opponitur *liberalitati* (quæ juxta *S. Aug.* est virtus inclinans ad liberas largitiones pecuniarum &c. sine spe retributionis, servatque decorum, vel medium inter avaritiam, & prodigalitatem) ex genere suo est peccatum veniale; quia ille excessus est in re indifferenti, ac per se licita. *Sporer* l. c. n. 65. Opposita vero charitati Dei, fit peccatum mortale, quando scilicet homo adeo inordinate appetit, & amat divitias, ut in iis ultimum finem constituat, adeoque amicitiam Dei, curamque salutis omnino postponat; hinc recte vocatur Ephes. 5. *idolorum servitus*: pariter grave peccatum est, si avaritia graviter repugnet charitati, vel justitiæ erga proximum, scilicet injuste auferendo, vel detinendo rem alienam, aut non succurrendo extremæ, vel gravi necessitati proximi. Filiæ ejus juxta *S. Greg.* sunt 1. *Obduratio cordis erga egenos*,

2. *Inquietudo mentis* ob nimiam curam temporalium, 3. *Proditio*, 4. *Fraus*, 5. *Perjurium*, 6. *Furtum*, 7. *Perfidia*, 8. *Oppressio pauperum*: imo *omnis injustitia*. Hinc Eccl. 10. *Avaro nihil est scelestius*.

Casus *de Avaritia*.

Attalus vir dives valde solicitus est de augendo peculio, nec ullam occasionem lucri acquirendi negligit: paulo post lucro ita inhiat, ut devotiones alias consuetas negligat: denique etiam non curat, spe lucri omittere Sacrum diebus festis: quoties cistas pecunia refertas videt, secum inquit: mallem perdere cælum, quam peculium meum. Dum confitetur semel per annum, se accusat, quod fuerit avarus.

323. *Quæres* I. Quid agendum, si pœnitens in genere se accuset, quod fuerit avarus? & quid de Attalo sentiendum? R. 1. cum *P. Herzig* p. 2. n. 412. Quærendum, an solum contra liberalitatem ex affectu avaritiæ, an vero contra justitiam, aut charitatem proximi in re gravi, vel levi deliquerit. R. 2. Attalus ex eo, quod indefessa industria rem domesticam augere studuerit, dando ceteroquin Deo, quod Dei, & proximo quod proximi est, non peccavit, sed laudabiliter egit. Omittendo devotiones non debitas quidem, sed ex inordinato affectu lucri jam venialiter deliquit, & tunc monendus fuit a Confessario, ut mitiget nimium amorem terrenorum. Omittendo Sacrum ex amore lucri, avaritia jam graviter peccaminosa fuit, & semper est, quoties retrahit a spiritualibus, ab quæ ex obligatione gravi tenemur. Ultimus denique affectus grave peccatum fuit; quia peculium æternæ felicitati prætulit, & in divitiis ultimum finem suum constituit.

324. *Quæres* II. Quænam sint remedia contra avaritiam? R. 1. Qui advertit in se inordinatum amorem divitiarum, honorumque temporalium, caveat, ne ex spe lucri subtrahat quidquam cultui Deo debito; quotidie primaria cura sit, certum tempus Deo sacrare, propter lucrum nunquam Deum offendere, per bona opera, præsertim per eleemosynas thesaurum non deficientem in cælis colligere. 2. Sæpe meminerit verborum Christi Matth. 6. *Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia* (quæ vobis sunt necessaria) *adjicientur vobis*. Item illud Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* 3. Recogitet, ad quæ peccatorum pericula nimius divitiarum appetitus deducat, ad omnem injustitiam contra proximum, ad animam venalem exponendam pro re peritura, ad negandum ipsum Deum, & adorandum diabolum, modo obtineatur peculium. Avarus enim sine scrupulo dicit: quid vultis mihi dare, & ego Christum, animamque meam vobis tra-

tradam. Verbo: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli.* 1. Tim. 6... 4. Juxta *S. Aug.* avaritiæ morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine oblivione cogitatur: insonent auribus avari verba Christi Luc. 12.: *Stulte! hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cujus erunt?* Illius forte, qui tui beneficii nequidem recordabitur, sed ridebit tuam sordidam avaritiam; tu interim exutus omnibus bonis collectis, nudus bonis spiritualibus, & meritis, comparebis coram Judice &c. 5. Denique juvat ob oculos ponere exemplum Christi, qui paupertatem divitiis prætulit. *De Luxuria vide Præceptum 6. & 9.*

De Invidia.

325. *Resol. III. Invidia est tristitia de bono alterius, quatenus illud æstimatur ab invido ut malum proprium. S. Th. 2. 2. q. 36.* a. 1. Differt ab odio, quia qui odio habet proximum, tristatur de bono proximi absolute, quia proximo bonum est, & gaudet de illius malo, quia illi malum est; invidus autem respective ad se ipsum tristatur de bono proximi, quia credit, illud minuere propriam excellentiam, adeoque apprehendit illud ut causativum sui mali. *Laymann* L. 2. t. 3. c. 10. n. 1., & *Sporer* cum *S. Th.* l. c. a. 3. affirmat cum communiori, invidiam esse mortale ex genere suo, quia directe est contra charitatem proximi, & voluntatem Dei omnia bona distribuentis, plerumque tamen veniale est ex levitate malæ affectionis, inconsiderantia, aut parvitate materiæ, & ita conciliantur *Stoz* & *Tamb.* cum cit. *Laym.* & comm. Ex invidia oritur *odium, detractio, susurratio* &c. Juxta *S. Basil.* hom. de invid. proprietas invidorum est, virtutem ex vicinitate vitii calumniari: invidi enim *fortitudinem, audaciam potius appellant: modestum, sine sensu hominem: justum, immitem & nimium servum: prudentem, astutum: magnificum, vastum: liberalem ut prodigum taxant: domestice frugalem, avarum dicunt. Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina convertunt, nusquam calumnia rebus laudatis deficiente.* Ibid. *Invidum feriunt omnia proximi sui bona, tam terrena, quam corporis & animi, spiritualia quoque & supernaturalia: imo bonum successum eorum suam calamitatem ducit.* Teste *S. Chrysost.* homil. 31. in 1. Cor. 12. hoc vitium non ita inest dæmoni in dæmonem, ut est in homine adversus alium hominem.

Casus *de Invidia.*

Ammonius sæpe tristatur de scientia, & virtute proximi, non quia proximus hæc habet, sed præcise, quia ipse iis caret. 2. Tristatur de dignitate Titii, quia ex communi fama, & certa experien-

rientia novit, quod Titius ea dignitate indignus sit. 3. Tristatur, quod Cajus persecutor suus promotus sit ad certum officium, unde merito timet, ne occasione jam accepta graviter sibi noceat. 4. Vehementer dolet, dum videt, quod emptores ad alios vicinos mercatores accedant, & suas merces negligant. 5. Denique se insigniter affligit, videns Petrum æstimari ob insignem suam pietatem, quod studeat continuo pietati, & solidæ virtuti, & quod extraordinaria dona Dei in illo eluceant.

326. *Quæres* I. Quid ad singula? R. Quoad primum non peccavit per invidiam, sed potius fuit æmulatio laudabibilis; quia tristitia non est de bonis proximi, sed de propria penuria, quam comparando cum alterius abundantia magis advertit. Et hæc est illa æmulatio, de qua 1. Cor. 12. *Æmulamini charismata meliora*. *Laym.* l. c. n. 2. ubi addit, quod non bona sit æmulatio, si rusticus tristetur, dum videt a Nobilibus possideri agros, & castra, sibi, vero talia deesse. Quoad secundum non peccavit, si bona illa considerentur, prout a potestate humana contra justitiam distributivam obveniunt indigno, vel prout indignus iis abutitur ad peccandum. *S. Antonin.* p. 2. tit. 8. c. 1. Sæpe tamen peccatur, si quis tristetur, quod Deus permittat, indignis conferri illa bona, quia voluntas nostra divinæ voluntati nunquam repugnare debet, quæ ob alios fines illud permittit. *Tertia* Tristitia, si non temere, sed prudenter concipiatur, vitiosa non est: secus, si oriatur tantum ex temeraria suspicione. *Laymann* l. c. Quoad quartum: Si Ammonius cæteroquin faveat aliis mercatoribus lucrum, & ideo tantum doleat, quod ille debeat carere lucro, non peccat; secus, si præcise ideo doleat, quod lucrum alii acquirant, & tenetur moderari hunc inordinatum affectum, ne majora mala inde oriantur. *Herzig* l. c. n. 417. Quoad quintum peccavit graviter, & vocatur *fraternæ charitatis invidentia*, invidia enim diabolica est, invidere alteri bona supernaturalia, gratiam, sanctitatem vitæ &c. *Sporer* l. c. n. 67.

327. *Quæres* II. Quæ sint remedia contra invidiam? R. 1. Recte monet *S. Aug.*: Invidia est filia superbiæ, suffoca matrem, & non erit filia. 2. Meminerit invidus, quod ipse suus sit carnifex, quamdiu enim is, cui invidetur, prospera utitur fortuna, invido nec cibus lætus, nec potus potest esse jucundus, ipse sibi cor arrodit, quin propterea alter bonum suum amittat. 3. Cogitet, *quod sicut invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* Sap. 2. ita per invidiam in cor hominis introeant plurima peccata, & mors animæ. 4. Directe se opponat motibus invidiæ per actus benevolentiæ tum verbis, tum opere.

De Gula.

328. *Resol. IV. Gula est inordinatus appetitus, & usus cibi & potus.* Excessus, sive hæc inordinatio in quinque modis præcipue

pue consistit, in *Præcepto*, *quantitate*, *qualitate*, *tempore*, & *modo* cibum vel potum sumendi. 1. In *præcepto*: Siquis cibis ab Ecclesia, vel regulari disciplina, vel proprio voto prohibitis vescens, jejunium vel abstinentiam transgrediatur; & sic graviter, vel leviter peccatur secundum prohibitionem gravem, vel levem. 2. In *quantitate*: Siquis nimium cibi aut potus sumat, cum sanitatis detrimento, aut si quis, eo usque bibat, ut judicii usus vel turbetur, vel amittatur. 3. In *qualitate*: Si quis cibo aut potu nimis exquisito, aut pretiosiore, quam suus status, aut conditio requirat, ob solam sensuum indulgentiam utatur. 4. *Tempore*; Si quis comedat sæpius, quam expediat, vel tempore non competente, ut solent bibuli, statim, atque excitantur a somno, inordinato appetitui satisfacere. 5. Si quis nimio affectu, & *ob solam voluptatem* cibi ac potus comedat, vel bibat; item si modo indecenti, & ita festinanter, ut cibis totus homo immersus esse videatur. Gula juxta *Laymann*, *Sporer*, & *communiorem* ex genere suo est peccatum veniale oppositum *abstinentiæ* (quæ moderatur appetitum, usumque ciborum juxta rationis regulam) frequenter tamen grave peccatum est vel ratione scandali, vel ob gravia damna corporis, sanitatis, fortunarum, vel ratione officii, quod negligitur. *Ratio* est, quia si hæc gravia mala absint, excessus adhuc manet in re indifferenti, & de se licita: ergo nonnisi venialis culpa est. Merito autam damnata est ab *Innoc. XI.* propositio octava, quod comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non sit peccatum, modo non obsit valetudini; quia natura annexuit in comestione delectationem, ut medium, sive ut ea alliceremur ad sumendam necessariam vitæ sustentationem, non vero tanquam finem: Ergo ob voluptatem tanquam finem comedere, est invertere ordinem naturæ; falsum etiam est, quod licite appetitus naturalis possit suis actibus frui, ut patet in ebrietate, & libidine illicita.

Ebrietas est voluntarius excessus in potu inebriante voluptatis causa usque ad privationem usus rationis. *Laym.* L. 3. sect. 4. n. 4. Opponitur *sobrietati* (quæ est virtus moderans inordinatum appetitum, usumque potus habentis vim inebriandi) per se est peccatum mortale, juxta *S. Th.* 2. 2. q. 150. a. 2. Id satis patet ex Apostolo ad Gal. 5. ad Rom. 13. ad Ephes. 5. *Ratio S. Th.* est: quia voluntarie se inebrians præfert delectationem vini integritati rationis, & ultro se abjicit ad brutorum sortem sola voluptatis gratia; quæ est gravis deformitas, & grande malum.

Casus *de Ebrietate*.

Asaph legens propos. 8. *ab Innoc. XI. damnatam recordatur, quod plerumque voluptatis gratia comedat, & bibat usque ad satietatem, ideo-*

ideoque se accusat in confessione. 1. *Ait, quod se inebriaverit*. 2. *Quod alios ad ebrietatem induxerit*.

329. *Quæres* I. Quomodo Asaph. peccarit? Rx. quoad 1. Si ob solam (uti additur in damnata) voluptatem comederit, & biberit, peccavit venialiter, si plena ebrietas voluntaria absit. Nullum vero peccatum fuit, si intenderit quidem aliquam voluptatem, sed vel virtualiter, vel formaliter alium finem simul spectarit, v. g. ut cibus & potus magis conducat ad nutritionem, sanitatem &c. *Viva* in d. propos. *Duarte* V. *Gula*. Quoad 2. quærat Confessarius, an rationis usu fuerit destitutus, an ebrietatem intenderit, aut inter potandum eam observans potum tamen continuarit, hæc si fateatur, graviter peccavit. Secus, si dicat, quod vel plene usum rationis non amiserit, vel id nec intenderit, nec præviderit, ut contingere solet iis, qui ob debilitatem stomachi indispositi sunt ad bibendum, vel vini generositatem ignorant, vel post liberaliorem potum libero aeri se committunt. *Burgh.* casu 1. cent. 1. cum 7. gravibus AA. Peccant juxta *P. Herzig* p. 2. n. 423. illi, qui diu noctuque potantes periculo ebrietatis se exponunt, non curantes, an ebrietas secutura, vel non secutura sit. Quod 3. Rx. cum *Laym.* l. c. n. 6. Peccat graviter, qui alios jussu, consilio, aliove modo invitat, & directe inducit ad ebrietatem plenam: nam si ebrietas voluptatis causa volita per se graviter mala sit, etiam grave peccatum est, alium directe inducere ad illud malum grave. Eodem modo loquere de iis, qui se voluptatis causa ad æquales calices provocant, si intendatur ebrietas, vel certo prævideatur periculum illius.

330. Porro *adverte* I. Mos patriæ, aut bonus affectus non excusant a gravi peccato illum, qui convivam suum urget, & quasi necessitat ad bibendum usque ad periculum ebrietatis destituentis alterum usu rationis: tunc autem excusat, quando urbanitatis, aut amicitiæ gratia liberalior potus offertur, & sæpius propinatur, in ea tamen quantitate, & moderatione, ut spectatis circumstantiis non sit periculum ebrietatis, aut gravis damni. *Burgaber* Cent. 3. casu 99. cum *Dicastillo*.

331. II. Juxta *Laym.* l. c. non est peccatum, vinum alteri apponere, relicta illi libertate, quantum bibere velit, quamvis putes, illum ad ebrietatem usque bibiturum: quia talis cooperatio materialis tantum est, & se per accidens habet. Hinc excusat etiam caupones probabilis spes, & opinio, quod hospites se plene, quantum requiritur ad peccatum mortale, non sint inebriaturi. *Gobat* in Quint. t. 5. c. 13. n. 52., *Sanch.* & alii; maxime si accedat timor periculi discordiarum, aut notabilis damni, nisi vinum liberalius concedatur. N. B. Non tamen excusat modicum lucrum, hinc graviter peccant, qui vinum corrumpunt, ut facilius inebriet, ad alliciendos bibulos, ut eo citius ven-

vendatur illud. Item si citrà incommodum ebrietatem impedire possint negando vinum, nec tamen impediant, ut ait *Herzig* l. c. n. 425.

332. III. Qui per experientiam scit, se communiter plene inebriari in his, vel illis consortiis, tenetur illa vitare sub gravi peccato; quilibet enim tenetur cavere periculum proximum peccati gravis. Addit *La Croix* L. 5. n. 328., non posse absolvi illum, qui non habet propositum evitandi ebrietatem, & probabile ejus periculum: intellige de theologica ebrietate, quæ tollit usum rationis.

333. IV. Qui inter bibendum dubitat, vel advertit probabile periculum secuturæ privationis rationis, adhuc tamen pergit bibere, peccat graviter; nisi prius dubium deponat, & prudenter judicet, se non plene inebriatum iri.

334. V. Impeditus usus linguæ, titubatio pedum, vomitus, objecta dupliciter apparentia, si domus everti videatur &c., non semper sunt signum certum ebrietatis plenæ, qua peccetur graviter. Juxta *Lessium*, *Cajet.* & alios hæc signa certiora sunt: si quis die altera ignoret, quid dixerit, aut egerit: si nesciat, quomodo domum venerit: si talia dixerit, quæ mente integra numquam dixisset; sic enim videtur non potuisse discernere inter licitum, & illicitum &c.

335. VI. An liceat bibere ad ebrietatem ex causa gravissima, v. g. ad recuperandam sanitatem, aut pro conservandâ vita, si hostis minitetur mortem, ut inque fortiter defenditur. Probabilior videtur esse sententia negativa *S. Antonini* p. 2. tit. 6. c. 3. *Angeli* V. *Ebrietas*. Quoad 2. *S. Aug.* Serm. 232. de tempore, ubi ait: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas, aut morieris, melius tibi erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur*. *Ratio* horum est: quia plena ebrietas non minus est intrinsece mala, quam pollutio: sicut enim hæc est destructio seminis humani, ita illa est destructio rationis, qua nihil præstantius in homine. Ergo sicut pollutio nullo casu est licita, ita nec ebrietas destruens rationem.

Econtra utrumque licitum esse affirmant *Sylv.* V. *Ebrietas*. *Cajet.* *Azor*, *Illsung.* t. 4. d. 1. n. 54., ubi in fine addit, quod hæc sententia affirmet tantum, tum licitam esse ebrietatem, ad recuperandam sanitatem, si potus inebrians nullo alio medio suppleri possit, quod vix continget. *Gobat* autem in Quin. t. 5. c. 18. n. 15. concedit, licitam esse inebrationem, ad morbum gravem; etiam non lethalem, curandum. NB. si aliter curari nequeat. *Ratio* Patronorum hujus sententiæ 1. est, quod, si non bibatur ex sola voluptate, non sit ebrietas formalis, sed materialis, quæ non sit intrisece mala, sed licita ex urgenti causa. 2. Quod licitum sit, ex gravi causa sumere pharmacum soporiferum, etsi quis statim ex somno ad usum rationis excita-

citari non possit; ergo a pari. 3. Quod non sit contra charitatem propriam, pati abscissionem brachii pro conservanda vita; ergo nec contra sobrietatem sopire per potum ad tempus rationem; ut conservetur totum, ratio, & vita. Quas rationes solvit *Jansen.* casu 12. de peccat. post n. 10. ex eo, quod in dictis casibus directe non intendatur aliquid intrinsece malum, sicut in nostro casu. Adde, quod citati AA. fere semper supponant, non superesse aliud remedium: adeoque nec ipsi facile concedunt hanc temulentam medicinam.

336. *Quæres* II. Quæ sint remedia contra hoc commune vitium? R. 1. Perpendat ebrietati deditus multiplex væ in Scriptura sibi intentatum Isaiæ 5.: *Væ! qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* 2. Cogitet, quod ab ipsis brutis longe superetur, quæ nunquam ultra satietatem se ingurgitant. 3. Consideret gulæ, & ebrietatis effectus, quales sunt, *vitæ & valetudinis decurtatio.* Nam *propter crapulam multi obierunt.* Eccl. 37. Item: *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis.* Prov. 23. Paupertas; nam *qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum, ... non ditabitur.* Prov. 21. Luxuria: nam *luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas quicunque his delectatur, non erit sapiens,* Prov. 20. Denique *neque ebriosi possidebunt regnum Dei.* 1. Cor. 6. ... 4. Sequatur bibulus consilium *P. Georgii Scherer*: bibe parum, si velis bibere multum: moderate enim bibendo diu protrahes vitam; ergo plus bibes, quam si immoderate potando mortem tibi accelores. Hæc enim bibulis hora, qua non putant, solet advenire. Hinc Christus Luc. 25. monet; *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa.* In Confessionali pro vario statu pœnitentium plura, & accommodata remedia suggeret prudentia Confessarii, præsertim si plebejis bibulis pro pœnitentia injungat, ut usque ad proximam confessionem non frequentent hospitia. NB. Dum plebeji se accusant de semiplena ebrietate, plerumque non addunt actus turpissimos eo tempore commissos, eo quod perperam putent, tum non fuisse peccata, id qucd Confessarius debet dedocere.

De Ira.

327. *Resol. V. Ira est inordinatus appetitus vindictæ.* Dixi: *Inordinatus*: nam cum debita moderatione, & ordine rationis petere, aut sumere vindictam, non est vitium, sed zelus; hinc Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* Sic actum virtutis exercet Judex justam vindictam sumendo a reo, Parens a filio, Dominus a servo. Peccaminosa iræ inordinatio *primo* contingit

git *ex parte modi irascendi*, dum quis nimium interius excandescit, vel exterius per signa prodit, aut justam vindictam majore cum vehementia repetit, quam recta ratio postulat. Hæc per se est peccatum veniale; quia est excessus in passione indifferente: per accidens fit mortale ob grave damnum sibi in sanitate, aut alteri simul illatum. *Secundo ex parte objecti*, appetendo vindictam injustam, vel justa majorem, v. g. optando alteri mortem, quam meritus non est: vel si repetatur quidem justa vindicta, sed ex odio, sive ad satiandum malevolum animum, quod directe opponitur charitati; & hæc inordinatio graviter peccaminosa est, quando appetitur vindicta gravis, vel quando ex illa quis erumpit in maledicta deliberata, blasphemias, imprecationes, graves contumelias &c. *Ratio* est: Quia tunc læsio Charitatis, & materia gravis est. *S. Th.* 2. 2. *q.* 158. *Sporer l. c. n.* 70. *& comm.* Differunt inter se indignatio, ira, & iracundia. *Indignatio* est stimulus quidam brevis, & subitus actus irascentis, hæc recte definitur, accensio quædam cordis inordinata propter ea, quæ contra voluntatem nostram eveniunt. *Ira* est vehementior motus, ac veluti libido quædam se vindicandi. *Iracundia*, est habitus, & consuetudo irascendi. Ex ira tria peccatorum genera oriuntur, 1. *cogitationis*, v. g. cdium proximi, vindictæ propositum, desiderium, ut malum illi eveniat, gaudium, quando is malum jam sentit, tristitia de ejus bono, voluptas in vindicta sumenda &c. 2. *Linguæ*, scil. verba vindictæ, contumeliæ, injuriæ coram proximo, vel in absentem murmurationes, imprecationes, rixæ, verba clamosa, injuriosa, imo & blasphema &c. 3. *operis*, de quibus in 5. præcepto Decal. nimirum vulnerare, mutilare, occidere proximum, gravia damna inferre, vel eum quovis modo inique persequi ex vindicta. De his *S. Greg.* L. 31. Moral. c. 17. *S. Thom.* 2. 2. q. 158. a. 7.

Casus *de Ira*.

Apulæus se accusat, quod sæpe iratus fuerit; & quoniam advertit, quod hanc passionem remanens in sæculo non possit domare, ingreditur ordinem religiosum; videns autem, quod a fratribus frequens iræ occasio ministretur, fugit in solitudinem; sed cum ibi a dæmone ter ipsi vas aquæ eversum esset, valde iratus illud in terram allisit: tandem advertens, non posse domari hanc passionem, nisi vim sibi inferret, redit ad monasterium. Ita Spec. Exempl.

338. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si pœnitens in genere dicat: iratus fui? R. Inquirendum an vehementius tantum exarserit, an vindicare se intenderit? *Si primum:* leviter tantum peccasse plerumque censetur, nisi forte scandalum grave, aut alia circumstantia aggravasset; imo si moderamen non excessit indignatio, vel si fuerit motus primo-primus,

pla-

plane a peccato excusatur. *Si secundum*: Porro inquirendum, an vindicta intenta gravis fuerit, vel levis; item an hæc intentio fuerit ex plena deliberatione, aut tantum semiplena; dein an subsecutæ sint deliberatæ, vel indeliberatæ blasphemiæ, maledictiones, imprecationes &c. Sic gravitas, vel levitas iræ facile dignoscetur. Porro injusta vindicta censetur 1. si appetatur alicui pœna, qui malum non egit. 2. Si major pœna delicto. 3. Si sine debito ordine juris. 4. Si absque debito fine, qui est ad bonum tuendum, & malum puniendum. 5. Si absque debito modo v. g. maledicendo &c.

339. *Q.* II. Quænam sint remedia contra iram? *R.* 1. Perpendat iracundus: si Deus ex justissimis causis de nostris peccatis justam vindictam vellet sumere, quot pœnas gravissimas quotidie deberemus sustinere. 2. Perpendat mala corporis ex ira provenientia: sanitati enim nihil æque nocet, ac ira. Hinc *Jobi* 5. *Virum stultum interficit iracundia*. Item *Eccl.* 30. *Zelus & iracundia minuent dies*. 3. Mala animæ propter plurima peccata ex ira provenientia; *qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior*. *Eccl.* 30. 4. Pœnas: *Qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio, ait Christus Matth.* 5. Denique quotidie efficaciter proponat imitari Christum, qui Matth. 11. ait. *Discite a me, qui mitis sum & humilis corde*. Mature hanc passionem suam compescere studeant: recte ait S. Basil. *Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit hominem penitus in feram convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit*. Dum motum iræ sentit, ad aliud objectum se convertat, nec unquam in iræ æstu puniat: præstat etiam sibi ipsi pœnam injungere, quoties delinquitur ex ira; hoc medio Ausonius Poeta iram suam suppressit, ut ipse fatetur:

Irasci promptus properavi condere motum,
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.

De Acedia.

340. *Resol. VI.* Acedia generice est *tædium animi*. Juxta *S. Th.* 2. 2. *q.* 35. *a.* 2. dupliciter potest spectari. 1. Pro tædio, & tristitia de bonis spiritualibus, ac divinis v. g. amicitia Dei, vita æterna, & mediis ad eam consequendam necessariis, propter difficultatem in iis acquirendis, vel conservandis: Hoc modo, si acedia deliberata sit, est peccatum mortale; quia sic directe homo se avertit a Deo, tanquam ab ultimo fine. 2. Acedia sumitur pro fastidio, & tepore animi in exercitio virtutum; quibus labor & arduitas sunt conjuncta; sic intellecta est peccatum veniale, nisi omittantur actus virtutum graviter præcepti v. g. auditio missæ die festo, recitatio breviarii &c. Acediæ mali partus sunt, amaritudo, nausea, odium rerum spiritua-

ritualium, torpor in servitio divino, negligens præparatio ad suscipienda, & administranda sacramenta, otium, pusillanimitas, evagatio mentis sub oratione ad illicita, aversio a Verbo Dei, & eorum, qui salutaria monent, odium Dei, tædium vitæ, desperatio &c.

Casus *de Acedia*.

Automarus se accusat 1. *quod, cum nuper ægrotus esset, grave tædium habuerit ad recitandam etiam unicam orationem dominicam.* 2. *Quod sanus sæpe distractus fuerit in precibus.* 3. *Quod aliquoties grave tædium habuerit circa æternam beatitudinem consequendam* 4. *Quod sæpe tristetur, se baptizatum esse, & Christum agnovisse.*

341. *Q.* I. An, & quomodo in singulis peccaverit Automarus? R. *Ad* 1. Res nimis nota est, quod præsente morbo homo fit naturaliter indispositus ad orationem cum gustu, & solatio persolvendam; adeoque tædium hoc non est peccaminosum, si tamen conetur ægrotus vincere tædium, quantum potest, & non negligat absolute necessaria. *Ad* 2. Distractiones in precibus involuntariæ culpa carent, voluntariæ per se sunt veniale peccatum, nisi ita immodicæ sint, ut propter eas non satisfiat præcepto graviter obliganti, v. g. audiendi missam &c. *Ad* 3. Si tædium ad finem ultimum sit inefficax cum voluntate adimplendi omnia præcepta, est tantum veniale, imo si stante etiam tædio homo præstet id, quod cum gratia divina præstare potest, occasio majoris meriti est. *Ad* 4. Si deliberate illi tristitiæ inhæserit, peccavit graviter, quia fuisset gravis contemptus Christi Salvatoris, & medii necessarii ad salutem, vide *Sporer l. c. n.* 71. Ubi addit, quod Acedia causans omissionem operis graviter præcepti, vel negligentem executionem, constituat unum peccatum cum ipsa omissione, vel negligenti executione, quam sufficit in Confessione exprimere; tunc autem speciale peccatum foret, si actus omitteretur, quia ad Dei cultum spectat, & quidem ex displicentia voluntaria gratiæ & gloriæ.

342. *Q.* II. Quæ sint remedia contra Acediam? R. Sciat tepidus & Acediæ deditus, quod tam ingratus Deo sit, quam homini cibus brevi evomendus. Juxta illud *Apoc.* 3. *Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* 2. Recogitet, quantum laborem impendat pro bono corporis: eccur non majorem fervorem pro bono animæ? 3. Perpendat innumera beneficia a Deo præstita, quæ exigunt gratitudinem non tepidam, sed condignam. 4. Homo servum torpentem, otiosum, negligentem indignum reputat pane, & acqua: nonne & tu torpens ac tepidus servus Dei es? 5. Consideret Acediæ deditus fervorem plurimorum Christianorum, & imitetur eorum exemplum.

TRA-

TRACTATUS III.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

CAPUT I.

De Primo Præcepto.

PLeraque præcepta Decalogi quoad ſonum literalem videntur quidem eſſe negativa tantum, ſive prohibitiva; reipſa tamen ſingula ſunt etiam affirmativa, ſive aliquid præcipientia. Præcepta primæ tabulæ h. e. tria prima continent ea, quæ ad Charitatem Dei, ſecundæ autem h. e. reliqua ſeptem continent illa, quæ ad Chariratem proximi pertinent. In primo hoc capite agemus de primo præcepto. *Ego ſum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi ſculptile, ut adores illud. Exodi* 20. Hoc præceptum, ut affirmativum eſt, præcipit actus Religionis, quæ eſt virtus moralis, qua in- & exterior cultus Deo exhibetur propter infinitam ejus excellentiam: directe Deus colitur per fidem, ſpem & Charitatem; prout vero eſt negativum, prohibet actus religionis oppoſitos, de quibus nunc agendum.

ARTICULUS. I.

De Fide, Spe, & Charitate.

§. I.

Principia generalia de Obligatione credendi.

343. *Nota* I. Fides in genere eſt aſſenſus præſtitus propter authoritatem loquentis; ſi ſit propter authoritatem dicentis Dei, dicitur *fides divina*, ſi ob authoritatem loquentis hominis, eſt humana. Porro fides divina alia eſt *naturalis*, in quam non influit habitus, vel aliud principium ſupernaturale: alia *ſupernaturalis*, in quam influit aliquod principium ſupernaturale. Fides divina ſupernaturalis, de qua hic ſolum agimus, iterum dividitur in habitualem, & actualem. *Habitualis* communiter definitur donum Dei (*Juxta Apoſt. ad Epheſ. 2. v.* 8.) ac lumen, quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus, quæ Deus revelavit, ſive ſcripta illa ſint, ſive non ſint; ex quo eruitur, quod *objectum materiale* fidei ſint omnia & ſola a Deo revelata ſive per ſcripturam, ſive per traditionem; duplex enim eſt verbum Dei, *ſcriptum* & traditum, nam veritates a Deo revelatæ partim

con-

continetur in libris scriptis tum veteris tum novi Testamenti, partim *sine scripto in Traditionibus*, *quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt*. Ut ait *Trid.* sess. 4. in Decret. de Can. script. *Objectum formale fidei* est authoritas Dei in cognoscendo, & loquendo; Deus enim per infinitam sapientiam suam omnia cognoscit, ut sunt in se, ideoque falli nequit, per veracitatem autem suam necessario loquitur & manifestat, sicut cognoscit: ideoque nec fallere potest: ergo propter utramque perfectionem dignus est Deus firmissimo assensu. Alias a Theologis fides *habitualis* definitur: *Habitualis* est habitus infusus, sive virtus supernaturalis habilitans, & adjuvans intellectum ad firmiter credendum omnia a Deo revelata propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem. *Actualis* est assensus firmus & certus, quo intellectus lumine supernaturali illustratus actualiter assentitur uni, aut omnibus mysteriis a Deo revelatis propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem

344. III. Fides actualis alia est *Explicita*, quando aliquod mysterium in particulari in se ipso, & propriis terminis significatum creditur, v. g. quod Deus sit trinus in Personis. Alia *Implicita*, quando aliquod objectum revelatum creditur non in se ipso, & propriis terminis cognitum, sed in alio, in quo implicite continetur, v. g. qui credit, quidquid Deus revelavit, vel quidquid credit Ecclesia Catholica, is credit implicite mysterium Trinitatis, quia inter veritates a Deo revelatas, quas credit Ecclesia, continetur. Porro duobus modis dicitur aliquid esse necessarium ad salutem. 1. *Necessitate medii*, sine quo homo nullo modo salvari potest, etiamsi sine ulla propria culpa tali medio careat. Taliter necessaria alia sunt ad credendum, alia ad agendum, de quibus infra. 2. *Necessarium necessitate præcepti* quod quidem homo ex præcepto tenetur scire, aut exequi, si tamen ex ignorantia inculpabili, vel impossibilitate nesciat, aut omittat, adhuc salvari potest. Sic necessaria est restitutio rei alienæ, quam si culpabiliter negligas, salvus non eris; si vero ex impotentia non restituas, volens, si posses, adhuc potes salvari. *Babenst.* t. 5. d. 1. n. 2. *cum comm.*

345. *Principium I.* 1. *Fides habitualis omnibus tam infantibus, quam adultis necessaria est ad salutem necessitate medii.* 2. *Fides actualis supernaturalis adultis pariter necessaria est absolute, sive necessitate medii ad Justificationem, & salutem. Prob. prima pars Hebr.* 11. absolute ait S. Paulus: *Sine fide impossibile est placere Deo:* infantes autem habere nequeunt fidem actualem: ergo, ut placeant Deo, debent necessario habere fidem habitualem. *Confir.* ex *Trid.* Sess. 6. c. 7. *de Justif.* ubi Baptismus dicitur *Sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contingit justificatio. Prob. 2. pars* ex illo *Marci ult.: qui non crediderit, condemnabitur. Confirm.* Ex

Trid.

Trid. Sess. 6. c. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis* &c. Opposita sententia damnata est ab *Innoc. XI.* per *propos.* 16. item ab *Alex. VII.* per *propos.* 1. *Ratio insuper est*: Quia Deus juxta modernum ordinem adultos non justificat, nisi per proprios actus tendant in ipsum tanquam finem ultimum: atqui tendere non possunt sine actu interno fidei, & quidem supernaturalis; Naturalis enim non sufficit, ut patet ex *propos.* 23. *ab Innoc. XI.* damnata. Ratio damn. est, quia actus naturalis non est proportionatus justificationi; atqui fides ex testimonio creaturarum est actus naturalis: ergo.

Porro ad actum fidei supernaturalem & meritorium requiritur 1. *ex parte intellectus* notitia mysteriorum, & Spiritus S. illustratio (juxta illud Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*) qua incipiat requirere, vel cognoscere motiva credibilitatis, quibus moraliter certo, & evidenter persuadeatur, quod hoc, vel illud objectum revera sit revelatum, ideoque possit, ac debeat credi assensu firmissimo, & hoc vocatur *judicium credenditatis* propter revel. divinam. Quod autem non sufficiat cognitio probabilis revelationis, sed requiratur certa, patet ex *propos.* 21. *ab Innoc. XI.* damn. Requiritur etiam cognitio auctoritatis sive infallibilitatis Dei in loquendo. 2. *Ex parte voluntatis* requiritur pia affectio sive voluntas submittendi intellectum suum in re quantumcunque obscura Auctoritati Dei dicentis juxta illud. 2. Cor. 10. v. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Ab hac voluntate fides divina dicitur libera, & meritoria hæc voluntas efficere potest, ut assensus intellectus sit firmior, quam mereantur motiva credibilitatis, ut constat ex *propos.* 19. *ab Innoc. XI.* damn. Ratio est; quia fides habet omnimodam certitudinem, adeoque majorem, quam ullus assensus naturalis; atqui non haberet, si eam tantum haberet a pondere rationum; objecta enim fidei non sunt evidentia: ergo eam a pondere rationum non accipit: ergo voluntas potest efficere, ut assensus sit magis firmus. Hinc etiam non potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem, ut iterum patet ex *propos.* 20. *ab Innoc. XI.* damn. tum quia actui fidei non potest subesse falsitas: tum quia nequit repudiari Dei testimonium, denique quia ut actus fidei sit supernaturalis, debet mysterium fidei esse evidenter credibile, nec sufficit sola probabilitas, quod Deus sit locutus; atqui posita evidentia, quod Deus sit locutus, non potest esse probabile, quod Deus non sit locutus: ergo actus fidei prudenter non potest repudiari. Denique sequitur ipse actus fidei. Ad judicium autem credibilitatis, & credenditatis maxime movet Auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, quatenus ei conveniunt, & quidem soli, notæ veræ Ecclesiæ, scil. quod sit *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica*.

Quær.

„ *Quær.* 1. Quid sit actum aliquem fidei supernaturalis eli-
„ cere?

„ R. Nihil esse aliud, quam libere intellectum applicare ad
„ firmiter assentiendum alicui Veritati a Deo revelatæ, & per
„ Ecclesiam nobis propositæ: quia veritas illa est a Deo reve-
„ lata, & ut talis ab Ecclesia proposita.

„ Unde patet, ad actum fidei supernaturalis quinque requi-
„ ri conditiones, quarum si vel una deficiat, deficit etiam fi-
„ des. 1. est, ut actus sit deliberatus, & a libera Voluntatis
„ electione procedat, quod illi cum aliarum virtutum actibus
„ commune est. 2. ut habeat pro objecto veritatem aliquam a
„ Deo revelatam sive per Scripturam S., sive per traditionem
„ divinam. 3. Ut intellectus assentiatur veritati a Deo reve-
„ latæ, propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem; si e-
„ nim id faciat ob aliquam rationem Credibilitatis, non am-
„ plius actum fidei elicit; cum fides sola Dei revelantis au-
„ ctoritate, non vero ulla ratione innitatur. 4. Ut firmiter
„ & secluſa omni dubitatione assentiatur, alias assensus ille
„ non amplius innititur revelatione divina; vel si innitatur,
„ gravissimam injuriam Deo infert, cujus veritatem, & in-
„ fallibilitatem hoc pacto in dubium revocat. 5. Denique con-
„ ditio est, ut veritas a Deo revelata, per Ecclesiam creden-
„ da proponatur; cujus conditionis defectu fides Hæreticorum
„ non est vera fides supernaturalis, quia veritates quas cre-
„ dunt, non ab Ecclesia, sed a sensu proprio & particulari
„ judicio, credendas accipiunt: & non tantum ex hoc capite
„ deficit illorum fides, sed etiam ex eo, quod (ut docet S.
„ Thomas) qui vel in uno articulo a fide deficit, totam fi-
„ dem amittit: unde etiamsi Hæretici plurima Religionis Chri-
„ stianæ mysteria credere videantur, illi tamen non fide super-
„ naturali & divina, sed fide tantum & opinione humana cre-
„ dunt.

„ Addunt aliqui & sextam conditionem, scilicet, ut assen-
„ sus fidei referatur in Deum, tanquam finem ultimum, &
„ hoc quidem verum est, si de fide viva & per charitatem
„ formata, sermo sit, cujus omnes actus saltem virtualiter ab
„ ipsa Charitate informante, in Deum referuntur: verum
„ proprie loquendo tales actus potius actus Charitatis, quam
„ fidei vocari debent; unde S. Augustinus *Serm.* 181. *de verbis*
„ *Domini*, loquens de fide illa per charitatem formata, dicit,
„ quod *credere in Deum* est Deum diligere, & Serm. 6. hanc
„ inter peccatorem & justum ponit differentiam: *quod Pecca-*
„ *tor quidem credat Christo, & credat Christum*, sed non cre-
„ dat *in Christum*; hoc enim sine charitate qua privatus est,
„ facere non potest, ac proinde credere in Christum solius ju-
„ sti proprium est.

„ *Q.* 2. Quæ sint motiva Credibilitatis pro fide Catholico-
„ Romana; quæ fidei regula & resolutio?

„ *Nota* 1. Per Ecclesiam hic intelligitur cœtus fidelium in
„ una vera religione Deum colentium, ex quibus fit corpus
„ mysticum constans capite suo & membris; authoritas hujus est
„ duplex: una *humana*, quæ fundatur in pietate, sapientia, pru-
„ dentia eorum, qui jam a tot sæculis corpus Ecclesiæ constitue-
„ runt, item in sanctitate, doctrina, constantia Martyrum &
„ Confessorum, aliisque id generis argumentis: alia est *quasi*
„ *divina* fundata in speciali Spiritus Sancti assistentia, qua Ec-
„ clesia regitur circa res fidei juxta illud *Matth.* 25. *v.* 16.
„ *Porta Inferi non prevalebunt adversus eam*. Prior autho-
„ ritas est quidem maxima in genere suo, attamen abso-
„ lute fallibilis, non enim repugnat ex natura rei in rebus
„ adeo obscuris, ut sunt aliqua fidei mysteria, etiam virorum
„ illorum cœtum in errorem labi; altera est plane infallibilis
„ ob specialem assistentiam Spiritus Sancti.

„ *Nota* 2. Ecclesia vera debet esse visibilis & infallibilis in
„ rebus fidei & morum, & habere caput visibile; nam jube-
„ mur eam ingredi & illi obedire *Marci ult. Matth.* 15. sed
„ hæc quomodo fient, si non habeat Notas, quibus cognosca-
„ tur? *Deinde* dicitur 1. Tim. 3. v. 16. *columna & firmamen-*
„ *tum veritatis*, & Matth. 16. *portæ inferi non prævalebunt*
„ *adversus eam*, quæ vera non essent, si posset errare in rebus
„ fidei & morum.

„ *Nota* 3. Ecclesia quoad hæc est infallibilis non tantum in
„ Concilio generali legitime congregato & authoritate Pontifi-
„ cis confirmato, quia hoc repræsentat totam Ecclesiam, nec
„ possibile est omnes fideles convenire, sed etiam in suo capi-
„ te: hoc est, Papa loquente ex cathedra; quia ortis controver-
„ siis non possunt semper Concilia convocari. Loquitur autem
„ Papa ex cathedra, quando ut Caput & Doctor universalis
„ Ecclesiæ aliquid tanquam fide divina credendum, aut velut
„ honestum vel inhonestum definit toti Ecclesiæ, sic enim lo-
„ quenti promissa est assistentia Spiritus Sancti, ut oves sibi
„ commissas salutari doctrina pascat & ducat ad salutem.

„ R. 1. Motiva credibilitatis pro fide & Ecclesia Catholica
„ sunt: 1. Religionis nostræ antiquitas ejusque stabilitas, quam
„ nec Barbarorum rabies, nec tota Dæmonum machina potuit
„ avertere: 2. multitudo miraculorum directe in confirmatio-
„ nem fidei patratorum: 3. modus mirabilis, quo propagata
„ est, licet contraria inclinationi naturali doceret: denique
„ 4. Vaticinia, non solum Prophetarum, & Sybillarum im-
„ pleta. Huc faciunt quatuor supra memoratæ Notæ veræ Ec-
„ clesiæ, nimirum quod sit *Una*, *Sancta*, *Catholica* & *Apo-*
„ *stolica*, 1. consistit in unitate sive consensu fidelium in cre-

„ den-

„ dendis myſteriis, qui non obſtant controverſiæ Theologicæ „ in materiis fidem non concernentibus, aut circa propoſitiones „ ab Eccleſia nondum definitas, aut circa Ceremonias tantum „ aut ritus accidentales: 2. in ſanctitate vitæ hominum ſecun„ dum inſtituta Eccleſiæ viventium, ac puritate doctrinæ, quæ „ nil iniquum in materia fidei aut morum continet: 3. in ex„ tenſione ad omnes fere mundi regiones & gentes: 4. in con„ formitate doctrinæ cum doctrina Apoſtolorum & continua „ ſucceſſione Epiſcoporum; has quatuor Notas convenire Ec„ cleſiæ Romano-Catholicæ & quidem ſoli patet evidentia fa„ cti, & evidenter demoſtrant Controverſiſtæ.

„ *Coroll.* Cum Catholico ſatis inſtructo non poſſit eſſe ratio „ prudens dubitandi, non licet ipſi dubitare de veritate ſuæ „ Religionis, aut ullo fidei articulo; contrarium per ſe eſt de „ Hæretico.

„ R. 2. Regula fidei infallibilis & in multis ſufficiens eſt ſa„ cra Scriptura; ſive verbum Dei ſcriptum, quia multa fidei „ myſteria ſatis clare exprimit, ſed neceſſaria quoque eſt tradi„ tio divina, quia multa credimus & nobiſcum credunt Hære„ tici, quæ in Scriptura non continentur v. g. Symbolum fi„ dei eſſe Apoſtolicum, libros aliquos eſſe canonicos ſive di„ ctatos a Spiritu Sancto, alios non; de his ait Apoſtolus 2. „ Theſſ. 2. v. 14. *State & tenete traditiones, quas didiciſtis ſi„ ve per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Inſuper neceſ„ ſarius eſt controverſiarum fidei Judex animatus, qui eſt Eccle„ ſia; ut enim fidelis infallibiliter credat, quæ continentur in „ vera ſcriptura & traditione, debet cognoſcere, quæ ſit „ vera Scriptura, quæ vera traditio & quis legitimus utriuſ„ que ſenſus, illa enim duo ſunt obſcura & controverſa, nun„ quam ex Scriptura poterit hæreticus probare ſe habere veram „ Scripturam, nihil eſſe credendum, niſi quod in Scriptu„ ra continetur &c. Spiritus autem privatus, quem fingunt ſi„ bi hæretici, eſt incertus, ſibi ipſi contrarius, ut conſtat in „ ipſis hæreticis ſibi invicem contrariis. Interim Eccleſia non „ habet novas revelationes, ſed tantum proponit & exponit „ verum Scripturæ ſenſum?

„ R. 3. Reſolutio fidei ſine circulo vitioſo fit hoc vel ſimi„ li modo: credo v. g. incarnationem; quia Deus, qui nec „ falli poteſt, nec fallere, dixit; interrogatus: unde habeam „ Deum id revelaſſe? reſpondeo: ex Scriptura; quam mihi „ demonſtrat Eccleſiæ authoritas, quæ ob aſſiſtentiam Spi„ ritus Sancti errare non poteſt. Ubi vides Scripturam & ap„ plicationem Eccleſiæ ſe habere per modum conditionis ſine „ qua non; ſi denique interroget; cur credam Eccleſiam Ro„ manam eſſe veram Eccleſiam & non potius Sinagogam Sa„ thanæ? reſpondeo id evidenter colligi ex notis veræ Eccle-

„ siæ, aliisque signis credibilitatis, quæ evidenter ei soli con-
„ veniunt: hinc dum S. Augustinus ait: *Evangelio non crede-*
„ *rem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moveret authoritas*, vult
„ authoritatem Ecclesiæ esse conditionem, sine qua non cogno-
„ sceret certo Evangelium sibi propositum esse revera Evan-
„ gelium Christi. Unde licet quoad propositionem credendorum
„ fides resolvatur in authoritate Ecclesiæ ut regulam fidei &
„ conditionem applicativam, quoad assensum tamen fit in so-
„ lam authoritatem Dei ut motivum formale assentiendi.

„ *Coroll.* Non possum credere fide divina Christum esse præ-
„ sentem sub hac numero hostia a me consecrata: quia non pos-
„ sum esse certus de valore ordinationis, ergo nec de valida
„ consecratione; ergo nec elicere actum fidei de Christi præ-
„ sentia super omnia certissimum; quia tamen de hoc pruden-
„ ter dubitare non possum, teneor absolute eam adorare, sicut
„ teneor absolute venerari eum, de quo prudenter dubitare non
„ possum, quin sit meus parens. Igitur absolute credo Chri-
„ stum esse sub omni hostia consecrata, & conditionate sub
„ hac, si sit rite consecrata.

346. *Princ. II. Fides explicita Dei ut existentis & ut Remu-*
neratoris omnibus ratione utentibus necessaria est necessitate medii.
Prob. ex Hebr. c. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad*
Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Confir. ex
propos. 22. *ab Innoc. XI.* damnata. *Ratio* ulterior est, quia sine
tali fide homo adultus non potest se congrue disponere per spem,
& charitatem ad justificationem, ad quam tamen necessario se
debet disponere juxta *Trid.* Sess. 6. c. 7. & 8. Juxta Probabilem
quidem, ut ait *Laym.* l. c. cum *Soto*, *Vega*, *Sa* & aliis explicita
fides de Ss. Trinitate, & Incarnatione Christi neque post pro-
mulgationem Evangelii necessaria est absolute, sive necessitate
medii: eo quod tanta necessitas nec ex natura rei, nec ex Scri-
ptura, aut PP. traditione ostendi possit: Nihilominus contra-
ria Sententia *Gabrielis*, *Ludov. Molina*, *Becani*, *Pontas V. Fides*,
Sanch. in Decal. L. 2. c. 2. n. 8. & 10. in praxi tenenda est, hoc
ipso quod quæstio sit de necessitate ad salutem necessitate medii.
Ideoque in Catechesi præstat docere absolute necessariam esse co-
gnitionem mysterii Trinitatis, & Incarnationis Christi, item
eorum, quæ latent in his mysteriis, a Deo, omnia fuisse ex
nihilo producta, omnia ab eo regi, Deum esse remuneratorem
bonorum non tantum in hac vita, sed potissimum in altera, eum
esse judicem justissimum, & vindicem malorum, animam homi-
nis esse immortalem, & gratiam Dei esse necessariam ad salu-
tem consequendam: quæ 7. puncta sequenti versu comprehendun-
tur: *Facta*, *Regit*, *Judex*, *Mens immortalis*, *Opemque*, *Tres*,
Caro. Hanc fidem explicitam circa necessaria necessitate medii
& præcepti præprimis in catechismis & concionibus exponen-

dam

dam monet Ss. D. N. *Bened. XIV.* Tom. I. Bull. in Constit. quæ incipit: *Etsi minime*. Frequenter etiam inculcanda sunt mysteria vitæ, Passionis, ac mortis Christi; item effectus Passionis ac mortis, scil. quod Christus *dederit redemptionem semetipsum pro omnibus* 1. T. 2. item 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Ideoque falsum est, quod Christus semetipsum dederit oblationem Deo, pro omnibus & solis fidelibus, ut patet ex propos. 4. ab *Alex. VIII.* damnata. Falsum quoque est, quod Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiant a Jesu Christo influxum, ita ut illis sit voluntas nuda, & inermis, sine omni gratia sufficienti, ut patet ex propos. 5. ab eod. damn. Salvator enim noster *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. 1. Tim. 2. Ipse est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Illi autem soli non juvantur propria culpa Christi gratia, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant, ut ait *S. Th.* c. 159. contra gentes.

347. *Princip. III. Necessitate Præcepti tenentur adulti saltem quoad substantiam scire, & credere* 1. *Articula fidei, qui continentur Symbolo Apostolorum:* 2. *Orationem Dominicam*. 3. *Decalogum, & præcepta Ecclesiæ:* 4. *Septem Sacramenta, Baptismum quidem, Eucharistiam, & Pœnitentiam primario, reliqua vero tunc saltem, quando suscipienda sunt*. His addunt alii signum S. Crucis, ejusque formulam. Breviter hæc comprehenduntur reliquo versu: *Credo, Pater, Mandans, Ecclesia, Septem*. *Ratio* est: Quia Symbolum Apost. requiritur ad recte credendum. Oratio Dominica ad recte sperandum, reliqua ad bonum faciendum, malum fugiendum. *Confir.* Quilibet tenetur scire ea, quæ pertinent ad statum, & officium suum: atqui prædicta pertinent ad officium hominis Christiani: ergo. *Dixi, saltem quoad substantiam*: tripliciter enim quis potest scire Articulos fidei. 1. *Secundum substantiam* h. e. secundum id, quod simpliciter significatur vocibus, v. g. si parvulus præcise sciat, quod sit unus Deus, & tres Personæ. 2. *Secundum modum*, h. e. secundum explicationem mysterii, quæ communiter habetur adjecta in Catechismis, vel traditur in instructione. v. g. Si Catechumenus interrogetur, quare tres Personæ non sint tres Dii, & Respondeat: quia habent unam, eandemque naturam divinam. Item, si sciat probare mysterium ex Scriptura, vel aliunde. 3. Secundum difficultates vel controversias, quæ circa Articulos fidei solent occurrere, scil. si non tantum reddi possit sufficiens ratio credendorum præsertim contra HH. sed etiam eorum objectiones apte possint solvi. Primo igitur modo adulti præsertim rudiores satisfaciunt præcepto; erroneam autem sententiam dicit *Laym.* l. c. c. 9., quæ affirmat, hominibus rudibus satis esse, si præcipua ista fidei nostræ capita tantum implicite credant,

dant, credendo nimirum, quidquid credit S. Mater Ecclesia. Parochi tamen, Curati, Confessarii, Concionatores secundo modo, imo Episcopi, Prælati, & Doctores etiam tertio modo illa scire tenentur, hi enim habent esse parati ad reddendam rationem fidei, quæ est in subditis, eamque defendere contra HH. ut habetur 1. Petr. 3. v. 15. Illi enim tenentur rudes docere, eisque explicare Articulos fidei, quod præstare non possunt, ut oportet, sine maturiore, & clariore cognitione. Vide *Trid.* Sess. 5. C. 2. & Sess. 22. C. 2. Denique connitendum quidem omni modo, ut prædicti Articuli memoriæ mandentur secundum ordinem verborum; gravis tamen obligatio probari non potest, ista sciendi & discendi eo ordine & verbis, quibus proponuntur, sed satis est, si quispiam interrogatus quoad substantiam recte respondeat. *Sanch.* l. c. c. 3. n. 16. *Babenst.* t. 5. d. 1. a. 1. n. 26.

348. *Princ. IV. Præceptum fidei secundum actum internum prout est negativum pro omni tempore obligat, ne unquam dissentiamus interne, aut voluntarie dubitemus de ullo Articulo fidei sufficienter proposito tanquam a Deo revelato.* Quia id directe cederet in contemptum divinæ Auctoritatis, aut in dubium traheretur summa veracitas Dei in loquendo. Dixi, *de Articulo sufficienter proposito*: Assensus enim fidei supernaturalis non stat cum notitia solum probabili revelationis; ut patet ex *propos.* 21. *ab Innoc. XI.* damnata. Hinc infidelis vel hæreticus non potest quidem credere, ut oportet, quamdiu sua secta ipsi videtur probabilis vel probabilior, tenetur tamen in veram fidem inquirere, & a Deo lumen petere, alioquin non excusabitur ab infidelitate, ut interim patet ex propos. ab *Innoc. XI.* damnata. Vide n. 106.

349. *Prout hoc præceptum est affirmativum, non quidem obligat pro omni tempore, sed ad hoc, ut sæpe eliciamus, actum fidei circa præcipua mysteria.* Dixi, *sæpe*: ut patet ex damnata ab *Innoc. XI.* 65. item ex 17. *ab eodem* damnata. *Ratio est*, quia Christianus non potest Christiane vivere, & tendere ad Deum, nisi frequenter per actus fidei animum erigat ad Deum. Porro etsi certo statui non possit, quoties obligemur ad actus fidei, sed in genere sufficiat sæpius, ac toties elicere illos, quoties opus est ad hoc, ut quis dicatur continuo Christiane vivere, & habitualiter scire mysteria credenda, ut ait *Lugo*. Communiter tamen tempus, quo per se, ac directe obligat præceptum fidei, assignatur 1. quamprimum alicui, qui vel nunquam habuit fidem, vel eam iterum amisit, fidei mysteria ad credendum sufficienter proposita sunt, talis non debet longiorem moram trahere, quin iis assentiatur. *Laym.* L. 2. t. 1. c. 10. a. 2. cum *Valentia*, *Azor*, *Sanch. Ratio est*, tum quia hoc exigit reverentia divinæ auctoritati debita; tum quia homo

viator

viator naturali ac divino jure tenetur, tendere ad propositum sibi finem ultimum, quod fieri nequit sine actu fidei; tum quia ad Justificationem ejusmodi hominis requiritur fides actualis. Pueri tenentur elicere fidem, quando usum rationis adepti sunt, & sufficienter apprehendunt, quod credere mysteria fidei sit res necessaria ad salutem. *Herzig* p. 1. n. 39. Hinc Parentibus gravis incumbit obligatio per se vel per alios mature illos instruendi in rebus fidei. *Laym. cum Sanch. ait*, Excusari plerumque pueros a præcepti hujus transgressione, quia sæpe contingit, ut ii vel non satis penetrent credendi obligationem, vel ipsis non proponantur fidei mysteria tanquam divinitus revelata. Dixi supra, *quamprimum*, quod moraliter sumendum est, mora enim culpabilis æstimanda est judicio prudentum ex circumstantiis. 2. Quando urget vehemens tentatio contra fidem, si aliter vinci non posse videatur, & hoc maxime tenet in articulo mortis, dum molestiores dæmonis tentationes ingruunt. Addit *Sanch.* quod scrupulosi tentati satisfaciant mentem avertendo ad alia objecta, vel ad quoslibet pios affectus. 3. Quando facienda est professio fidei externa ex præcepto, alias enim mentiretur, si quis diceret, se aliquid credere, quod interius non crederet. 4. Denique indirecte hoc præceptum obligat, quando aliud præceptum urget ad eliciendos actus Spei, & Charitatis, Religionis, pœnitentiæ, quando gratia amissa recuperanda est &c. monet tamen *Sanch.* L. 2. mor. c. 1. n. 3. quod tunc sufficiat actus implicitus vel virtualis fidei.

350. *Princ. V. Præceptum externæ fidei confessionis, prout est negativum*, prohibet, ne quis verbo, facto, aliove signo in ullo casu aut periculo, etiam ad evitandam mortem, veram fidem neget, aut falsam profiteatur. Est comm. Cath. *Prob.* ex verbis Christi Matth. 10. v. 37. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Teste *Baronio* ad ann. 254. in Conc. Rom. damnata est sequens propositio: *Licitum est, exterius negare fidem instante persecutione, & sufficit in animo suo interius retinere.* Porro is *directe* vel *expresse* negat fidem, qui negat claris verbis vel signis fidei articulum, vel approbat errorem contrarium, *indirecte* autem & *interpretative*, qui de fide sua quæsitus ab auctoritate publica tacet, vel verbo, signo aut facto aliam religionem profitetur. Si quis tamen interrogatus etiam a publica auctoritate, sed loco responsi extraheret rosarium, aut Crucifixum oscularetur, hæc taciturnitas non esset signum erubescentiæ aut negationis fidei, sed virtualis confessio, ut ait *Carden.*

351. *Licitum tamen est hic & nunc justa de causa dissimulare vel tacere fidem & religionem veram, nunquam autem licitum est simulare falsam.* Hinc præceptum fidei, ut est affirmativum, obligat profiteri fidem externe etiam cum periculo vitæ, quan-

do id exigit honor Dei, propria vel proximi salus. *S. Th. 2. 2. q. 3. a. 2. Prob.* 1. ex verbis Christi Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Idem Luc. 9. v. 26. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua. Conf.* ex damnata ab *Innoc. XI.* 18. Dixi, *quando id exigit honor Dei* &c. Quod tunc contingit, quando ex taciturnitate censeretur quis veram fidem negare, aut eam falsam reputare; item si Deus inde blasphemaretur aut vera fides ignominia afficeretur. Proximi salus exigit professionem fidei, si ex taciturnitate alii averterentur a vera fide, aut verserentur propter scandalum in periculo deficiendi ab ea. Vide *propos.* 18. *ab Innoc. XI. damn.*, in qua recte additur λὺ *per se*. Si enim tale silentium propter aliquas circumstantias non esset signum negationis fidei, neque erubescentiæ illam profitendi, neque esset aliis scandalo, quo averterentur alii a fide, tunc non esset graviter peccaminosum. Dixi 2. *licitum esse hic & nunc dissimulare fidem*, scil. talibus signis, quæ ex se sunt indifferentia, non vero illis, quæ ad profitendam falsam religionem instituta sunt. *Reiffenst. in Theol. Mor. t. 4. dist. 2. n. 47. Ratio* est, quia honor Dei, & salus propria ac proximi non semper exigit confessionem fidei, sed econtra quandoque exigit prudentem & de se honestam dissimulationem, occultationem aut etiam fugam, ut nos docent exempla *S. Pauli, S. Athanasii* & aliorum; quando autem censeatur aliquis tantum occultare sive dissimulare veram fidem, aut econtra simulare ac profiteri falsam, non tantum ex re ipsa, sed frequenter ex circumstantiis decidendum est.

Casus I.

Antonius amans librorum, incidit in quæstionem, quando urgeat præceptum fidei? Advertit AA. valde variare in determinando tempore hujus obligationis, ab aliis assignari tum Sanch. tempus unius anni; ab aliis statui festa solemniora, quibus eliciendus sit actus fidei circa mysteria tunc celebrari solita: ab aliis defendi singulis diebus dominicis urgere obligationem fidei. Unde anxius se accusat, quod non satisfecerit præcepto fidei, rogatque modum eliciendi actum fidei.

352. *Q.* I. An vere non satisfecerit Antonius præcepto fidei, quod prædictis temporibus non elicuerit actum fidei? Respondet *Reiffenst. l. c. n. 35.* certum quidem esse, quod fideles teneantur sæpius elicere in vita actus fidei, nihilominus ipsos ob hoc non debere reddi anxios, quasi non semper satisfeciissent; quia practice censentur satisfieri huic obligationi per actus fidei, qui concurrunt in exercitio aliorum bonorum operum: frequentissimi enim sunt inter fideles actus spei per recitationem orationis

Do-

Dominicæ, fidei per recitationem symboli Apostolici, charitatis Dei per usum Sacramentorum præsertim Pœnitentiæ & Eucharistiæ, auditionem Missæ; hæc enim sine formali vel virtuali fide fieri non possunt. Porro etsi mens Ecclesiæ sit, ut fideles mysteria fidei in festis per annum celebrari solitis pie recolant per fidem, nullibi tamen definit, illum peccare mortaliter, qui forte aliquo festo negligit elicere actum fidei: ac proinde si Antonius saltem sæpius elicuerit fidem, & continuo Christiane vivere contenderit, præcepto fidei satisfeciisse censendus est.

353. *Qu.* II. Quomodo actus fidei formalis eliciendus sit? Rr. 1. In genere hoc vel simili modo: *Credo; quidquid Deus revelavit, quia ipse est æterna Veritas, quæ nec falli, nec fallere potest.* Vel: *Credo, quidquid credit Ecclesia Catholica, quia Deus infallibilis Veritas illud revelavit.* Eodem modo de singulis Articulis, v. g. Credo Unum esse Deum, & Trinum in Personis: Credo, Filium Dei propter nostram salutem esse incarnatum, crucifixum &c., quia Deus æterna Veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, ita revelavit. Rudioribus suadendum, ut recitantes Symbolum Apostolorum in mente saltem addant motivum formale fidei, & sic frequentissimos actus fidei elicient.

Casus II.

Adalberto Parocho adducitur Judæus morti proximus, simulque tam radis, ut nec Deum Remuneratorem sciret, nec de eo quicquam capere posset, nihilominus illum jamjam moriturum baptizat, ac paulo post mortuum sepelit ritu Ecclesiæ. Idem excipiens confessiones, advertit in pœnitentibus summam ignorantiam Articulorum fidei, ideoque eos dimittit sine absolutione.

354. *Qu.* I. An Adalbertus peccaverit, baptizando adultum Judæum sine prævia instructione? Rr. Non peccavit: quia ejusmodi rudis habendus est instar parvuli aut amentis. Sic S. Xaverius baptizavit Japonem præ senio jamjam moriturum, quamvis tam stupidus esset, ut nec sciret, Deum esse, nec ulterioris instructionis capax esset. Præstat tamen (si mora permittat) in ejusmodi casibus actum fidei cum tali homine rudi elicere, cum spe & dolore de peccatis.

355. *Qu.* II. Quid agendum, si Confessarius advertat pœnitentem ignorare scitu necessaria? Rr. 1. Qui ignorat necessaria necessitate medii, v. g. Deum Unum esse, & Remuneratorem, incapax est absolutionis; quia talis ex defectu medii necessarii simpliciter est incapax justificationis; ergo etiam absolutionis. *Conf.* Qui non credit Deum Remuneratorem, nec potest habere spem salutis, quæ pariter est necessaria absolute ad justificationem. Adeoque Confessarius tenetur vel ante absolutionem in-

instruere pœnitentem, vel sine absolutione dimittere cum seria admonitione, quod prius absolvi non possit, quam explicitam fidem illorum Articulorum sciat elicere.

356. Rx. 2. Qui ignorat mysterium SS. Trinitatis & incarnationis, extra casum necessitatis nunquam potest absolvi. *Vide propos.* 64. *ab Innoc. XI. damnatam. Ratio* est: quia Confessarius talem absolvendo Sacramentum manifesto periculo nullitatis exponeret: nam si re ipsa vera sit (ut esse potest) sententia asserens, fidem explicitam SS. Trinitatis & Incarnationis esse necessariam necessitate medii, tunc hæc fides explicita requiritur ad valorem Sacramenti; ergo in eo casu Confessarius invalide absolveret talem ignorantem. Itaque Confessarius iterum vel debet prius instruere pœnitentem, vel sine absolutione dimittere, donec sufficienter sit instructus. *Viva in propos.* 64. & 65. *ab Innoc. XI. damn., Sanch., Illus., Bonac.* Dixi: *extra casum necessitatis*, nam in casu, quo aliquis ob imminentem mortem non amplius posset instrui de mysteriis SS. Trinitatis, absolvendus esset sub conditione, modo infirmus explicite credat, Deum esse, & Remuneratorem esse, reliqua implicite credendo, scilicet quidquid credit Ecclesia Catholica; quia in tali casu etiam dubia salutis media adhibenda sunt. *Babenst.* l. c. n. 29. sub fin.; *Viva* l. c., ubi ita *Confirm.* Probabile est, fidem explicitam horum mysteriorum non esse necessariam necessitate medii; ergo etiam probabile est, sine hac fide moribundum capacem esse absolutionis, adeoque valide absolvi. Vide *dicta n.* 87.

357. Rx. 3. Si Confessarius advertat, pœnitentem quoad substantiam ignorare *inculpabiliter* ea, quæ sunt necessaria necessitate præcepti, v. g. Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam &c., absolute quidem potest illum absolvere, modo pœnitens admonitus obligationis, verum propositum habeat ea discendi; secus, si non habeat, quia hoc ipso ignorantia fieret culpabilis. Si pœnitens versetur in *culpabili* ignorantia, doleat autem de hac ipsa culpa, seque propterea accuset, firmumque habeat propositum ea quamprimum discendi, potest absolvi; deficiente autem hoc proposito, absolvi nequit, quia voluntarie perseveraret in ignorantia culpabili, ideoque non esset dispositus ad absolutionem. Porro si Confessarius advertat, quod diu a multis confessionibus occasionem discendi necessaria necessitate præcepti pœnitens neglexerit, potius sine absolutione dimittat, donec serium propositum ostendat. *Azor* t. 1. L. 8. c. 8. Porro cum juxta *Nav.*, *Lopez* & alios obligatio discendi memoriter necessaria necessitate præcepti non sit ultra veniale, durior videtur esse sententia *Barbosa*, quod non sint absolvendi, qui ea discere memoriter negligunt.

Confirmantur dicta ex Constit. 42. Ss. D. N. Benedicti XIV., quæ incipit: *Etsi minime*, habenturque in Tom. I. ejus-

dem

dem Bullarii §. 12. *Curabit itaque Episcopus, ne Sacerdos excipiens confessiones, fixum illud immotumque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate* Medii *impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius excussa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem fidei aducantur. Sedulo etiam animadvertat Confessarius, in aliud tempus rejiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate* Præcepti *suo vitio nescit; & eo quandoque casu pœnitentem absolvi posse, quo se vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoscat & accuset, ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum Confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua, divinæ gratiæ præsidio discat etiam necessaria necessitate* Præcepti. Vide in Bullarii Benedicti XIV. Tom. I. pag. 112., ubi in Const. 42. n. 6. maxime commendatur opera instruendi fideles in doctrina Christiana, ibid. pag. 114.

358. Demum monet *Babenst.* l. c. cum *Sanch.*, *Filluc.*, *Roding.* Confessarios, ut ignaros mysteriorum fidei in articulo mortis, vel gravi infirmitate constitutos solicite doceant fidem explicitam necessariam necessitate medii; reliqua vero necessaria necessitate præcepti, quantum commode potest fieri, quia, homo in eo statu vix capax est prolixioris doctrinæ, ideoque frustra defatigaretur, si plures proponerentur; curandum tamen, ut doleat de negligentia præterita, & habeat voluntatem adhuc discendi, si copia esset, & frequentes eliciat actus fidei credendo, quidquid Deus revelavit: & sancta Ecclesia credendum proponit.

359. Ad resolvendos alios casus huc pertinentes *observa* I. Quando Confessarius probabiliter deprehendit, pœnitentem ignorare, quæ sub peccato mortali scire tenetur, debet interrogando explorare, an revera ita sit: quia Confessarii est, cavere, ne Sacramentum administret incapaci aut indigno. Non tamen tenetur interrogare literatos, alias bene educatos, vel frequenter confitentes, quia de his talis ignorantia præsumenda non est. *Azor* l. c. sub fin., *Sanchez*, *Babenst.*

360. II. Sicut ad evitanda gravia mala propter fidem imminentia licet Christiano fugere (juxta illud Matth. 10.; *Cum persequetur vos in civitate ista, fugite in aliam*) aut se abscondere, nisi quis ex officio honorem Dei, vel salutem animarum specialiter curare debeat; ita ex eadem causa liceat se pecunia redimere, quia per hæc non negatur, sed potius manifestatur fides. Neque talis redemptio per pecuniam sapit errorem Libellariorum: hi enim publice quidem erubescebant negare Christum, negabant autem privatim, & per alios; a Magistratibus data pecunia impetrabant libellos securitatis, ne ipsi ad publicam fidei negationem ulterius adigerentur; in nostro autem casu pecuniam supponimus offerri præcise ad redimendam vexationem

absque

absque ulla privata fidei negatione, quod esset tantum uti jure suo in retinenda vera Religione. Dixi, *nisi quis ex officio* &c. boni enim Pastoris est, animam suam ponere pro ovibus suis, *easque non tantum in pace, sed etiam in acie tueri*, ut ait *S. Cypr.* Regulam generalem tradit *Tamb.* & *Sporer* hic n. 27. Si sis ejus conditionis, ut, te fugiente, periclitaretur honor Dei, vel salus animarum, vel tui officii observatio, fugere non licet: si solum esses utilis manendo, non tamen necessarius, poteris manere, non tamen teneris cum gravi incommodo tuo aut periculo: denique si remanendo potius obesse, quam prodesse, peccares non fugiendo ob malum, quod tua præsentia causares Religioni vel alteri, nisi te bona fides excusaret.

361. III. *Verbis simulat* fidem, eamque interpretative negat, adeoque mortaliter peccat, qui a Magistratu vel publica authoritate interrogatus de fide cum intentione Religionis explorandæ, respondet verbis ambiguis & æquivocis, ut juxta mentem & sensum interrogantis præsumatur fidem suam negare, vel falsam profiteri, v. g. qui interrogatus a Magistratu Acatholico, an sit Evangelicus? respondet: Sum etenim, subintelligendo Religionem Catholicam secundum verum sensum Evangelicum, talis peccaret graviter, quia spectata mente interrogantium, secundum quam ille respondere debet, καὶ *Evangelicus*, non est terminus indifferens ad significandum Catholicum vel Lutheranum, sed determinate Lutheranum significat, *La Croix* de fide n. 61. contra *Gobat*. Qui autem publice interrogatus, tacet, aut absolute ait, se non teneri respondere, aut dicit, se ejus fidei, in qua se salvum fore speret, aut alio modo tergiversatur, non quidem negat fidem, peccat tamen graviter contra præceptum fidei affirmativum de fide Christi exterius profitenda. *Sporer* l. c. n. 31. Si vero quis interrogetur a persona privata, non licet quidem tacere, si silentium illud foret signum nagationis, aut erubescentiæ fidei, multo minus licet negare se esse Catholicum, eludere tamen interrogantem, ridendo, vel contemptim dicendo: *Quid ad te?* non esset peccaminosum; quia sic non patitur honor Christi, & nihil aliud esset quam ex justa causa dissimulare vel celare fidem. *Jansen.* hic n. 6. Fidem non negat Sacerdos, qui negat, se esse Sacerdotem aut Religiosum, quia hoc tantum est non profiteri certum vitæ statum aut officium. Denique si Magistratus haereticus generali edicto jubeat, ut Catholici se prodant, aut aliquo signo distincto utantur, per se ad id non tenentur; quia, qui tunc non obedit, non censetur negare fidem, sed pure occultare. *Palao*, *Suarez*. Idem dicendum de eo, qui nominatim citatus a Judice, comparere recusat, nisi statueretur; hoc esse signum negationis fidei.

361. IV. Signo censetur interpretative negare fidem, qui utitur

titur aliquo vestitu vel ornatu directe manifestativo hæresis vel infidelitatis. Ejusmodi autem signa aut vestimenta triplicis sunt generis: 1. Alia sunt distinctiva gentis a gente, non vero sectæ a secta. Sic licet Christiano eunti per Turciam uti veste Turcica; cum enim talis vestitus primario non sit institutus ad profitendam sectam falsam, illo uti, non esset profiteri sectam falsam, sed ad summum simulare, se esse talis nationis; hæc autem deceptio juste permitti potest ex rationabili causa, v. g. ad securitatem itineris, ad evadendum periculum mortis, vel bonorum temporalium. Ita *Comm.* cum *Sanch. Diana*; *Lugo* &c. 2. Alia sunt quidem signa distinctiva sectæ a secta, sed non protestativa talis sectæ, quia non tantum sunt instituta ad eam profitendam, sed simul ad alium finem politicum, v. g. ad ornandum vel vestiendum corpus. Hujusmodi signo ex gravi causa uti, v. g. gestare vestes Prædicantium ad evitandum grave periculum, non est mortale, juxta *Laym.*, *Sporer*, & veriorem contra *Becan.*, *Cajet.* & alios, secluso tamen scandalo, & quando non obligat præceptum confessionis fidei, quia nec intenditur professio sectæ, nec est unicum & directum signum protestationis talis sectæ. Ita P. Edmundus Campianus inter mille pericula pro salute animarum, ne deprehenderetur Londini, fere quotidie habitum mutavit, ipsorum etiam Prædicantium vestes gestando. 3. Alia sunt signa non tantum distinctiva sectæ a secta, sed vel ex institutione, vel ex consuetudine manifestativa alicujus sectæ, & his non licet uti ad cavendum periculum; hinc peccaret, qui pendulam e collo gestaret imaginem Mahometis, quia ordinarie hoc signum alium usum non habet, quam ad profitendam sectam Mahometis. Dixi, *ordinarie*: quia subinde ipsæ circumstantiæ indicant alium usum, uti contingit in comœdiis &c. Excusat etiam *Laym.* cum *Sanch.* Christianos, qui in mari navigantes, signis Turcarum utuntur; item milites, qui in clypeis aut vexillis ejusmodi signa adhibent, quia ipsimet hostes sciunt in his circumstantiis id fieri non ad profitendam suam fidem, sed ad decipiendum.

363. V. *Facto* simulare fidem, ac propterea interpretative eam negare censetur, qui voluntarie exercet opus vel actionem, quæ vel sit ipse cultus falsus, ut thus adolere, genuflectere idolo &c., vel saltem ex circumstantiis significet professionem falsæ religionis, v. g. si quis ad putatitiam Eucharistiam Acatholicorum cum iis accederet ea solemnitate & ceremoniis, quibus ipsi utuntur; excusat *Laym.* illum, qui cessante scandalo vel nemine præsente, illos panes comedet, vel vinum epotaret modo profano.

364. VI. Ad fidem dissimulandam ex gravissima causa, non peccat, qui comedit carnes diebus prohibitis in iis circumstantiis, ubi hæc comestio non acciperetur ut signum falsæ fidei,

nec

nec sine gravi periculo omitti posset, quia tunc non obligat Ecclesia: nec peccaret contra præceptum fidei, quia esus carnium die prohibito secundum se non est professio hæresis, neque abstinentia a carne ab Ecclesia instituta est, ut per eam dignoscatur Catholicus ab Acatholico, aut fiat professio fidei. Nec refert, quod Acatholici ex hoc signo colligere soleant, aliquem a Romana Ecclesia alienum esse, quia hanc eorum deceptionem ob gravem causam interdum permittere fas est, modo absit scandalum & contemptus veræ Religionis, quid? quod ipsi Acatholici sciant, Catholicos ob gravem causam excusari a præceptis Ecclesiasticis. *Sanch.*, *Azor. Becan.*, *Laym.* l. 2. t. 1. c. 11. n. 5. Peccaret autem comedens, si carnes apponerentur ad explorandam fidem cum dicto: Qui Evangelicus est, vel Reformatus, aut Papæ inimicus, comedat carnes; quia sic esu carnis fieret in finem sectæ. *Valentia* t. 2. disp. 7. q. 5. p. 6. cas. 4. Si quis tamen protestaretur, hoc non esse signum, eoquod Catholicis in multis occasionibus liceat vesci carnibus, comedendo ex gravi causa, non peccaret. *Laym.* l. c. Si autem non urgeret periculum aut causa gravis, sed tantum timeretur irrisio, tali casu abstinendum esse ab esu carnium. *Becanus*, *Laym.* l. c. plura in §. seq. Confirmantur hac usque dicta ex Decreto Sanctissimi D. N. Benedicti XIX. pro incolis Serviæ, quod habetur in Tom. I. Ejusd. Bullarii, & incipit: *Inter omnigenas*, ubi §. 3. ita præcipit: *Caveant, ne ad occultandam, quum licitum & necesse est aliquando, Christianæ Religionis professionem, aliqua faciant aut admittant contra Evangelica præcepta aut instituta; præsertim vero, quæ protestationem includunt Mahumeticæ sectæ*; qualia sunt: circumcisionem suscipere, nomina Turcica assumere. Moschæas frequentare, Ecclesiasticorum jejunorum dies carnium esu profanare, & *hæc eo fine, ut Mahumetani credantur.... Hæc enim omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contraria, quæ mendacium in re gravissima continet, & virtualem fidei negationem, maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includit.* Ibid. pag. 4.: *Multo vero magis, quum a publica potestate interrogatur, illicitum sibi esse sciant, Mahumeticæ sectæ se addictos profiteri.*

365. VII. Si Acatholicus coram Catholico injuriis afficiat veram fidem, concludet imagines &c. tenetur eam tueri saltem sua confessione Catholicus, si tamen inde prudenter speret profectum vel fructum, secus si prævideat majorem contemptum Religionis &c. *Busemb.* de fide c. 2.

366. VIII. Denique ad externam fidei professionem jure Ecclesiastico tenentur sub mortali (ut docet *Filliuc.* T. 3. t. 22. c. 2.) cum juramento obediendi Ecclesiæ Romanæ sequentes:

1. Pro-

1. Provisi de beneficio curato, idque intra duos menses a die possessionis coram Episcopo, aut ejus Vicario Generali, vel Officiali. *Trid.* de Riform. Sess. 24. c. 12. .... 2. Provisi de Canonicatu, & dignitate in Ecclesia Cathedrali, non tantum coram Episcopo, vel ejus Vicario, sed etiam in Capitulo. *Trid.* ibid. Addita pœna, ut alioqui fructus non faciant suos, ita ut nec illis possessio suffragetur. Hoc Decretum *Pius IV.* in Const. *Injunctum* extendit ad Prælatos Religionum, etiam militarium. *Sanchez* tamen L. 2. Decal. c. 5. n. 4. monet, hanc extensionem non in omnibus Religionibus esse receptam. *NB.* In hoc Decreto habetur formula Professionis fidei. *Pius V.* in Motu proprio, qui incipit: *In Sacrosancta*, extendit ad Doctores, Magistros, Regentes, & Professores quarumcunque artium, tum Clericos, tum Laicos, adjecta excommunicatione latæ sententiæ, & privatione omnium beneficiorum in eos, qui aliquem ad ejusmodi gradum vel cathedram sine prævia professione fidei promovere ausi fuerint. Vide *Sanch.* l. c., ubi n. 7. tanquam probabile defendit, posse hanc professionem fieri per Procuratorem. Contrarium probabilius esse affirmat *Filliuc.* Vide etiam *Trid.* Sess. 25. de Reform. c. 2.

„ *Quær.* 1. Quid de prædicatione Evangelii?

„ R. 1. Circa Infideles non subjectos Principibus Christia-
„ nis, *habet Ecclesia jus prædicandi Evangelium infidelibus*,
„ *etiam invitis eorum Magistratibus*, adeo ut saltem petente
„ Christi Vicario, Principes Christiani possint Infideles, præ-
„ dicationi Evangelicæ injuste resistentes, cogere ad non resi-
„ stendum, ac eos, si necesse fuerit, eo fine subjugare. Ita
„ erudite *Palao*, *post Suarez*, *Bellarminum*, *Victoriam*, *Lopez*,
„ *Barbosam* &c. ex illo Matth. 28. *Data est mihi omnis pote-*
„ *stas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes* &c.
„ Deinde: qui habet jus prædicandi veram viam ad finem o-
„ mnibus communem, & ultimum, potest hoc jus suum tue-
„ ri, & quæ sibi contraria sunt, propulsare: accedit praxis
„ Ecclesiæ, dum Alex. VI. terras infidelium divisit inter Por-
„ tugalliam, & Castellam. Probabilius tamen non possunt co-
„ gi ad audiendam prædicationem Evangelii; ita *Palao*, *Valen-*
„ *tia*, *Bonacina & communis*. Jurisdictionis actus, qualis hic
„ foret, non potest exerceri in non subditos: ergo cum infi-
„ deles non baptizati non sint subditi Ecclesiæ &c. 2. Non
„ potest ostendi data hæc potestas a Christo &c.

„ R. 2. Infideles subjecti Principibus Christianis possunt com-
„ pelli ad audiendam prædicationem Evangelii; non tamen ad
„ amplectendam fidem. Ita *Bannez*, *Suarez*, *Lugo*, *&*
„ *alii*, quia hic actus auditionis subest jurisdictioni externæ;
„ libertas fidei internæ manet adhuc salva; nec datur ulla in-

„ con-

„ convenientia; cum etiam Romæ Judæi sub mulcta compe
„ lantur ad concionem Catholicam.

„ *Dices* 2. Ergo etiam Princeps Ethnicus poterit suos cogere ad prædicationem gentilismi audiendam. 2. Vel præcipe„ retur auditio mere *materialis*? & hæc non assequitur veritates fidei, quæ indigent lumine supernaturali: vel *formalis*? „ seu ordinata ad assensum internum? & hæc est res gratiæ & „ arbitrii.

„ R. *Ad* 1. N. non quidem ob defectum potestatis, sed materiæ. *Ad* 2. præcipitur a Principe Cathalico *auditio ut sic*, „ & quæ sit dispositio ad assensum obtinendum libere coope„ rante gratia. Idem solvendum de prædicatione pœnitentiæ „ ad fideles.

„ *Q.* 2. Quæ obligatio circa libros prohibitos?

„ *Nota*. Tres dari prohibitiones in hac re; 1. *Juris Natu„ ræ, & divini*, 2. *humani* contenti in Bulla Cœnæ, 2. *hu„ mani* concernentis Indicem librorum prohibitorum, quæ duæ „ ultimæ insuper annexam habent excommunicationem, sed „ diversam; prior reservatam Pontifici, posterior nulli reser„ vatam. Quare potest Titius legendo librum incidere in Ex„ communicationem Indicis, quin incidat in illam Cœnæ.

„ R. 1. *Jure naturæ illa sola lectio est illicita, quæ habet an„ nexum periculum perversionis*; & in eo gradu est illicita, in „ quo datur periculum perversionis: quocirca si unica pagella „ sit periculum grave ruinæ spiritualis respectu tui, erit tibi „ hæc lectio mortalis; si in integro tomo hoc periculum sit „ leve, vel nullum, leve pariter erit tibi, vel nullum pecca„ tum ex lege naturæ: quia natura attendit actum vel in se, „ vel in suo effectu a parte rei in hominem particularem re„ dundante. Neque enim Jus naturæ fundatur in *præsumptio„ ne periculi generalis*; neque concernit *bonum communitatis „ secundum se*, sed solum ut redundans in singulos qua ta„ les.

„ R. 2. *Jure Ecclesiastico Bullæ Cœnæ peccat, & incurrit „ excommunicationem Papæ reservatam*, qui legit, retinet, im„ primit, aut quomodolibet defendit librum Authoris hæretici „ continentem errorem, & ex professo de Religione tractan„ tem: *& ille peccat mortaliter*, qui illum legit scienter, & „ in notabili quantitate; quæ quantitas probabilius non est de„ sumenda ex multitudine linearum, foliorum &c. sed ex ma„ gnitudine ac integritate doctrinæ erroneæ. Ita Laym., Be„ canus, Pyrrhing., Reiffenstuel l. 5. tit. 7. n. 51. *Ratio*: Bul„ la Cœnæ, licet universim loquendo debeat *recipi simpliciter*, „ in Germania tamen non est quoad omnem suum *rigorem ac„ cepta*; cum versantibus inter hæreticos, & tot scriptos ab

Hære-

„ Hæreticis libros foret moraliter inobservabilis, cesſetque ma-
„ gnam partem periculum perverſionis in natione talibus aſ-
„ ſueta, ac indolis moderatæ. Porro rigoris hujus mitigatio in
„ eo conſiſtit, ut liber non quomodocunque, ſed ex profeſſo
„ de Religione tractet, & ita hæreſin contineat.

„ *Dices*: 1. Non poteſt dici, quid ſit *ex profeſſo* tractare de
„ Religione. 2. Sic licebit docto, non percupido novitatis &
„ ab aſſuetis nullam paſſionem ſentienti &c. in Germania *lege-*
„ *re paſſim* ejuſmodi libros; cum ceſſet finis, qui eſt pericu-
„ lum perverſionis. 3. *In præſcriptione* contra Bullam Cœnæ
„ non datur conſenſus legislatoris; eo quod ſingulis annis Pa-
„ pa proteſtetur, & excommunicet contravenientes Bullæ. R.
„ *Ad* 1. N. ex profeſſo tractare dicit vel *in frontiſpicio tituli*
„ præferre materiam dogmaticam, vel eam *fuſe multumque ra-*
„ *tionibus* ſtabilire, ut ſcriptor videatur eam velle lectori no-
„ tanter perſuadere. *Ad* 2. N. lex enim hæc poſitiva fundatur
„ in *præſumptione Juris*, ſeu periculi generalis, quæ obligat,
„ licet in caſu particulari non ſubſit periculum. *Ad* 3. Non
„ probamus opinionem ex præſcriptione; cum præſcriptio non
„ ſupponat ſcientiam Superioris.

„ R. 3. *Jure Indicis librorum prohibitorum* non eſt tanta obli-
„ gatio in Germania circa libros *ſecundæ Claſſis*, quam circa
„ libros prohibitos *primæ Claſſis*, aut illos, quibus ſimul in-
„ uſta eſt damnatio, & prohibitio. Ita *Engel*, *Pyrrhing*, *alii*
„ *paſſim l.* 5. *de hæret. Ratio* fere eadem; lex degentibus inter
„ Hæreticos nimis difficilis, periculum perverſionis non tan-
„ tum, receptio Indicis non in eo rigore &c. Ceterum duplex
„ eſt Index librorum prohibitorum, ſeu *Catalogus librorum*,
„ *quos Eccleſia velut noxios fidelibus interdicit*. 1. Dicitur *Index*
„ *Tridentinus*, quem petente Concilio ſub annum 1565. per de-
„ putatos Pius IV. confici juſſit, Sixtus V. & Clemens VIII.
„ reſtauravit & auxit, qui tres claſſes continet, quarum pri-
„ ma potiſſimum damnat Authores, altera libros Authorum
„ certorum, tertia vero libros Anonymos, aut ignoti ac in-
„ certi Authoris. Verum cum hic turbaret ordinem accreſcen-
„ tium in dies librorum, juſſu Alex. VII. circa annum 1664.
„ confectus eſt alter dictus: *Index Congregationis*, in quo duæ
„ ſolum claſſes ordine Alphabeti ponuntur, ita, ut quibuſcun-
„ que libris non apprimitur nota: *primæ claſſis*, illi ad ſecun-
„ dam claſſem pertinere intelligantur. De hoc ergo Indice tria
„ obſervari velim. *Prima obſervatio*, prohitio abſoluta in illo
„ extendit ſe ad 6. puncta, videlicet ad impreſſionem, lectionem,
„ retentionem, defenſionem, expurgationem & combuſtionem
„ a ſemet privata authoritate faciendam: cum illico debeant li-
„ bri ad Inquiſitores vel locorum Ordinarios deferri; ut vide-
„ re eſt in 10. prohibitionibus, & 18. inſtructionibus Indici ad-

„ junctis. *Secunda observatio*, prohibitio conditionata; *si corri-*
„ *gantur: donec expurgentur*, *emendentur* &c. non concedit fa-
„ cultatem cuivis privato hujusmodi libros expurgandi, sed so-
„ lum constitutis ad hoc peculiariter; unde nata est prop. 45.
„ Al. VII. *Libri prohibiti*, *donec expurgentur*, *possunt retineri*,
„ *usque dum adhibita diligentia expurgantur*. *Tertia observatio*,
„ præter constitutionem Gregorii XV. anno 1623. attendenda
„ pariter est constitutio Benedicti XIV. quæ plura ordinavit de-
„ inceps in prohibendis libris servanda e. g. ut Author libri prius
„ moneatur, maxime si sit alicujus nominis, nisi errores sint
„ pernicioſi &c.

„ *Ex his Coll.* 1. quid sentiendum de illis, qui legunt Au-
„ thores hetorodoxos in jus nostrum Canonicum scribentes, &
„ glossantes in Titulos: *de fide Catholica*, *de Veneratione Reli-*
„ *quiarum* &c. 2. Aut libros, in quibus pars duntaxat est in-
„ fecta hæresi, unum totum cum aliis partibus conficiens, vel
„ sejuncta &c. 3. Vel libros hæreticorum, in quibus hæresis
„ prius contenta jam est abrasa; aut solum incidenter hinc in-
„ de inspersa: obiter propugnata &c. 4. Vel libros hæretico-
„ rum manuscriptos, sive compactos, sive non compactos. 5.
„ Vel conciones impressas illorum, aut folia non conficentia
„ justum librum. 6. Vel in specie Aventinum, Sleidanum,
„ Munsterum, aut Car. Molinæum Jur.

§. II.

De Infidelitate, & Vitiis Fidei oppositis.

267. *Nota* I. *Infidelitas* est carentia veræ fidei. Alia est *ne-*
gativa sive *materialis*, quæ est invincibilis carentia fidei in eo,
qui nihil unquam de fide audivit, vel destituitur sufficienti co-
gnitione mysteriorum fidei inculpabiliter. Alia *formalis*, eaque
vel *privativa*, quæ est culpabilis carentia fidei in eo, qui vel
non vult audire fidem, vel ei sufficienter propositæ non assentiri,
vel non inquirere, quando tenetur. Vel *positiva* aut *contraria*,
quæ est carentia fidei in eo, qui sufficienter propositæ dissen-
tit, negando veritatem fidei, vel contrarium errorem asserendo.
Hæc iterum triplex est: 1. *Paganismus* est infidelitas, qua do-
ctrina fidei totaliter tam secundum Vetus, quam Novum Te-
stamentum rejicitur. Huc reducitur Atheismus & Mahometis-
mus; quamvis enim Mahometani admittant aliqua tum ex Ve-
teri, tum ex Novo Testamento, non tamen ita admittunt ut
a Deo, sed ut a Mahomete proposita. *Judaismus* est infideli-
tas, qua post Christum Novi Testamenti doctrina rejicitur:
Veteri autem Testamento in Talmud multæ fabulæ admisce-
ntur, itaque figura, non veritas admittitur. *Hæresis* est carentia
fidei in eo, qui fidem quidem suscepit, sed libere & pertinaci-

ter

ter errorem contra fidem tuetur. *Pertinacia* definitur à *Taberna* deliberata voluntas dissentiendi alicui veritati revelatæ, ut tali sufficienter propositæ per Ecclesiam, vel Scripturam, vel aliam fidei regulam; sensu communi per infideles intelliguntur illi, qui non sunt baptizati; per Hæreticos autem formales ii, qui baptizati quidem sunt, & Christum cum utroque Testamento profitentur, in uno tamen, vel pluribus articulis fidei sufficienter propositis ut revelatis contra fidem veram pertinaciter errant. Hæreticus materialis dicitur, qui adhæret quidem errori contra fidem; sed ex ignorantia, vel simplicitate, vel siniſtra informatione, non cum pertinacia, sed prompto animo ad deponendum errorem, cognita veritate.

368. *Nota* II. Huc etiam reducitur *Apostasia*, quæ est discessio a susceptа fide Catholica ad infidelitatem. Alias enim latius sumitur tripliciter: 1. Pro *defectione a sacro Ordine*, dum quis a statu Clericali, ac continentiæ voto in susceptione Ordinis sacri edito ad statum matrimonii, & laicæ conversationis propria auctoritate se transfert. 2. *A Religione*, dum quis post emissam Professionem vel vota religiosa a religioso Ordinis instituto discedit sine animo revertendi. 3. *Ad obedientia*, dum quis ab obedientia summi Pontificis se pertinaciter subtrahit, & vocatur *Schisma*. *Sporer* t. 2. in Decal. c. 3. n. 11. Juxta *Taberna* t. 5. c. 4. differt ab Hæresi, quod Apostasia ex tota, Hæresis tantum ex parte sit contraria fidei; communiter tamen quilibet a fide Catholica ad quamcunque hæresin discedens, Apostata solet appellari; stricte autem Apostata dicitur, qui fidem Christianam, quam susceperat, penitus abnegat.

369. Princip. I. *Quævis infidelitas formalis ex genere suo est grave peccatum, imo superat omnia peccata, quæ contingunt in perversitate morum. S. Thom.* 2. 2. q. 10. a. 3. *Ratio* est: quia peccatum eo gravius est, quo magis mens hominis per illud avertitur a Deo; atqui per infidelitatem formalem maxime mens hominis avertitur a Deo, cum nequidem veram ejus cognitionem admittat: ergo. *Confirm.* Peccatum infidelitatis directe impedit remissionem aliorum peccatorum; quia fides est fundamentum, & vera radix justificationis, sine qua nemo Deo placere, & ad filiorum ejus consortium pervenire potest, ut ait *Trid.* Sess. 6. cap. 8. Hinc Christus Joan. 8. v. 24. dicit: *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro*. Porro inter species infidelitatis hæresis *intensive* est peccatum gravissimum, Paganismus autem *extensive*. Ratio primi est: quia hæresis est magis voluntaria, quam aliæ infidelitates, pugnat enim contra fidem perfectius cognitam. *Ratio secundi* est: quia Paganismus negat plures veritates fidei, quam hæresis & Judaismus: ergo quoad extensionem materialem dicenda est infidelitas maxima, *S. Th.* l. c. a. 6.

370. *Princip.* II. Pœnæ ab Eccleſia in HH. latæ aliæ ſunt ſpirituales, aliæ temporales: Ex ſpiritualibus prima eſt *Excommunicatio latæ ſententiæ, ſummoque Pontifici reſervata.* Conſtat ex Caſ. 1. Bullæ Cœnæ Domini, quem bene explicat *Sanchez* L. 2. in Decal. c. 9. *Suarez* de Cenſ. diſp. 21. S. 2. & alii. Extenditur hæc pœna in *c. Excommunicamus.* 13. §. *Credentes*, ad fautores, defenſores, receptatores, & adjutores Hæreticorum *in ipſa cauſa hæreſeos.* Vide *Canoniſtas in L. 5. Decret. tit. 7. de Hæreticis.* Extenditur etiam in *Bulla Cœnæ* ad illos, qui libros Hæreticorum, vel de Religione tractantes, vel hæreſin continentes ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia legunt, retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt. Vide *in P. II. n.* 1427. Secunda pœna eſt Irregularitas. *De hac agemus in P. II. ubi de Cenſ.* Tertia pœna eſt privatio beneficiorum & dignitatum Eccleſiaſticarum obtentarum, & inhabilitas obtinendarum, quamdiu quis in hæreſi perſiſtit. Hæc pœna actualibus HH. ipſo jure, liberis autem eorum, defenſoribus & receptatoribus per ſententiam infligitur cit. *c. Excommunicamus.* 13. §. *Credentes. Fr. Schmier* L. 5. t. 7. c. 3. n. 36. Quarta pœna eſt *privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ.* A pœnis temporalibus (quæ ſunt infamia juris, inteſtabilitas tam activa, quam paſſiva, amiſſio poteſtatis tum patriæ, tum dominicæ, confiſcatio bonorum, & pœna capitalis, de quibus in jure Canon.) Hetorodoxi eatenus per coventionem & pacificationem religioſam de anno 1555., & Weſtphalicam ſeu Monaſterienſem de anno 1648. immunes eſſe videntur, quatenus tranquillitas Germaniæ non aliter, quam hac impunitate conceſſa ſperari poterat; at quoad pœnas Eccleſiaſticas dicta pacificatio nihil roboris habet, ut ait *Franc. Schmier* l. c. n. 44., eoquod ſummus Pontifex, cujus eſt, pœnas ſpirituales relaxare, nunquam in id conſenſerit, ſed potius contradixerit, ut conſtat ex Bulla *Innoc. X.*, quæ incipit: *Zelo domus Dei*, anno 1648. die 20. Novembr. edita. Vide *P. Zonig* ad tit. de HH. n. 28. Huc etiam pertinet obligatio gravis ſub pœna excommunicationis, Hæreticos denuntiandi apud Inquiſitores fidei, ut conſtat ex variis Bullis Pontificum, quas citat *Palao* T. 4. D. 3. qu. 4. n. 21. Et *Alex. VII.* per Bullam: *Licet alias*, præcipit, ut omnes Religioſi, etiam leviter tantum ſuſpecti de hæreſi, ſtatim nulla facta correptione fraterna, deferantur ad Inquiſitores a Papa conſtitutos: Idem *Alex. VII.* damnavit propoſitionem in ordine quintam: *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe Hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.* Cum enim juxta Apoſt. 2. Timot. 2. hæreſis ſit malum contagioſum, ſerpens ut cancer, & ſua contage facillime alios inficiat; hæc ſpecialiſſima denunciationis medela ne ceſſario vi-

videtur adhibenda. *Viva* in cit. propos. Censent tamen plures Viri prudentes & docti, teste *La Croix* L. 2. n. 215. in pluribus Germaniæ partibus prædictas Bullas non esse usu receptas quoad punctum denunciationis, tam quia nimis multi hic sunt manifesti Hæretici, tam quia vix ex denunciatione potest sperari fructus, propterea quod in plerisque Germaniæ locis ex necessitate sit permittenda libertas Religionis. Inter Religiosos tamen in vigore absque dubio retinenda est citata Bulla *Alex. VII.*

371. *Princip. III.* Ad incurrendas HH. pœnas, præsertim excommunicationem summo Pontifici reservatam requiruntur quatuor conditiones: 1. Ut quis sit Hæreticus formalis, h. e. ut interne ex parte intellectus habeat Judicium erroneum, directe repugnans alicui veritati revelatæ, & ut tali sufficienter propositæ. Hinc si quis externe tantum negaret fidem, interne autem recte crederet, peccaret quidem graviter, sed proprie non esset Hæreticus, nec incurreret excommunicationem, si tamen talis pro Hæretico & excommunicato declararetur; deberet vitari, nec posset absolvi, nisi Ecclesiæ reconciliatus. 2. Ex parte voluntatis, ut cum pertinacia tueatur errorem. Hinc errans contra fidem ex ignorantia etiam culpabili, crassa vel supina propter discendi tædium peccat quidem, sed proprie non est pertinax, nec pœnas incurrit, modo infallibilem Ecclesiæ auctoritatem in proponendis rebus fidei cognoscat, credat, & paratus sit ad credendum, quamprimum agnoverit, hoc vel illud ab Ecclesia proponi ut credendum. 3. Requiritur, *ut quis hæresin internam signis externis manifestet*, scil. verbo, signo, vel facto; quia Ecclesia non punit actum mere internum. Vide *de LL. n.* 146. Hæc sententia cum sit vere probabilis tum apud TT. tum apud Canonistas, tanquam favorabilior odiosæ contrariæ in praxi potest præferri. Dixi, *signis externis*, scil. talibus, quæ vel ex natura sua aut institutione, vel ex circumstantiis personarum, loci, temporis &c. sufficienter manifestativa sint hæresis internæ. 4. Debet *actio externe manifestativa hæresis internæ esse mortaliter mala*, satis deliberata, ita ut fiat ex animo asserendi & profitendi hæresin internam graviter malam; quia pœna gravis non incurritur, nisi ob delictum grave. Unde excommunicatus non est, qui hæresin internam alteri manifestat consilii petendi causa, vel ut ab illo melius instruatur; hæc enim manifestatio bona est, nec ab Ecclesia puniri potest: item qui in hæresin occulte lapsus, carnem edit die prohibito ex gula tantum, non ex animo per hoc profitendi suum errorem occultum, non incurreret excommunicationem, quia hæc comestio ex se non est signum protestativum falsæ sectæ. Si tamen intenderet manifestare hæresin suam, & aliunde determinaretur ad professionem hæreseos, puta a circumstantiis

loci, temporis, aut conditionis a convivis factæ, v. g. qui bonus Lutheranus est, nobiscum comedat carnes, tunc incurreret excommunicationem. *Sanch.* L. 2. in Decal. c. 8. *Laym.* L. 2. tit. 1. c. 14., *Reiffenst.* in Theol. Mor. tom. 4. dist. 3. a n. 25. Denique omnes pœnæ, quæ in jure Hæreticis decretæ sunt, etiam ab Apostatis contrahuntur, at non vice versa. Vide *cit.* AA.

372. Princip. IV. *Non licet cum Infidelibus communicare in Sacris*, h. e. in iis, quæ ad Religionem præcise pertinent, puta in eorum dogmatibus, cultu, & ritibus superstitiosis; quia hoc esse profiteri infidelitatem. In profanis autem & politicis simpliciter quidem licet cum iis communicare, præsertim si id exigat necessitas aut utilitas corporis vel animæ; nunquam vero licita est talis communicatio, ex qua fideli imminet periculum perversionis. Hinc in jure Canon. toto tit. *de Judæis* prohibetur familiaritas cum Judæis, tum quia, hac admissa, non abest perversionis periculum, tum quia maxime contra dignitatem Christianæ legis est; tum denique quia indignissimum est, cum iis nimis familiariter agere, qui blasphemant, & summo odio persequuntur Christianum nomen. Ita *Comm.*

373. Eodem modo communicatio cum HH. *in crimine*, *in sacris*, & in iis politicis actionibus, ubi adest periculum subversionis in fide vel moribus, mortaliter illicita est Catholico. *Sporer* T. 1. in Præcept c. 3. sect. 4. *In crimine* communicare dicuntur 1. credentes, qui eorum doctrinam libenter audiunt, approbant, apud alios dilaudant &c.; item qui in genere tantum dicunt: Vera sunt, quæ Lutherus, Calvinus contra Ecclesiam docuerunt, etsi in particulari illorum errores ignorent. Vide *Nav. Toletum*, *Sanch.* l. c. c. 10. 2. Fautores, receptores, defensores HH. in causa hæresis, & contra fidem Catholicam; nam extra causam hæresis quoad alia politica ac civilia credere, favere, recipere vel defendere HH. culpa non est, ut ait *Sporer* l. c. n. 30. Denique, ut Hæreticus excommunicatus vitandus sit, requiritur, ut sit nominatim denunciatus; hinc cum Heterodoxi in Germania nominatim excommunicati non sint, vitandi, per se loquendo, etiam non sunt in rebus politicis, & conversatione civili.

Casus.

Amusus nullius rei magis ignarus, quam mysteriorum fidei; nihilominus inter pocula de rebus fidei non parum inepte disputat: textus biblicos ὕστερον πρότερον allegat: dum sermo fit de SS. Pontificibus, non nisi contemptim de iis loquitur: sæpius dubitat de reali præsentia Christi in Eucharistia: de pœnis æternis inferni assensum tantum opinativum elicit: carnis resurrectionem in animo plane negat, idque sæpius, nemine præsente, verbis exprimit, dicens: rideo hanc vanam persuasionem de resurrectione carnis.

374.

374. *Qu.* I. An Amusus sit infidelis, ita ut amiserit habitum fidei propter ignorantiam culpabilem mysteriorum fidei? R. Peccat quidem graviter ob ignorantiam crassam ac supinam; infidelis tamen non est, quamdiu paratus est errorem suum relinquere, si ab Ecclesia contrarium teneri resciverit; quia hoc modo non repugnat agnitæ veritati. Si vero ignorantia affectata conjuncta esset cum contemptu virtuali fidei vel Ecclesiæ, v. g. si nollet addiscere mysteria fidei, quia hæc parvi æstimat, vel ut liberius in suis erroribus perseveret, vel ne teneatur in obsequium fidei captivare intellectum, tunc videtur positivum peccatum infidelitatis committere, quia saltem virtualiter judicaret, fidem ad salutem sibi non esse necessariam, quod est hæreticum. *Babenst.* t. 5. d. 1. a. 2. n. 3. Eodem modo, qui tantum externe negat fidem, peccat quidem graviter, non tamen cessat esse fidelis, multo minus amittitur habitus fidei per alia peccata fidei non opposita, ut constat ex *Trid.* Sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Vide etiam propos. 12. ab *Alex.* VIII. damnatam. *Ratio* est: quia Scriptura docet, fidem consistere cum pravis operationibus: sic 1. Cor. 13. dicitur: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quod autem sermo hic sit de fide divina, constat ex seq. *Nunc autem manent fides* &c. Hinc etiam S. Aug. L. 1. de Trinit. C. 18. ait, *fidem sine charitate esse posse, non autem prodesse.* *Confirm.* 1. Peccatores tenentur se convertere ad Deum, ut recuperent gratiam; atqui ad hanc se disponere nequeunt sine actu fidei & spei, quia *sine fide impossibile est placere Deo*: ergo si verus actus fidei infusæ potest consistere antecedenter ad gratiam sanctificantem, etiam habitus fidei poterit consistere in magnis peccatoribus.

Adde hic, quod ab eodem *Alex.* VIII. recte damnata sit propositio octava, necesse esse, infidelem in omni opere peccare; quia ex Scriptura & PP. constat, infideles operationes morales, laudabiles & honestas posse exercere: sic Exod. 1. laudantur Ægyptiæ obstetrices, eoquod timuerint Deum, & non fecerint juxta impium Regis mandatum. 3. Reg. 21. laudatur Achab humiliatus. *S. Aug.* L. 5. de civit. Dei c. 15. ait, Deum amplitudinem Imperii Romanis contulisse, eo quod pluribus virtutibus naturalibus pollerent. Hinc etiam *Trid.* Sess. 6. can. 7. anathema dicit, *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata.* Vide etiam n. 406.

375. *Qu.* II. Quid dicendum de disputatione inter pocula? R. Qui scit ignorantiam suam, & tamen libere se committit disputationi de rebus fidei cum Acatholicis, manifesto periculo

perversionis se ipsum, Religionem vero Catholicam ludibrio, & gravi contemptui exponit; ergo a gravi peccato vix excusandus censetur. Secus, si Catholici tantum inter se sine tali periculo disceptent. Excusantur etiam rustici, qui ex pia simplicitate suam peritiam volunt ostendere. Periculosius est, textus biblicos tantum ad libitum suum, & ad defendendos errores perperam allegare; major enim reverentia debetur Verbo divino, quam ut poculis superfluis misceatur, nec Biblia a bibendo derivantur. Vide *Reiffenst.* t. 4. d. 4. a n. 43.

376. *Qu.* III. Quid de contemptu SS. Pontificum? R. Si is oriatur ex interno contemptu supremæ Potestatis, vel ad illum tendat ex intentione, culpa gravi non caret. Vide n. 183.

377. *Quær.* IV. An dubitando peccaverit graviter peccato infidelitatis? R. *Affirmative*, si deliberate fiat, & cum pertinacia, sive dubitaverit *positive*, judicando, illum Articulum fidei non esse dignum, cui certus assensus, sed incertus tantum præbeatur; sive *negative*, cohibendo assensum ex imperio voluntatis, quamvis positive non dissentiat. Si vero dubium tantum oriatur ex scrupulo conscientiæ, vel alio motu, cui dubitans non consentit, sed resistit aversando, quidquid fidei contrarium est, non est peccatum, sed materia meriti: signum autem resistentiæ & peccati non commissi esse poterit, si quis in ipsa tentatione magna molestia afficiatur, tanquam odio habens errorem, & diligens veritatem. Dubitans autem vere & interne tantum non incurrit excommunicationem, & consequenter absolvi potest a quolibet Confessario. Neque necessarium est explicare, qualis fuerit Articulus, de quo dubium fuit; cum enim omnes nitantur eodem motivo infallibili, etiam censentur ejusdem speciei. *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. cum *Suar.*, *Palao*, *Laym.* Eodem modo peccat graviter, qui tantum elicit assensum opinativum de fide, h. e., qui simul cum plena advertentia judicat, motiva non esse tanti momenti, ut non possit subesse periculum deceptionis, quod contingit, quando quis dicit: forte res ita se non habet, forte pœnæ inferni non sunt æternæ &c.; si hoc judicium in fide erroneum jungatur cum pertinacia, est hæresis, sicut dubium. Ita *Stoz* ibid. n. 117. cum *Palao*, *Azor*, *Coninck* &c. *Confir.* ex c. 1. de HH. ubi expresse ita habetur: *Dubius in fide, infidelis est*. *Ratio* autem est, quicunque scit, aliquem articulum ab Ecclesia ad credendum esse propositum, & tamen judicat, eum esse incertum, is formaliter Hæreticus est; atqui dubitans de ejusmodi articulo deliberate, saltem implicite, & forte explicite judicat, eum esse incertum; ergo. Ita *Laym.* l. c. c. 13. n. 5. contra *Canum*, *Sanchez* & alios. Quoad ultimum Amusus incurrit excommunicationem. Vide *Stoz* l. c. n. 118.

378. Pro reliquis huc pertinentibus *Observa* I. Hæresin formalem cognosce ex gradibus pertinaciæ: 1. Quando inter HH.

nati

nati & educati incipiunt dubitare de suæ sectæ veritate, nec tamen ulterius volunt inquirere ex odio aut contemptu Ecclesiæ. 2. Quando contra definitionem, authoritatemque Ecclesiæ sufficienter propositam, sed non satis agnitam sentiunt ex eo, quia intellectum malitiose avertunt a perceptis motivis, & tantum convertunt ad motiva suæ sectæ non studio veritatis, sed quia non volunt subjici Ecclesiæ ex quacunque demum causa politica, & respectu humano, ut plerique doctiores Acatholici faciunt: vel 3. quando agnita veritate, adhuc contradicunt Ecclesiæ, ex odio Papæ vel Ecclesiæ, ut faciunt Hæresiarchæ & indurati Heterodoxi; sic *Grajus*, Præfectis carceris Londinensis, dicere non est veritus: *Etsi scirem, quod ad cælum nonnisi in Ecclesia Catholica pervenire possem, mallem carere cælo, quam profiteri fidem illam*; & hi sunt tres præcipui pertinaciæ hæresis formalis gradus, quorum primus fundatur in veritate studio neglecta, secundus in veritate sufficienter proposita, sed contempta, tertius in veritate agnita malitiose oppugnata. Ita *Sporer* n. 1. Præcept. c. 3. n. 17. &c.

379. II. Signa, ex quibus colligi potest, aliquem esse tantum Hæreticum materialem, sunt 1. Si quis erraverit quidem contra fidem, at semper paratus fuerit judicio Ecclesiæ se submittere, quamprimum errorem cognoverit. 2. Si quis de Catholica fide nihil sciverit, & de sua nunquam dubitaverit. 3. Si quis dubitans studuerit agnoscere veritatem, &, quantum potuit, inquisiverit. 4. Qui conversionem propositam ex respectu humano vel incuria distulit, ab eo tempore Hæreticus non est, peccat tamen contra præceptum affirmativum fidei, si diu differat.

380. III. Hæreticis famulari, dum adest manifestum periculum perversionis, prohibitum est jure naturali & divino, quia non licet persistere in periculo proximo peccandi. Si absit hoc periculum, famulus vero impediatur plerumque v. g. singulis mensibus bis terve sine necessitate ab observatione præceptorum Ecclesiæ, v. g. si diebus prohibitis deberet comedere carnes, negligere Missam, laborare serviliter diebus festis &c., adhuc illicitum est servitium: excusat tamen ad aliquod saltem tempus (non tamen ultra ordinarium, quo singulis annis famuli solent conduci) notabile damnum, v. g. si famulus deberet amittere suum salarium, vel non posset habere Dominum Catholicum, a quo sufficiens salarium acciperet, nec aliunde haberet, quo sibi sufficienter prospiceret. *Ratio* est: quia præcepta Ecclesiæ ad sui observationem obligant, nisi grave damnum intercedat. Ita *La Croix* L. 2. a n. 102. cum *Nav. Bonac. Sanch.* & aliis. Si vero famulus raro impediretur ab obligatione Catholici, nec adesset periculum perversionis, liceret servire Acatholico tolerato, uti passim sunt in Germania, quia hoc nullibi pro-

prohibitum est; nec apud Catholicos facile reperitur Dominus, qui quandoque non ita impedit famulum. *Suar. Laym. La Croix* l. c. n. 104. Denique quæ excusant apud Dominos Catholicos ab observatione præceptorum Ecclesiæ, v. g. custodire pecora, vigilare in excubiis militaribus, navigare in mari per plures menses, etiam hosce famulos Hæreticorum excusant.

381. IV. Licitum est in Germania Acatholicorum funera comitari humanitatis causa, assistere Baptismo aut nuptiis, una alterave vice curiositatis gratia eorum conciones & cantus audire, spectare eorum cœnam sine positiva tamen simulatione, quod unus illorum sis, fungi apud eos officio mere politico, suscipere gradum ex Jure aut Medicina in eorum Academiis, dummodo nihil agendum aut permittendum sit, quod veræ Religioni præjudicet. *Ratio* est: quia hæc in Germania non habentur pro signis approbativis Acatholicæ Religionis. *Laym. Spor.* & alii. Porro in Universitate Acatholica non licet audire Lectiones Theologicas nec Juris Canonici (nisi forte Librum 2. de Judiciis) quia hæ tractant de rebus fidei, aguntque contra Ecclesiam Catholicam Licet audire Lectiones Juris Civilis, & Medicas, quia hæ plerumque se non extendunt ad res fidei; magis periculosum est, audire Lectiones Juris Publici ob connexionem, quam habent cum Pontificibus & Ecclesia. Denique sicut raro sine magno fidei, virtutis ac salutis periculo Catholici solent adire Universitates Acatholicas, ita nonnisi ii excusari a peccato videntur, qui fideli custodia muniti, & in fide constantes eo se conferunt discendi causa. Vide *P. Ignat. Schwarz* in Colleg. Hist. P. 3. Q. 6.

382. V. Media conservandi fidem *positiva* sunt: 1. Maximi semper æstimare donum fidei cum S. Paulo ad Philipp. 3. v. 7.: *Existimo omnia detrimentum propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei*. 2. Sæpius gratias agere pro dono fidei: *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei* &c. 1. Thess. 3. ... 3. Frequenter cum Apostolis dicere Luc. 17.: *Domine adauge nobis fidem*. Item frequentes actus fidei elicere tam in-quam externos; actus autem omnibus Christianis communes sunt: corde credere, ore confiteri, opere confirmare; *vera* enim *fides est*, juxta S. Greg., *quæ huic, quod dicit, moribus non contradicit*. Actus fidei perfectissimi sunt: pro viribus eam dilatare, contra HH. aliosque hostes fortiter eam propugnare, denique sanguinem proprium fundere pro fide. 4. Omni studio & avide discere mysteria fidei. Adde media *negativa*: 1. Fugam superbiæ & libidinis, ob quæ duo vitia plurimi a fide defecerunt. Vide *n.* 321.... 2. Fugam curiositatis & præsumptionis in rebus fidei perscrutandis. Nam *scrutator Majestatis opprimetur a gloria*. Prov. 25. ... 3. Fugam nimiæ familiaritatis cum Acatholicis, & lectionis librorum Acatholicorum.

383. VI.

383. VI. Modus recipiendi eos, qui ad veram fidem se volunt convertere, est sequens: 1. Bene instruendi sunt, præsertim explicentur notæ veræ Ecclesiæ, media necessaria ad salutem tum necessitate medii, tum præcepti, ostendatur modus eliciendi actus Fidei, Spei, Charitatis, doloris de peccatis &c. modus colendi Sanctos, ut plane deponant falsam persuasionem, qua Acatholici a juventute laborant ex mendaci suorum Prædicantium doctrina, quod Catholici cultu divino colant Sanctos; item modus se præparandi ad confessionem sacramentalem. 2. Post sufficientem instructionem erigantur ad emittendam professionem fidei. *NB.* Hic monendi sunt, ut deponant vanum timorem incussum a suis Verbi Ministris, quod debeant detestari parentes: hæresin & falsam tantum doctrinam detestantur Catholici, id quod ipsi Acatholici sana ratione utentes faciunt. 3. Denique si nihil obstet, coram duobus saltem testibus Sacerdos superpelliceo & stola indutus a bene instructo excipiat professionem fidei juxta formulam Trid. quæ in lingua vernacula passim habetur, vel in Agendis Diœces., in Catechismo P. Kleppe, & in libellis catecheticis hic Wirceburgi impressis. 4. Professione facta Neo-conversus, si fuerit Hæreticus tantum materialis, potest absolvi a quolibet Sacerdote approbato; secus, si fuerit Hæreticus formalis. Plura in P. 2. *de Casib. reserv.* Postea admittitur ad confessionem sacramentalem & Eucharistiam. Prudentia Instructori suggeret, ut non facile omnibus credat, qui petunt admitti ad professionem fidei.

„ Modus excipiendi Professionem fidei a Neo-Converso ad „ Ecclesiam Romano-Catholicam.

„ *Sacerdos Superpelliceo, & Stola violacei coloris indutus, nec-* „ *non Professurus fidem cum cereo accenso genuflectunt coram Al-* „ *tari majori, vel imagine crucifixi, adhibitis ad minimum duo-* „ *bus testibus, & cantatur, vel recitatur Hymnus* Veni Creator „ Spiritus; *vel lingua vernacula. Quo finito sequitur.*

„ ℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

„ ℟. Et renovabis faciem terræ.

„ ℣. Domine exaudi orationem meam &c.

„ ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

„ Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docui- „ sti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus sem- „ per consolatione gaudere. Per Chr. Dom. nostrum.

„ *Postea Sacerdos sedet in cornu Epistolæ (si Sanctissimum Sa-* „ *cramentum asservetur in tabernaculo) sin minus, in medio* „ *Altaris, & coram illo genuflectit Professurus, & emittit pro-* „ *fessionem fidei. Vel si nesciat legere, Sacerdos prælegit eidem* „ *tarde professionem, in formula breviori, si ita videbitur, ut* „ *conversus eandem intelligere, & cum Sacerdote distinctis verbis* „ *pronuntiare possit.*

Quan-

„ *Quando perventum fuerit ad illa verba*: Ego idem NN. „ spondeo, voveo, & juro: *imponit tres priores digitos super* „ *codicem Evangelii, & in fine illud osculatur. Quo facto dici-* „ *tur a Sacerdote Psalmus*: Miserere.

„ ℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem „ in te.

„ ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

„ ℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion „ tuere eum.

„ ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor &c.

„ ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

„ Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere: sus- „ cipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem „ excomunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis „ clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. „ Amen.

„ *Deinde absolvit eum ab hæresi hac forma.*

„ Misereatur tui &c. Indulgentiam &c. Ego Authoritate „ Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum ejus Petri & „ Pauli, & Sanctissimi Domini nostri Papæ N., absolvo te a „ vinculo excommunicationis, quam incurristi per hæresim pro- „ fessam: admitto te in gremium S. Matris Ecclesiæ, & in „ Sacramentorum ejus Participationem: Communioni, & Uni- „ tati fidelium te restituo. In nomine Patris & Filii &c.

§. III.

Principia generalia de spe.

384. *Princip. I.* Spes, prout hic sumitur, alia est *habitualis*, quæ est habitus supernaturalis (communiter Virtus Theologica a Deo infusa) habilitans & adjuvans hominem ad desiderandam beatitudinem æternam mediis necessariis ex promissione divina obtinendam. Alia *actualis*, quæ est actus, quo vitam æternam, mediaque ad eam consequendam necessaria ac conducentia firma cum fiducia exspectamus, quia Deus infinite bonus, potens ac fidelis illa promisit. Hæc includit tres actus: 1. Desiderium bonorum supernaturalium a Deo promissorum; quod desiderium non consistit in simplici complacentia beatitudinis, sed in voluntate seria adhibendi ordinata media ad consequendam beatitudinem. 2. Firmam fiduciam, qua nos bona a Deo promissa obtenturos confidimus. 3. Erectionem animi contra difficultates occurrentes in consecutione beatitudinis, *Objectum materiale Spei primarium* est ipse Deus beate a nobis possidendus, juxta illud Genes. 15. *Ego ..... merces tua magna nimis*. Possessio enim Dei est summa beatitudo, quæ præferen-

da

da est omnibus bonis & gaudiis creatis *Secundarium* sunt omnia media tum supernaturalia ad consequendam beatitudinem necessaria (inter quæ præcipua sunt remissio peccatorum, & gratia Dei per merita Christi &c.; huc etiam pertinent donum perseverantiæ, & propria merita, quatenus fundantur in gratia Dei & meritis Christi) tum naturalia, sive bona temporalia, quatenus conducunt ad animæ nostræ salutem *Objectum formale Spei*, prout hæc est desiderium, est bonitas Dei respetiva, sive ut nobis bona, & a nobis posidenda; hæc enim nos immediate movet ad actum desiderii; summe etiam movet, quia ejus possessio summe nobis bona est super omnia alia bona creata. Motivum spei, ut est erectio animi, est Omnipotentia Dei, sive virtus auxiliatrix; hæc enim movet ad prosequendum bonum arduum, erigitque animum adversus omne id, quod impedire potest consecutionem boni sperati. Hinc Isai. 6. *Speraßis in Domino Deo forti*. Et Psal. 17.: *Deus meus adjutor meus, & ego sperabo in Eum*. Denique motivum spei, prout certa fiducia, est infinita Dei fidelitas, ejusque promissio; hac enim innixi, certo exspectamus beatitudinem, & media ad eam consequendam necessaria. Hinc spes Hebr. 6. dicitur *anchora tuta*. Et *Trid.* Sess. 6. c. 16. ait: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis reddenda*. Porro etsi speculative triplex hoc motivum non necessario requiratur ad spem supernaturalem; in praxi tamen rudes sic perfectius possunt addiscere, & elicere spem plenam ac perfectam. Si quæras ex aliquo, cur amet & desideret beatitudinem, facile respondebit: quia bona mihi est super omnia alia bona. Quærenti ulterius, cur tanta cum fiducia eam tam arduam, & naturæ vires excedentem exspectet, respondebit: quia Deus omnipotens me potest juvare, idemque vult juvare, & quia in promissis fidelissimus, beatitudinem una cum mediis promisit.

385. *Princip. II.* Spes habitualis omnibus hominibus tam parvulis, quam adultis necessaria est necessitate medii ad justificationem & salutem. Ita *Comm.* Spes actualis, sive aliquis actus spei omnibus adultis rationis usu pollentibus etiam necessarius est ad justificationem & salutem. *Ratio* est: quia Deus neminem ex adultis justificat aut salvat, nisi propriis actibus tendat in ipsum tanquam Finem ultimum; atqui hoc fieri nequit sine actu spei: ergo. Hinc Apostolus ad Rom. 8. ait: *Spe salvi facti sumus*. Et *Trid.* Sess. 6. c. 7. inquit: *Fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit*. Præceptum autem spei, prout est affirmativum, obligat hominem ad eliciendum saltem

tem aliquando in vita actum spei, ut patet ex propos. 1. ab *Alex. VII.* damn. Imo sæpius per vitæ decursum; tum quia juxta lumen rationis absonum est, hominem nunquam, aut raro admodum ad Finem ultimum per spem se convertere; tum quia ad pie vivendum, & ad salutis media adhibenda necessarius est actus spei. Vide *dicta de præcepto fidei, Viva* in cit. prop. damn. *Cardenas*, *Reiffenst.* & alios. Cæteroquin quo tempore determinato obliget hoc præceptum per se, certo quidem definiri non potest, communiter tamen dicitur obligare 1. sub initium usus rationis, postquam homini sufficienter per fidem æterna beatitudo proposita est. 2. Quando quis tam vehementes contra spem tentationes patitur, ut iis aliter resistere nequeat, nisi eliciendo actum spei, id quod maxime tenet in articulo mortis. 3. Per accidens obligat, quoties urget præceptum alterius virtutis, v. g. orationis, pœnitentiæ &c., quod sine actu spei saltem virtuali impleri non potest. Nec tamen est, cur Fideles de hac obligatione angantur, cum passim in exercitio bonorum operum, oratione &c. frequentes actus spei eliciantur. *Reiffenst.* t. 4. Theol. Moral. dist. 5. n. 11.

386. *Princip. III.* Spei opponuntur Desperatio & Præsumptio, illa per defectum, hæc per excessum. Hæc duo vitia præceptum spei prohibet, prout est negativum, obligatque semper pro semper. *Desperatio* est actus voluntatis, quo quis abjicit omnem spem consequendæ beatitudinis, vel mediorum ad illius consecutionem necessariorum, & quidem ex odio saltem virtuali, vel aversione beatitudinis aut mediorum, eo quod appareant obtentu impossibilia, vel nimis ardua, vel nunquam futura. Est ex genere suo peccatum mortale, quia immediate opponitur divinæ bonitati ac misericordiæ, & hominem directe avertit a suo Fine ultimo, estque causa gravissimorum scelerum; facit enim, ut homo, abjecta salutis cura, absque timore se præcipitet in quævis crimina (juxta illud ad Ephæs. 4.: *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ*) tandem vitam pertæsus, & conscientiæ remorsum non ferens, sibi ipsi mortem inferat. Desperationi sæpe conjunctum est crimen hæresis, specialiter in confessione explicandum, quando procedit ex judicio erroneo contra fidem, v. g. si quis ideo desperet, quia actualiter deliberate judicat, Deum non posse, nec velle remittere peccata, adeoque Illum nec esse misericordem, nec omnipotentem, nec fidelem in promissis, vel peccata sua tanta esse, ut vincant misericordiam & potentiam Dei, aut se positive a Deo reprobatum esse ante prævisionem peccatorum. A peccato gravi hic non excusat parvitas materiæ, nisi adsit simul defectus sufficientis advertentiæ & deliberationis, aut nimis turbatæ rationis ex melancholia, aut vehementi animi perturbatione. Dixi supra, *ex*

odio

odio vel aversione; nam si cui revelaretur sua damnatio, talis quidem, si abjiceret spem, non peccaret, nec proprie desperaret, quia non ex odio aversaretur beatitudinem, sed præcise, quia crederet, eam non esse a se obtinendam. Ita *Comm.* cum *Laym.* L. 2. t. 2. c. 2. *Babenst* t. 5. D. 1. a. 3. *Rhodes*.

387. *Præsunptio* est inordinata & temeraria fiducia obtinendi a Deo beatitudinem aliter, quam ipse statuit obtinendam. Hoc duplici modo contingit: 1. Dum quis beatitudinem propriis viribus & mediis pure naturalibus. 2. dum quis sola fide sine operibus, vel remissionem peccatorum per solam fiduciam in meritis Christi sine propriis actibus pœnitentiæ obtinere confidit. Huc reducitur *Dei tentatio*, quando quis temere vult experiri Dei misericordiam, exspectando miraculosum Dei auxilium, nisi id fieret ex speciali Dei instinctu. Blasphema præsumptio & Dei tentatio est, si quis per bona opera, sacrificia Missæ, preces &c. petat, aut speret a Deo consequi, quæ per se mala sunt, v. g. turpem puellæ amorem, victoriam injustæ litis &c. *Jansen.* cas. 15. n. 10., *Reiffenst.* Est peccatum ex genere suo mortale, etsi non habeat annexam hæresin; nisi defectus plenæ deliberationis excuset; quia per præsumptionem summa irrogatur injuria divinæ providentiæ & misericordiæ, estque in materia gravissima. Hinc Eccl. 5. *Ne adjicias peccatum super peccatum, & ne dicas, miseratio Dei magna est*; & Deut. 16.: *Non tentabis Dominum Deum tuum*.

„ Spei Theologicæ actus principalis est sperare & confidere „ firmiter in Deo contra desperationem; secundarius & concomi„ tans actus est humiliter timere & diffidere de se contra præ„ sumptionem.

Casus I.

Argyrophilus divitiis tam perdite addictus est, ut sæpius dicat, se statim renunciaturum omni juri ad cælum, modo per octoginta annos liceat frui quiete bonis temporalibus: irruentibus vero variis morbis, tandem saniora consilia capiens, a Confessario rogat modum recte sperandi in solo Deo; illum edoctus, diu a Deo petit sanitatem, tandem de illa recuperanda desperat, & non amplius orat; denique sub finem vitæ memor peccatorum, vix satis erigi potest ad spem firmam.

388. *Qu.* I. An renunciatio Argyrophili fuerit graviter peccaminosa? Rk. *Affirm.* quia res temporales constituit pro fine ultimo, veramque beatitudinem; ipsumque Deum hoc modo sprevit, volens ex nimis inordinato creaturarum amore Deo carere. Simili impio affectu immortuus esse dicitur Nicolaus Machiavellus, dicens, malle se cum illustribus viris ac fœminis habitare in inferno, quam cum plebejis in cælo. *Burgh.* cent. 1. cas. 13.

389. *Qu.* II. Quis sit modus recte sperandi, & eliciendi actum spei? Rk. 1. Speranda sunt primario bona supernaturalia &

spi-

spiritualia, temporalia vero non aliter, nisi ut conducentia ad salutem; sic Christus ipse modum recte sperandi & ordinem præscripsit in Oratione Dominica Matth. 6. ubi expresse addit v. 33.: *Quærite ergo primum regnum Dei*. 2. Ut spes sit utilis ad justificationem & salutem, ac supernaturalis; beatitudo promissa, Dei promissio, & motiva spei proponantur per fidem supernaturalem, quæ dirigat actum spei, sicut innuit Apostolus ad Coloss. 1.: *Si tamen manetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles in spe*. Hinc multum prodest, in Catechismis bene explicare motiva spei. R. 2. Breviter actus spei hoc vel simili modo potest elici: Spero, o mi Deus, per merita JESU Christi remissionem peccatorum, gratiam vitandi peccata, & bene agendi, præsertim gratiam finalem, & vitam æternam; quia Tu infinite bonus ac misericors, potens ac fidelis promisisti. *Item*: Peto a te humillime, & spero hoc vel illud bonum temporale, v. g. sanitatem, sustentationem &c. sicut tu vis, & promisisti, si conducat mihi ad salutem animæ meæ. Temporalia enim non absolute promisit, sed sub conditione: si recte petantur, si petens aliunde se non reddat iis indignum, si conducant ad salutem &c.

390. *Qu.* III. An peccaverit Argyrophilus desperando de petita sanitate, & intermittendo orationem? R. Si se conformando divinæ voluntati intermiserit hanc petitionem, non peccavit: sic etiam David oravit pro vita filii, hac autem non obtenta, cessavit orare. 2. Reg. 12. Si vero ideo cessaverit orare, quia Deum immisericordem erga se judicavit, aut non potentem juvare, utique graviter peccavit. Sic etiam graviter peccat is, qui deliberate blaspheme judicat, Deum cæteroquin potentem & bonum sibi uni esse nimis rigidum & austerum, ut neque parcat, neque auxilia præstare velit. *Babenst.* l. c. n. 16.

391. *Q.* IV. An peccaverit, constanter & multum timendo de salute? R. Si ideo, quia dubitat, an non Deus facienti, quod est in se, sit defuturus, peccavit contra fidem & spem: secus, si ideo, quia nescit, an sua peccata sint remissa, aut quia agnoscit relabendi periculum, & fragilitatem suam, aut quando timet abyssum divinorum judiciorum, modo timor non sit immoderatus. Eodem modo non peccat contra spem, qui cuidam vitio deditus, viribus suis diffidens existimat, se non posse abstinere, nisi simul abjiciat spem divinæ misericordiæ, sed conetur adhibere media ordinata. *Sporer* hic n. 16.

392. *Porro observa*: Spes est certa, sed simul cum timore conjuncta; *certa* ex parte Dei, quatenus in bonitate, potentia, & infallibili promissione Dei, & meritis Christi fundatur. *Laym.* l. c. n. 6. *Incerta* autem, & cum timore conjuncta ex parte nostra, quia spes consequendi salutem supponit etiam nostram cooperationem & merita, de quibus non habemus certitudi-

tudinem, ideoque ex omni parte certam salutis spem habere non possumus citra specialem revelationem. Ex quibusdam tamen indiciis possumus esse moraliter certi, qualia sunt 1. constans studium puritatis conscientiæ, & horror peccati. *Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 1. Joan. 3. ... 2. Affectus ad orationem, & frequens refugium ad Deum. Hinc S. Augustinus monet: *Si vis salvari, assidue in corde habeto illum versiculum: Deus in adjutorium meum intende.* 3. Conformitas cum divina voluntate, præsertim in rebus adversis; recte enim monet S. Nilus: *Non ora, ut fiant, quæ fieri velis; sed potius ora, sicut orare didicisti, ut fiat voluntas Dei in te.* 4. Patientiæ exercitium; hæc enim operatur *probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Rom. 5. ... 5. Frequens grata memoria Passionis Dominicæ, & magna fiducia in meritis Christi: hoc medio erexit moribundam *S. Philippus Nerius*, quam cum nimis anxiam adverteret de salute, quæsivit: pro quibus mortuus sit Christus? Illa, pro peccatoribus, inquit; pergebat ille: Et qualis es tu? Misera, ait, peccatrix ego sum. Reponebat Sanctus: Igitur pro te Christus mortuus est, quid igitur times? qua argumentatione convicta, actus spei eliciens, magno cum solatio mortua est. 6. Frequens invocatio B. Virginis; hæc enim est Mater sanctæ spei. Alia signa passim in Ascetici reperiuntur.

Casus II.

Anchises, dum ad grave peccatum allicitur, tandem consentit, cogitans: Volo proxime confiteri: Deus facile remittit: Confessarius meus P. Angelus est bonus vir: peccato semel commisso, postea sæpius illud repetit, dicens: Idem peccatum sive semel, sive decies factum una eademque confessione deletur: tandem factus consuetudinarius, liberrime peccat, cogitans: Ego tamen non sum prædestinatus, non spero salutem, sic liberius peccabo.

393. *Quæres* I. An quoad primum & secundum Anchises commiserit peccatum præsumptionis? R. ad 1. Si illud propositum confessionis, & fiducia obtinendæ per eam remissionis habuerit se tantum concomitanter vel consequenter ad peccatum, non fuit peccatum præsumptionis, adeoque sufficit ipsum tantum peccatum exprimere in confessione, non facta mentione præsumptionis: secus, si fuerit causa vel ratio motiva peccandi. *Ratio utriusque est:* quia primum potius est propositum non recedendi a spe, quo significat animum suum non esse ita affixum peccato, ut eidem adhærere, sed ut ab eo recedere, & se ad Deum convertere velit. Econtra si istud propositum esset causa, & motivum principale peccandi, implicite censeretur dicere: quia scio, Deum facile placari per confessionem, ideo peccabo. Sic esset præsumptio, quia detor-

quæretur miſericordia Dei in occaſionem & cauſam peccandi. Vide *La Croix* L. 2. n. 126., *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 121.

484. *Quæres* II. An deſperationi fuerit conjuncta hæreſis? R. Si intellexerit prædeſtinationem in ſenſu Calvini, fuit conjuncta: ex eo autem, quod liberius poſſit peccare, non amplius ſperando, non habuit judicium erroneum contra fidem. *Babenſt.* l. c. n. 10. cum *Sanch.* & *Laym.* Semper proinde advertat Confeſſarius, an cum peccato contra ſpem ſit conjuncta hæreſis, ne forte non habens poteſtatem abſolvat.

395. *Quæres* III. Quænam remedia Confeſſarios debeat adhibere deſperabundis; R. 2. Proponat infinitam Dei bonitatem, promiſſiones infallibiles Dei: *Qui non vult mortem peccatoris*, Ezech. 33. Item Iſaiæ 1.: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur*. 2. Efficacia ſunt exempla peccatorum, qui graviſſimorum delictorum veniam conſecuti ſunt, v. g. de Magdalena Luc. 7. de Zachæo Luc. 29. de Latrone in Cruce Luc. 23. ... 3. Movent parabolæ de ovicula perdita Luc. 15. ibid. de filio prodigo. 4. Suadeat Confeſſarius ſpecialem devotionem erga B. Virginem, quæ eſt refugium peccatorum. Denique diſpiciat Confeſſarius, ex qua potiſſimum radice deſperatio pœnitentis oriatur: proxime ſolet plerumque naſci ex apprehenſione, qua quis ſibi imaginatur, ſe certo damnandum; remote vero vel ex acedia, qua quis media ſalutis graviora judicat, quam ut iis uti velit, vel ſæpiſſime ex luxuria, aliiſque inveteratis peccatis, quæ mentem ſolent avertere a cæleſtibus, & tandem ob difficultatem emendationis ad deſperationem adducunt. Non raro melancholia ſolet eſſe illius origo; hinc congrua media pro diverſa origine prudentia Confeſſarii applicabit.

395. Præſumptionis peccato obnoxiis juvat ponere ante oculos 1. rigorem divinæ juſtitiæ in puniendis iis, qui abutuntur Dei miſericordia. 2. Longioris vitæ incertitudinem. *Qui enim pœnitenti veniam promiſit, diem craſtinum non ſpopondit*, ait S. Aug. *Qua neſcitis hora, Filius hominis venturus eſt*, Matth. 24. .... 3. Exempla frequentia in S. Script. v. g. de Balthaſare poſt convivium interempto, Daniel. 5. de Abſolone in quercu ſuſpenſo & transfoſſo. 2. Reg. c. 18. &c.

§. IV.

Principia generalia de Charitate Dei.

397. Principium I. *Charitas eſt virtus Theologica* (vulgo divinitus infuſa) *qua Deus diligitur tanquam ſummum bonum propter ſe; proximus autem propter Deum*. Objectum *materiale* primarium charitatis eſt ipſe Deus, ſecundarium nos ipſi, & proximus: *Formale* vero eſt bonitas Dei abſoluta, ſive ipſæ

per-

perfectiones divinæ sive collective, vel distributive sumptæ; quia propter singulas Deus est infinite amabilis. Differt Charitas a Spe, quæ includit amorem concupiscentiæ; per hanc diligimus Deum, quia nobis bonus est; per amorem autem benevolentiæ, quia in se bonus, & infinita perfectus est. Porro duobus modis Deus potest diligi super omnia, intensive, & appretiative. *Intensive*, si Deus diligatur cum conatu vehementiore, & intensiore ac teneriore affectu, quam omnes creaturæ. *Appretiative*, quando præfertur Deus ob suas infinitas perfectiones omnibus rebus creatis; qui sic amat Deum, ejus amicitiam pluris æstimat, quam omnia reliqua bona, ita ut, si vel Deus offendendus esset, vel alia cuncta, quæ non sunt Deus, amittenda, illa potius desereret, quam Deum offenderet.

398. *Princip. II.* Præceptum Charitatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est maximum & primum mandatum*, Matth. 22. prout est affirmativum, nos obligat, ut Deum *appretative* super omnia propter se ipsum diligamus, non autem necessario *intensive*. *Ratio primi* est: quia lumen naturale dictat, summum Bonum, propter quod reliqua omnia sunt diligenda, non posse, nisi inordinate & præpostere postponi alicui minori bono, sed omnibus esse præferendum. Atqui Deus est summum Bonum, ergo omnibus reliquis bonis præferendus. *Confirm.* Ille amor præcipitur, qui ex se movet efficaciter ad observantiam omnium præceptorum (nam finis istorum est charitas) atqui hoc præstat amor appretiativus; qui enim Deum sic amat, paratus est ad omnia præstanda, quæ cognoverit a Deo esse præcepta, & ad illius amicitiam conservandam necessaria. Hinc 2. Joan. 2. v. 5. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est*. Ibid. c. 3. v. 5. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt*. *Ratio secundi* est: quia non videtur conforme divinæ bonitati, cujus *jugum suave est, & onus leve* Matth. 11. illud præcipere, quod hominem plurimis ac perpetuis scrupulis exponeret: atqui hoc fieret per præceptum, Deum intensive super omnia amandi; cum nemini satis constare posset, an Deum aliquando cum sufficienti intensione amaverit. Ita Comm. cum *Sanch.* L. 2. Decal. c. 35. n. 2. *Suar. Filliuc. Bonac. Babenst.* l. c. a. 4. n. 4. Itaque dum jubemur Deum diligere ex toto corde, anima, & mente, item plus, quam patrem & matrem, Matth. 10. id non de amore secundum intensionem, sed appretiationem est accipiendum. Quid sit diligere ex toto corde &c. bene explicat *S. Thom.* 2. 2. q. 44. a. 5. in ☞: *Præcipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde; & quod intellectus noster subdatur Deo quod est ex tota mente: & quod appetitus noster reguletur secundum Deum,*

quod est ex tota anima: & quod exterior actus noster obediat Deo quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.

399. Prout hoc præceptum est negativum, prohibet, ne Deum unquam odio habeamus, aut ulli creaturæ postponamus, aliquid agendo, quod dissolvit amicitiam cum Deo, quia est summum Bonum, & infinities præstat omnibus creaturis. Odium formale Dei, quo qui directe, & ex intentione Deo vult malum, est peccatum omnium maximum; quia est directa aversio a Deo. *S. Th.* 2. 2. q. 34. a. 2. Quicunque vero peccat mortaliter, interpretative & virtualiter odio habet Deum, quia ponit id, per quod scit dissolvi amicitiam cum Deo. Porro odium Dei aliud est *odium abominationis*, quo quis Deum ob immissam adversitatem odit. Ex hoc nascitur *odium inimicitiæ*, quo quis Deum secundum se odit: licet enim in Deo non sit ulla ratio mali odibilis, impii tamen, dum aversantur Deum, ob immissa mala, falsissime apprehendunt in Deo rationem mali. In odio formali Dei non datur parvitas materiæ, ideoque semper est mortale, si sufficienter deliberatum sit.

400. *Principium III.* Præceptum Charitatis obligat ad actum charitatis non tantum semel, sed sæpius in vita eliciendum. Vide prop. 1. ab *Alexandro VII.* damnatam, item prop. 5. 6. & 7. ab *Innoc. XI.* damnatam. Quo vero determinato tempore obliget, difficile est definire, cum nec lex, nec Ecclesia diem aut tempus determinet. *Laymann* quotuor assignat tempora L. 2. t. 3. c. 2. n. 6. *Primo*. Quamprimum homo sufficientem usum rationis habet, ac sufficienter cognoscit Deum tanquam summum Bonum, Finemque ultimum κὺ *Quamprimum* non sumitur pro primo instanti usus rationis, sed moraliter, scilicet ut longa mora non trahatur morali rerum æstimatione, posteaquam hoc præceptum diligendi tanquam ad salutem necessarium homini propositum fuerit. *Prob.* Ad statum & officium viatoris pertinet, ut ad Finem suum, qui est Deus, se convertat, illum rebus omnibus creatis præferendo; alioquin neque justitiam consequi, nec in Baptismo acceptam diu retinere, nec per bona opera gloriam æternam promereri posset. *Secundo*. Ut dictum est, *sæpius in vita*. Huic tamen obligationi plerumque satisfit per charitatem *effectivam* (ut eam vocat *La Croix* n. 143.) hoc ipso, quod quis mandata Dei observet, studio evitet gravia peccata, hoc vel illud bonum opus faciat ideo, quia hoc vult Deus, vel qui cum attentione, & ex animo devote orat: *Sanctificetur Nomen tuum: fiat voluntas tua;* talis enim concomitanter simul elicit actum amoris *affectivi*, quo favet Deo suas perfectiones, gaudet, & gratulatur de iis, quia ipsi bonæ sunt. Vide *Carden.* Dissert. 6. c. 2. a. 3. ideoque non est, cur anxii sint ii de hac obligatione, qui student vitæ Christianæ, & constanter promptam voluntatem retinent,

evi-

evitandi gravia peccata. *Tertio*. Quando ingruente gravi tentatione periculum consensus in odium Dei formale imminet, quod videtur superari non posse, nisi per actum charitatis Dei formalem, id quod maxime tenet in articulo mortis; imo juxta *Jansen.* cas. 16. num. 5. obligat per se in eo articulo, etiam non occurrente graviori tentatione. Juxta alios suppleri potest actus formalis amoris per attritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ: in praxi tamen moribundus semper disponendus est ad frequentes actus amoris, ideoque præstat eos sæpius elicere in vita, ut accelerante morte animus paratus sit ad similes eliciendos, *Quarto*. Quando quis non habens copiam Confessarii, actum contritionis elicere tenetur, v. g. moriturus, sacrificaturus, aut Sacramenta administraturus; actus enim contritionis includit actum charitatis. *Laym.* l. c.

Casus *De Charitate Dei.*

Azarias, quanquam vehementer abhorreat a peccato lethali, sæpe tamen leviter offendit Deum; monitus a Confessario, ut sæpius eliciat actus amoris Dei, mane quotidie facit intentionem, omnia totius diei opera ad Dei gloriam, & beneplacitum peragendi, per diem autem aliis negotiis intentus vix unquam de Deo cogitat.

401. *Quæres* I. An Azarias sæpius peccando venialiter adhuc censendus sit satisfeciſſe præcepto Charitatis? R. *Affirm.* Si suo tempore etiam formalem actum amoris elicuerit, ut patet ex n. præced. Peccaret tamen graviter, qui actum dilectionis Dei tantum semel eliceret in vita, ut patet ex propos. 5. ab *Innoc. XI.* damnata. Peccaret etiam graviter, qui nequidem singulis quinquenniis actum charitatis eliceret, ut constat ex propos. 6. ab *Innoc. XI.* damnata. Nec satisfacit obligationi diligendi Deum: qui tunc solum elicit actum charitatis, quando tenetur justificari, & non habet aliam viam, qua possit justificari, ut patet ex propos. 7. ab *Eodem* damnata. *Ratio* est: quia ex dictamine rationis absonum est, hominem nunquam, vel raro admodum se convertere ad summum Bonum, tanquam Finem ultimum; præterea quidam contemptus est, & enormis ingratitudo, habitibus virtutum theologicarum fere nunquam uti. Denique actus Charitatis sicut & Fidei ac Spei necessarius est ad pie vivendum. *Viva* in propos. 1. ab *Alex. VII.* damnata. *Confirm.* ex propos. 1. ab *Alex. VIII.* damnata, quam Pontifex ut hæreticam declaravit, utpote aperte oppositam veritati revelatæ. *Diliges Dominum Deum tuum*. Matth. 22. & Marci 12. Et: *Qui non diligit, manet in morte*. 1. Joan. 3.

402. *Quær.* II. Quando eliciendus sit actus amoris Dei? R. Hoc vel simili modo: Amo te, o Deus, ex toto corde, quia tu es summum & infinitum Bonum. *Vel*: Amo te super omnia ex toto corde, quia propter infinitas perfectio-

nes tuas summo amore dignissimus es. Porro ille perfecte Deum amat, qui ex animo vult Deo omnia bona tum in-tum extrinseca (amare enim aliquem, est ipsi velle bonum). *Intrinseca* sunt ipsæ divinæ perfectiones, scilicet Sapientia, Sanctitas, Omnipotentia, Justitia &c. *Extrinseca* dicuntur, quæ ipsi a creaturis proveniunt, v. g. quod a creaturis tanquam summum Bonum cognoscatur, ametur, glorificetur &c. Varios affectus amoris vide apud *La Croix* l. c. n. 157. Amor dolorosus, sive Contritio sic potest elici: Doleo, o mi Deus, de omnibus peccatis meis, non tantum propter pœnas, quas a tua Justitia promeritus sum, sed maxime ideo, quia te Deum summum Bonum omni amore dignissimum, quod etiam nunc amo super omnia, offendi; ex hoc amore detestor peccatum tanquam summum malum, & propono posthac, adjuvante gratia tua, te nunquam offendere.

403. *Quæres* III. An intentio mane facta faciat, ut opera diurna sint opera charitatis, & meritoria? R. Si intentio illa per contrariam intentionem, v. g. per vanam gloriam, vel per peccatum grave non corrumpatur, tum censetur adhuc influere in opera totius diei, etiamsi quis reflexe non cogitet in singulis actionibus de motivo charitatis. Signum autem, quod intentio duret, saltem aliquod est, si operans interrogatus, cur hoc vel illud agat, cum veritate respondere possit, se ad Dei beneplacitum, gloriam & honorem operari.

404. *Quæres* IV. Quæ sint media proficiendi in charitate Dei? R. 1. Incipiat homo sæpius meditari innumera beneficia ex puro amore a Deo exibita, præsertim beneficium Creationis, Redemptionis, quod Christus ex ineffabili erga nos charitate mortem acerbissimam sustinuerit, idem beneficium vocationis ad veram fidem: in hac meditatione exardescet ignis charitatis Dei. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* 1. Joan. 4. 2. Amoris ignem augebit consideratio præmiorum, quæ Deus promisit diligentibus se: *Nec* enim *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se.* 1. Cor. 2. 2. Peccator efficacius remedium non habet satisfaciendi pro peccatis, quam frequens exercitium amoris. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7. 3. Ex cognitione divinarum perfectionum, bonitatis, pulchritudinis, omnipotentiæ, sapientiæ, justitiæ, misericordiæ &c. quotidie innovetur odium, ac detestatio peccati. 4. Frequenter per diem repetatur intentio, omnia cogitandi, loquendi, agendi, & patiendi ad Dei Gloriam gustum ac beneplacitum, juxta illud 1. Cor. c. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

405. Porro 1. advertat Confessarius ad errores anxie peniten-

tentium, dum se accusant, dicendo: Non amavi Deum ex toto corde. *Ratio* hujus judicii plerumque est, quod tenerius ament amicum, filios &c. quam Deum; vel quod non servierint Deo debito cum fervore: quærat igitur Confessarius, an ita fuerint animo comparati, ut potius omnia pati, quam Deum offendere voluerint, & ex eo doceat pœnitentem, quod non graviter deliquerint contra præceptum Charitatis; quia amoris teneritudo non præcipitur, sed major appretiatio Dei. *Herzig* p. 2. n. 164.

II. Alii se accusant: Amavi Deum propter mercedem, vel ex metu inferni; hi plerumque timorem peccati ex eo concipiunt, quod hic & nunc ita fuerint dispositi, ut actum amoris non elicuissent, nisi spes præmii, vel metus inferni movisset. Hos proinde instruat Confessarius, quod non deliquerint, quia merces vel pœna fuerunt tantum causa movens, ut Deus expeditius diligatur, tanquam Finis principalis. Quid? quod rudioribus suadendum sit, ut actui amoris perfecti præmittant actum amoris imperfecti ex consideratione beneficiorum, uti & actui contritionis actus attritionis. Is tamen mortaliter peccaret, qui actualiter ita esset constitutus, ut nollet amare Deum, ejusque præcepta servare, nisi urgeret spes præmii, vel metus inferni; quia sic non diligeret Deum appretiative super omnia, sed se ipsum, ac proprium bonum plus, quam Deum. *Babenst.* t. 1. d. 1. a. 4. n. 6. cum *Sanch. Laym.*

406. III. Nota hic propositionem 10. ab *Alexandro VIII.* damnatam, in qua innuitur a Bajanis, quod *intentio, qua quis detestatur malum, & sequitur bonum, mere ut cœlestem gloriam obtineat, non sit recta, nec Deo placens.* Falsitas hujus propositionis patet 1. ex *Trid.* Sess. 6. Can. 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit.* 2. quia Scriptura & Patres passim nos excitant ad bene operandum intuitu mercedis, uti Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Item Apocal. 2. 1. Cor. 9. ad Colos. 3. & alibi sæpius. *S. Aug.* in Ps. 120. *Noli facere bonum opus, nisi propter vitam æternam; ideo fac, & securus eris.* 3. quia agere intuitu mercedis, honestum est, & secundum rectam rationem: ergo talis intentio non est displicens Deo. Vide etiam propos. 13. ab eodem *Alexandro VIII.* damnatam. Recte etiam damnata est ab *Eodem* propositio 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ delectionem operatur, peccatum est.* Ex hac sequeretur 1. quod omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, vere essent peccata, quod damnatur a *Trid.* Sess. 6. can. 7. 2. Si carens fide, quæ per dilectionem operatur, in quocunque suo morali opere peccaret, sequeretur, quod talis peccaret etiam observando legem divinam, v. g. ho-

norando parentes, restituendo furto ablata, jejunando &c.: ergo potius deberet ab his abstinere: quo quid absurdius? Nec obstat textus S. Pauli 1. Cor. 13. *Si linguis* &c. *charitatem autem non habuero, nihil* &c. Nam *Apostolus* (ut explicat *S. Prosper* L. 1. de vita contemplat. C. 4.) *non ad hoc ista dicit, quasi aliqua bona sine charitate habere aliqui non possint, sed quia nihil prosint habentibus ea, si a charitate defecerint*. Hinc si dicantur opera in statu peccati mortalis facta nihil prodesse, non recte fieri &c. intellige, ea non esse meritoria vitæ æternæ. *Viva* in cit. propos.

407. IV. Amor Dei super omnia, juxta Theol. & Asceticos habet tres gradus perfectionis: *primus* est, Deum propter summam ejus bonitatem appretiare super omnem bonum creatum, cujus possessio Deum graviter offenderet; vi hujus amoris homo paratus est, potius omni bono creato privari, & perpeti omne malum, quam peccare mortaliter. *Secundus* est, amando ita appretiare divinam bonitatem propter se, ut vi amoris illius homo paratus sit, omni bono creato potius carere, quam deliberate leviter offendere Deum. *Tertius* est, vi cujus Deum amans ita se conformat, & subjicit divinæ voluntati in prosperis & adversis, ut nihil omnino velit, nisi Deum, & propter Deum, ideoque semper eligat propter amatum, quod est perfectius. Hic gradus excludit non tantum peccata, sed etiam voluntarias imperfectiones.

„ *Q.* 1. An detur amor desintéressatus.

„ *Nota*. Semper adhuc amor triplex agnitus fuit: videlicet „ 1. *Concupiscentiæ*, qui intendit bonum proprium amantis. 2. „ *Benevolentiæ*, qui bonum proprium amati solius, & 3. *A*„ *micitiæ*, qui est amor benevolentiæ mutuus, & post se tra„ hit, aut conjunctam habet ipsam amicitiam, seu mutuam bo„ norum communicationem, ut ex S. T. 1. 2. q. 65. a. 5. ha„ betur, cum nuper Recentior ex Bossueto *purum* amorem be„ nevolentiæ negat, dicens: ne quidem, saltem ordinarie dari „ posse amorem *desintéressatum explicite*, *& præcisive*, qui per „ accidens abstrahat ab intentione boni proprii, neque *impli„ cite & realiter*, *seu effective*, qui etiam positive excludat „ proprium bonum, & sic *amorem amicitiæ* esse mixtum ex bene„ volentia & concupiscentia, velleque bonum & amico & sibi.

„ R. 1. *Actus charitatis non quidem necessario excludit amo„ rem concupiscentiæ ab eadem potentia vel etiam actu*; adeo„ que ... potest amor esse justificativus, licet adjunctam secum „ habeat etiam intentionem propriæ beatitudinis, tum, quia mo„ tiva horum amorum sunt quidem diversa, sed non sunt opposita „ vel incompossibilia, tum, quia potest amor concupiscentiæ „ imperare amorem benevolentiæ, & amor benevolentiæ con-

cupi-

„ cupiscentiam ordinare ad bonum Dei, ut ostendunt exempla „ Sanctorum, qui desiderabant videre Deum in cælo, quia „ eum amabant, aut ut eundem amarent perfecte.

„ R. 2. *Nec tamen actus charitatis necessario includit amo-* „ *rem concupiscentiæ*, sed potest vel præscindere ab illo, vel „ positive excludere, ut in affectu S. Xaverii: O Deus, ego „ amo te, nec amo te, ut salves me &c. quia 1. non apparet „ implicantia, cum amor possit conformari cognitioni: cogni- „ tio autem possit Deum hic & nunc repræsentare præcise ut „ omni amore propter se dignissimum; qui amor, si post se „ trahat amorem mutuum ex parte Dei, erit amor amicitiæ, „ seu justificativus. 2. Sæpe amamus hominem, qui non pot- „ est nobis prodesse: ergo & Deum possumus amare gratis, a- „ more magnanimo, quin per hunc actum quæramus merce- „ dem æternam, quæ tamen sequetur, licet non intenta. S. „ Chrysost. *ho.* 5. *in c.* 2. *Ep. ad Rom. Omnia propter Christum* „ *agenda: non propter mercedem*. S. Bernard. *de dilig. Deo*: „ *Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu* „ *diligendus sit*. Bened. XIV. *in Beat. Serv. Dei* laudat San- „ ctum, qui semel voluit servire Deo sine præmio vitæ æter- „ næ; sic enim diligimus Deum super nosipsos.

„ *Dices*. 1. Natura amoris est, velle *videre amatum*, & illi „ conjungi intime. 2. est *innatum* homini, ut appetat pro- „ priam Beatitudinem, 3. qui nihil aliud quærit, quam Deum „ possidendum, jam amat *gratis*. 4. Amor excludens deside- „ rium cæli & spem, damnatus est ab Innoc. XII. in prop. „ *Franc. Fenelonii* Ep. Camerac.

„ R. *Ad* 1. Amor vult unionem cum amato talem, quæ „ in ipso actu amoris consistat, vel saltem intendatur ut bona „ amato, & ad eam referatur. *Ad* 2. est innatum appetitu „ necessario, sicut est innatus appetitus conservandi vitam, & „ tamen potest appetitus elicitus libere contravenire, & pro „ patria vitam immolare; imo quandoque homo illius non re- „ cordari. *Ad* 3. amat gratis sine alia mercede temporali, non „ tamen sine æterna, & supernaturali. *Ad* 4. N. propositio- „ nes solum loquuntur de statu habituali, excludente omnem „ spem, & desiderium beatitudinis, non de actuali. 1. enim „ est: *datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura,* „ *& sine ulla admixtione motivi proprii interesse*. Maxime cum „ spes & timor tempore tentationis sæpe videantur necessario „ requiri contra lapsum. Actum amoris, quem S. Xaverius „ rhytho Lusitanico composuit; & Pet. Possinus fidelissime „ me in latinum vertit, habet R. D. Amort: *si cesset infer-* „ *ni, tollatur & spes gloriæ, ego &c. gratis merentem dili-* „ *gam*.

„ *Q.* 2. An detur actus bonus distinctus a Charitate?
„ *Nota*. Quesnellus cum nonnullis vult, nullum dari actum
„ positive, aut negative bonum, nisi solum amorem Dei perfe-
„ ctum, reliquos omnes esse peccata, ut in *Trutina sua* Viva
„ docte declarat ex prop. 47. 48. 49. &c. Pasch. Quesnelli.
„ R. *Datur actus intermedius inter peccatum, & amorem Dei.*
„ Nam 1. datur supernaturalis actus spei, Religionis &c. 2.
„ naturalis actus misericordiæ erga indigentem, pietatis erga
„ parentes, obedientiæ erga præpositum malitiæ, justitiæ er-
„ ga creditorem solvendo debita, actus Romanorum & Gen-
„ tilium fortitudinis &c. 3. Determinate quoad amorem, da-
„ tur amor concupiscentiæ erga Deum, utique non inhonestus
„ etiam se solo, amor moderatus sui, amor proximi propter
„ se, quin referatur ad bonitatem Dei absolutam actu, aut
„ virtualiter: ideo 4. damn. est prop. 7. ab Alex. VIII. *omnis*
„ *actio humana deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei,*
„ *charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est,*
„ *mala est*, & 23. *Si quis etiam intuitu æternæ mercedis Deo*
„ *famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties in-*
„ *tuitu licet Beatitudinis operatur*: idem habet 10. denique hæc
„ sententia proscripta est a famosa Bulla: *Unigenitus* Clemen-
„ tis XI.
„ *Dices* 1. Bulla: *Unigenitus* est solum Constitutio regni,
„ vel Ecclesiæ simplex, non *dogmatica*, quæ sit regula fidei.
„ 2. Ideo jure *appellarunt* aliqui ad Concilium futurum ge-
„ nerale; maxime cum aliud sit Pontificem esse infallibilem,
„ aliud sedem Apostolicam esse infallibilem. R. *Ad* 1. N. ha-
„ bet enim omnia requisita ad Constitutionem dogmaticam:
„ materiam videlicet pertinentem ad fidem, authoritatem Pon-
„ tificis loquentis ex Cathedra, & consensum Ecclesiæ quoad
„ majorem partem, cum eandem receperint per Europam E-
„ piscopi 800. Universitates 90. Generales Ordinum 60. Cu-
„ rati ultra 200000. cæteris per orbem tacite consentientibus:
„ specialiter autem in Gallia ultra 100. Episcopi & Archie-
„ piscopi, 19. Academiæ; 300. Capita 43000. Parochi, mil-
„ lia complura domorum Religiosarum non computatis 1356.
„ Abbatiis, ut collegere Danes, & Collet *Inst. Theol.* sicut de
„ Jansenio Platellius *p.* 2. *Theol.* P. Petitdidier Ord. S. Be-
„ ned. 1727. P. Spreng. S. J. *Bulla Unigenitus vindicata* &c.
„ contra Dupin & Launoium. *Ad* 1. N. appellantibus istiusmodi jamdudum intentatum est Anathema a Concilio Ephe-
„ sino &c. quatuor autem appellantium classes numerat Eccle-
„ sia: *Pelagianorum* sæculo 4. *Michaelis Cæsenatis* Monachi Sæ-
„ culo 14. *Lutheri* Sæculo 16. quatuor Episcoporum *Jansenistarum*: denique inter Papam ex Cathedra docentem, & Se-
„ dem Apostolicam, non datur distinctio.

„ *Q.* 3.

„ *Q.* 3. An detur actus vitæ æternæ meritorius sine chari-
„ tate?

„ R. Inter 4. sententias, quas refert Laymann L. 2. tr. 3. c.
„ 1. & Sporer, valde probabilis videtur illa, quod actus sa-
„ lutaris debeat esse vel *actus amoris perfecti*, *vel ab hoc for-*
„ *maliter aut virtualiter influente imperatus*, *e. g.* intentio glo-
„ riæ Dei propter se dilecti debet in actum obedientiæ per se,
„ aut per virtutem a se relictam influere, ut per hunc homo
„ justus mereatur gloriam Ita. *Bellarminus*, *Laymann cum* 7.
„ *aliis*, qui dicunt esse communiorem. 1. Quia opus debet
„ esse proportionatum præmio, quod consistit in amore Dei
„ fruitivo. 2. Homo iis actibus meretur gloriam, quibus me-
„ retur augmentum gratiæ sanctificantis: sed iis actibus hoc
„ meretur, quibus producendis concurrit habitus Charitatis. 3.
„ Gal. 5. *In Christo valet fides*, *quæ per Charitatem operatur*:
„ *coronam promisit diligentibus se: omnia in gloriam Dei faci-*
„ *te &c.*

ARTICULUS II.

De Vitiis Religioni oppositis.

408. Ex dictis ante n. 333. primum præceptum, prout est affirmativum, pro materia propria habet actus Religionis, qua cultus Deo debitus exhibetur. Objectum materiale Religionis sunt actus in- & externi, quibus creatura rationalis testatur Dei excellentiam; formale est specialis honestas in eo, quod Deus tanquam supremus Dominus propter infinitam excellentiam suam colatur a creatura rationali. Actus immediatus ac primarius Religionis est *Devotio*, quæ est prompta voluntas, qua nos paratos Deo offerimus, ad Ei serviendum, ea omnia præstanda, quæ ad illius honorem & cultum pertinent; hac enim animi submissione infinitam Dei excellentiam profitemur & veneramur. Inde alii actus Religionis oriuntur, quibus Deus secundum se, ac directe colitur, v. g. *Oratio*, *Adoratio*, *Sacrificium*, *Observatio voti aut juramenti*, *Usus Sacramentorum* &c.

„ *Quæritur* 1. Quid & quotuplex Adoratio?

„ R. 1. Sicut *gloria* laudi verbali addit notitiam, diciturque
„ *vera cum laude notitia*: ita *Adoratio*, honori, facto externo
„ constanti, superaddit submissionem internam tanquam for-
„ mam, erga alienam excellentiam tanquam conditionem es-
„ sentialem, definiturque: *actio externa protestativa submissionis*
„ *internæ erga alterius excellentiam*, cujus potissimum tum re-
„ cipiendæ, tum exhibendæ capaces sunt substantiæ intellectua-
„ les, ut sunt Deus, Angeli, Sancti, & homo viator.

„ R. 2. *Divisio* fit in 4. membra. 1. adoratio seu *cultus*

„ *la-*

„ *latriæ*, qui in objectum fertur ratione excellentiæ cujusdam „ increatæ; hic soli Deo convertit. 2. *Hyperduliæ*, qui in ex„ cellentiam quandam creatam, sed eminentem fertur: hic de„ betur Matri Dei. 3. *Duliæ*, qui attingit prærogativam san„ ctitatis supernaturalis: hoc Sancti coluntur. *Politiæ*, qui „ debetur ob naturales dotes e. g. Principibus, Majoribus &c. „ 3. *Subdivisio* fit in cultum *absolutum*, qui objecto ob pro„ priam suam excellentiam exhibetur, & *respectivum*, qui „ objecto tribuitur ob respectum, quem habet ad alterum, e. „ g. exhibetur quidem famulo, imagini &c. in hac tamen non „ sistit, sed ad personam relativam refertur, e. g. herum, „ Prototypum &c.

„ *Coroll.* 1. Adorationem in communi neutiquam soli Deo „ tribui. 2. dæmonibus tamen, damnatis &c. non posse lici„ te exhiberi, cum sint inimici Dei, & reprobi. 3. laudem „ & honorem posse alicui exiberi ob prærogativas quascunque, „ etiam secundarias, adorationem vero solum ad supremam „ in objecto prærogativam dirigi. 4. imaginem alicujus „ eadem specie cultus respectivi coli, qua persona colitur „ cultu absoluto, e. g. imagines Christi cultu respectivo „ latriæ, imagines B. V. hyperduliæ, imagines Sanctorum „ duliæ &c.

„ *Q.* Quæ adoratio in specie tribuenda?

„ R. 1. *Humanitas Christi Domini*, considerata ut conjun„ cta Verbo colitur adoratione latreutica, absoluta quidem, „ sed simultanea cum Verbo, seu *coadoratione*: idem est de „ speciebus Panis & Vini in Eucharistia, ut sensus sit: hu„ manitas *ut terminata a Verbo*; species *ut unitæ* Christo coa„ dorantur: ita Vasquez *opusc. spec. de cultu adorationis*. *Ra„ tio* 1. illud coadoratur, quod colitur ut aliquid alterius in„ star partis: 2. Epiphanius ait: *humanitas non tam adoratur, „ quam coadoratur*. Quare considerata separata a Verbo nec co„ litur latria; quia non continet excellentiam increatam per „ se; nec Hyperdulia; quia cum ut juncta Verbo adoretur „ cultu superiore, non decet, ut sit objectum cultus infe„ rioris; sacrificium tamen humanitati nunquam offertur; „ quia hoc considerat solam rationem supremi dominii, & „ soli personæ, suppositio &c. non composito tribuitur, ita „ Vasquez & Palao.

„ R. 2. *Sanguis Christi* in terris relictus probabilius adora„ tur solum latria respectiva, quamvis in superiore ordine, „ quam *crux Christi*, *Corona spinea* &c. ob unionem hypostа„ ticam olim habitam cum Verbo, cum crux sit tantum san„ ctificata a Christo per contactum. Ita Suarez, Lugo cum „ communiore. *Ratio*: illud adoratur latria solum respectiva,

quod

„ quod non est pars, aut quasi pars suppositi Theandrici; sed „ habet solum peculiarem respectum ad illud: sed talis est san- „ guis relictus & crux Christi &c. neque enim retinet de facto „ unionem hypostaticam, neque videtur reassumendus denuo „ ab humanitate; sed postquam satis ad solatium nostrum in „ terra conversatus fuerit, vel igne consumetur, vel in alia „ corpora convertetur. Certe illud: *quod Verbum semel assum-* „ *psit*, *nunquam dimisit*, solum concernit partes primarias, & „ notabiles. *Porro* hic cultus respectivus debetur cruci Christi „ tam originariæ, quam ectypæ, modo hæc ultima assumatur „ *immediate ad Christum* ipsum exhibendum, & non tantum „ ad repræsentandam crucem originariam utpote quæ non habet „ in se excellentiam increatam.

„ R. 3. Reliquiæ Sanctorum & imagines *eorum* coluntur du- „ lia respectiva, quamquam in genere suo majorem gradum „ mereantur Reliquiæ corporis Sancti, cum olim fuerint pars „ illius. Ita Lugo, Palao &c. quia hæ coluntur propter per- „ sonam, quæ in his ultimato, & magis honoratur: *nam pro-* „ *pter quod unumquodque tale*, *illud magis tale*, ut adeo cul- „ tus *intrinsece* terminetur tam ad imaginem &c. quam ad San- „ tum, sed modo diverso: quæ explicatio videtur præferenda „ explicationi *Suarezii*, qui putat, Sanctum esse solum termi- „ natum extrinsecum: & Vasquezii, qui defendit, cultum ex- „ ternum duntaxat ad imaginem dirigi, & internum ad San- „ ctum. Cæterum ad licitum alicujus personæ vel reliquiarum „ cultum requiritur *certitudo saltem late talis* de sanctitate per- „ sonæ, & veritate reliquiarum, eaque *proportionata cultui*, „ ut sit certitudo publica per canonizationem Ecclesiæ, aut „ generalem approbationem Sanctitatis, aut authentizationem „ Episcopi *ad cultum publicum*, ut e. g. possit nomen Sancti „ Litaniis inseri, ejus imago imponi Aræ, in quo fit Sacrifi- „ cium, Missæ celebrari in honorem illius &c. Et certitudo „ privata *ad cultum privatum* ut e. g. possint ad eum priva- „ tim preces dirigi, ejus imago (sed sine radiis vel aureolis) „ in cubiculo coli, dies obitus jejunio honorari, gestari ejus „ Reliquiæ &c.

409. *Oratio* est mentis in Deum elevatio, per quam vel ma- la deprecamur, vel bona nobis, aliisque petimus, vel Deo be- nedicimus. Ita Ven. *P. Canisius ex S. Joanne Damasc.* Hæc ut fructuose fiat, requirit saltem aliquam intentionem laudan- di Deum, alias esse pure materialis, qualis solet esse in dor- miente aut ebrio. Vide *La Croix* p. 4. n. 1341. Porro aliqua oratio homini viatori absolute necessaria est. Hinc Lucæ 11. *Petite*, *& dabitur vobis*. Quo autem determinato tempore te- neamur orare ex præcepto Religionis, certo statui non potest; necesse tamen est, ut non nimis diu ab oratione desista-

mus.

mus *Laym.* L. 4. t. 1. c. 1. n. 3. cum *S. Thom. Suar.* & aliis. Hoc sensu explicatur illud Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Per accidens obligamur orare, quando gravis tentatio non aliter superanda est in qualibet gravi necessitate publica aut privata, præsertim in periculo mortis &c. Denique iis, qui multis distractionibus in oratione obrui solent, suadendum, ut præmittant bonam intentionem laudandi Deum, una cum humili protestatione contra distractiones; rogent Deum, ut mundet cor ab omnibus vanis & alienis cogitationibus; hoc modo oratio non fiet in peccatum. Hæc regula desumitur ex illo Eccl. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Sub oratione meminerit orans, cum, & coram quo loquatur, & facile resistere poterit distractionibus. Prout hoc præceptum est negativum, præter vitia Fidei, Spei, & Charitati opposita, prohibet adhuc vitia Religioni opposita; alia quidem opponuntur per *excessum*, ut superstitio, quæ est falsa religio, vel vitiosus cultus veri aut falsi Numinis. *Taberna* t. 3. c. 12. Hic tamen excessus non est secundum quantitatem cultus absolute: quantumcunque enim homo colat Deum, minus est, quam Ei debeatur, sed excessus est vel secundum objectum, si alius ut Deus colatur, qui Deus non est: vel secundum modum & circumstantias, si verus Deus colatur modo indebito. *S. Th.* 2. 2. q. 92. Ideoque superstitio est vel cultus falsus, aut superfluus Deo, vel cultus indebitus creaturæ exhibitus. Alia opponuntur per defectum; hæc ad irreligiositatem pertinent.

§. I.

Principia de Superstitione.

410. *Princip. I.* Superstitio (prout est falsa religio ob excessum ex parte modi colendi verum Deum) vel est *falsus* cultus Deo exhibitus, quem *S. Thom.* etiam vocat *periculosum*; hic committitur 1. Si quis hodie Deum coleret per circumcisionem, immolationem Agni Paschalis, sacrificia, aut cæremonias Judaicas; hæc enim significant, Filium Dei necdum esse incarnatum, & gratiam futuram per Christum, quæ tamen jam exhibita est. *Laym.* L. 4. t. 10. c. 1. n. 2. Hoc est peccatum ex se grave: quia omnis falsitas, & omne mendacium in materia Religionis Deo injuriosa, & maxime pernicioſa est. *S. Aug.* L. de mend. c. 10. 2. Si Laicus tanquam publicus Minister Ecclesiæ, v. g. tanquam Sacerdos sacrificet, absolvat &c. 3. Si quis falsas Reliquias publico cultui exponat: item si quis fingat, miraculum factum esse per aliquam imaginem, aut se habuisse has vel illas revelationes, sive ad lucrum faciendum, sive ad devotionem augendam: item si Sacerdos per excommunicati o-

nem

nem ab Ecclesia præcisus Sacramenta administret. *Laym.* l. c. n. 4. Hæc sunt peccata ex genere suo mortalia. 4. Si quis ad movendum populum fingat, aliquam historiam vel miraculum reperiri in sacra Scriptura. Et hæc superstitio ex genere suo est mortalis; primæ enim Veritati irrogat injuriam, & Religionem fundat in mendaciis, enervat, vel certe in periculum adducit authoritatem Ecclesiæ: aperit viam etiam vera miracula negandi &c. Juxta *Less.* L. 2. c. 43. dub. 1. *Busemb.* L. 3. t. 1. c. 1. dub. 1. & alios sæpe excusat a mortali ignorantia & simplicitas in ultimo casu.

411. Superstitionem, prout est cultus superfluus, committit, qui Deum colit modo ab Ecclesia non approbato, atque ab ejus praxi plane alieno, v. g. qui nollet orare, nisi ante Solis ortum, aut nonnisi candelis accensis tali ordine, colore & numero positis: vel qui tantum vellet audire Missam Sacerdotis, qui vocatur Joannes, qui habet staturam Christi &c. item quæ non vult nere die Sabbati in honorem beatæ Virginis, cum tamen alia opera servilia eo die peragat: item qui adderet in Missa novas, & ab Ecclesia non approbatas Collectas, plures genuflexiones, cruces &c. quam ordinatæ sunt ab Ecclesia. Hæc tamen, si absit grave scandalum aut contemptus, & fiant ex simplicitate, sunt venialia, tum quia materia est levis, & actio ex se non mala, tum quia sæpe ipsa simplicitas excusat. Ita *Laym.* l. c. n. 5. cum *Lessio*. Quod si vero cultus vel actio non tanum vana sit, sed ex se mala, v. g. si quis intenderet Deum colere immolatione hominis, oblatione rei furtivæ, cantu turpium verborum in templo, & ad lasciviam provocante &c. sic non est excusandus a mortali. *Laym.* l. c. n. 5. cum *Suarez*, *Sanch.* L. 2. c. 37. n. 7. Regula generalis esto: Toties superstitio committitur cum pactu saltem implicito, quoties adhibentur ad quemcumque effectum media impertinentia, vana, & manifeste falsa ac imporportionata. Quoties ex se quidem bona ac sancta, si tamen habeant circumstantias, vel cæremonias vanas, & inutiles ad effectum exspectatum admixtas. 3. Si tantum bonum sit ac sanctum, si tamen effectus certa cum fiducia ab ipsa rei virtute intrinseca infallibiliter, & non principaliter a Deo expectetur. *Ratio* est: quia certa vis hujus vel illius effectus producendi neque ex natura rei, neque ex institutione Dei, neque Ecclesiæ inest: ergo aliunde peti censenda est; atqui nec a Deo, nec ab Angelo bono: ergo ab illo, qui se transfigurat in angelum lucis, ut sub pietatis specie decipiat. *Sporer* t. 2. in prim. præcept. c. 9. n. 27. cum *Suar. Less. Delrio* L. 3. disq. mag.

412. *Princ. II.* Superstitio (prout est vitiosus cultus ex errore circa objectum, quatenus non verus, sed falsus Deus colitur) tres continet species: Idololatriam, divnationem, & va-

& vanam obſervantiam *S. Thom.* 2. 2. q. 92. a. 2. I. *Idololatriæ* eſt cultus, ſive ſervitus, quæ ſoli Deo debetur, alicui creaturæ exhibita. *Laym.* c. l. c. 2. n. 2. Alia eſt *materialis*, vel *ſimulata*, dum quis ſine affectu interno colendi ex ſolo metu mortis creaturæ cultum latreuticum exhibet. Eſt mortale peccatum, quia eſt mendacium graviter pernicioſum contra religionem, ſæpe etiam contra obligationem gravem profitendi fidem externe. *Azor.* p. 1. L. 9. c. 11. Hæc in foro interno ab excommunicatione immunis eſt; quia fides in corde retinetur. Vide n. 350. Alia *formalis*, quæ ſubdividitur in perfectam, & in imperfectam. *Formalis perfecta* eſt, quando quis cultum divinum exhibet creaturæ, v. g. idolo, cui falſo credit ineſſe divinitatem, hæc eſt conjuncta cum infidelitate. *Imperfecta* dicitur, dum quis ſciens creaturæ nullam ineſſe divinitatem, ei tamen divinum honorem exhibet vel ex odio in Deum, vel ex deſiderio aliquid ab idolo, dæmone, vel alia creatura obtinendi. Hæc eſt peccatum graviſſimum; includit enim inſignem Dei contemptum & majorem malitiam voluntatis, quam idololatria perfecta, quæ ſecum trahit aliquam licet culpabilem ignorantiam. *Laym.* l. c. n. 5.

Hic quoque notandum eſt, nullo modo idololatricum eſſe apud Catholicos cultum ſacrarum imaginum, ut olim contendebant Iconomachi damnati in VII. Synodo Gener. ſive Nicæna ſecunda anno 787. Conſtantinopoli inchoata, & deinde Nicææ Bythiniæ translata ſub *Hadriano I.* & in *Conc. Trid.* Seſſ. 25. in Decreto de invoc. & venar. & Reliquiis Sanctorum, & ſacris imag. in quo ſtatuit, *imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: ita ut per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Hinc etiam merito damnata eſt ab *Alexandro VIII.* propoſitio 25. *Dei Patris ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.* Cum enim Scriptura teſtetur, Deum frequenter ſub figura corporea apparuiſſe, uti Geneſ. 3. Exodi 33. & Daniel. 7. Pater æternus in figura Senis ſedentis. Matth. 3. Spiritus Sanctus ſub ſpecie columbæ apparuit, hinc non eſt indignum Deo, hanc Dei apparitionem in imaginibus exprimere. Alias imagines Dei ſub figura nullibi in Scriptura expreſſa improbat Ss. D. N. BENEDICTUS XIV. Tom. I. Bullarii ad Epiſcopum Auguſtanum pag. 560. Neque ſuperſtitio-

ſus

sus est in Ecclesia Dei cultus Sanctorum; siquidem iis non impendatur cultus latriæ, neque eos invocemus, aut colamus tanquam supremos Dominos, sed amicos supremi Domini Dei; sic Josue adoravit Angelum, Josue 5. idem fecere Abraham & Lot. Genes. 18. & 19. Idem decernit *Synodus* V. Act. 1. Sess. 25. Hinc recte damnata est ab *Alex.* VIII. propos. 26. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana est*. Merito enim ex perpetuo usu & traditione colimus B. Virginem cultu hyperduliæ non tantum propter dignitatem ineffabilem Deiparæ, sed etiam propter abundantiam gratiarum, quæ Sanctos omnes antecellit; sic Arcangelus Gabriel B. Virginem, antequam, superveniente Spiritu Sancto, conceperit Filium Altissimi, salutavit *gratia plenam, benedictam in mulieribus*; quæ insignis laus manifeste Mariæ ut Mariæ attributa est: vana proinde sine gravi injuria & temeritate dici nequit.

413. *Adverte* I. Signa cultus exterioris alia sunt propria latriæ soli Deo tanquam supremo Domino debitæ, v. g. offerre sacrificium, erigere templa & altaria: ita *S. Aug.* L. 20. contra Faustum cap. 21. ait: *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriam MM., constituimus altaria. Ratio est:* quia talia signa ex communi hominum usurpatione tantum instituta sunt ad protestandam supremam Dei excellentiam. Alia sunt indifferentia, ut capitis inclinatio, genuflexio, incensum, quæ determinantur ad certum cultum ex intentione agentis. Hæc enim si fiant Deo, pertinent ad cultum latriæ; si B. Virgini, ad hyperduliam; si Sanctis, ad duliam; si Regi, vel alteri homini, ad cultum mere politicum. Ad quem autem cultum hujusmodi signa hic & nunc referenda sint, plerumque ex circumstantiis determinatur.

414. *Adverte* II. Idololatriam non committit, qui in theatro ritus Gentilium repræsentat, thus offert ficto idolo &c.; ex circumstantiis enim constat, hæc non fieri ex animo colendi, sed potius illudendi, aut pure repræsentandi.

415. *Adverte* III. Qui proprio sanguine, aut aliter se dæmoni subscribit, speciem idololatriæ committit; item qui ejus dictis fidem adhibet firmam; excipe tamen ea, quæ per exorcismos coactus edicit; quamquam ne tum quidem facile credendum sit, si dicat, hanc vel illam esse sagam, Titium hæc vel illa peccata commisisse &c. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 24. ibid. cum *Gobat* ait, quod, si desint indicia alia, non liceat incarcerare aliquem a dæmone accusatum. Porro quæ liceat ex dæmone quærere, vide *Sanch.* L. 2. c. 42. *Delrium* &c.

416. II. *Divinatio* (prout hic sumitur) est significatio occultorum ex pacto cum dæmone. *Delrius* L. 4. disp. mag. c. 2. q. 1., *Laym.* l. c. c. 3. n. 1. Dicitur 1. *Significatio*: quia non consistit in sola notitia interna, sed verbis, vel aliis signis exterioribus

perficitur. Unde ex diversitate signorum variæ oriuntur species divinationis. 2. *Occultorum*, hoc est, procul remotorum ab humana cognitione, sive ea sint præsentia, sive præterita, sive futura. 3. *Ex pacto cum dæmone*: sic differt tum a prophetia, quæ dependet a revelatione Dei, tum a naturali conjectura, quæ a scientia physica, & humana observatione gignitur. *Pactum expressum* fit vel verbis, & expressa dæmonis invocatione, vel saltem explicito proposito ac voluntare aliquid a dæmone discendi, ut ait *Laym.* L. 4. t. 19. c. 3. n. 2. vel factis, aliquid usurpando, aut agendo, in quo scis, vel existimas, dæmonem respondere, & cooperari. Hæc divinatio semper est peccatum mortale ex genere suo; cujus malitia in eo consistit, quod homo ad assequendam occultorum notitiam non ad Deum, sed ad ejus infensissimum hostem diabolum se conferat, quod in diaboli honorem, summam vero Dei contumeliam & contemptum cedit, unde homo quodammodo apostasiæ, & læsæ Majestatis divinæ reus efficitur. *Laym.* l. c. n. 1. *Pactum implicitum* vel *tacitum* est, quando quis intendit aliquid scire per signa aut facta, ex quibus tamen exspectata notitia occultorum nec naturaliter haberi, nec etiam a Deo vel bono Angelo sperari potest. Etiam hæc divinatio per tacitum pactum ex genere suo est peccatum mortale; fit vero veniale 1. propter ignorantiam saltem non crassam & affectatam: licet enim hujus quoque divinationis malitia secundum se gravis sit, non tamen ut talis omnibus apparet, ut in pacto expresso. 2. Propter imperfectionem actus, quando certa fides non adhibetur, sed tantum timor aut suspicio concipitur eventus secuturi. 3. Si quis levitatis aut joci causa per vanum signum inquirat rem occultam. Ita *Babenst.* t. 5. d. 2. a. 4. n. 23. cum *Sanch. Laym.* l. c. ibid. additur: propter parvitatem materiæ superstitio, si serio fiat, non potest excusari a mortali; quia includit formalem Dei contemptum; idem maxime tenet in pacto expresso.

417. III. *Vana observantia* est applicatio medii improportionati, sive naturaliter non connexi, nec a Deo aut Ecclesia instituti ad consequendum aliquem effectum, v. g. sanitatem, pecuniam &c. Convenit cum divinatione per hoc, quod pariter nitatur pacto vel expresso, vel tacito cum dæmone; differt ab illa, quod ordinetur ad habendum effectum externum, divinatio vero ad cognoscenda occulta. Huc pertinet *magia superstitiosa*, quæ est ratio efficiendi mira opera ministerio dæmonis per signa ab eo instituta, ut ait *Laym.* l. c. c. 4. n. 1. differt a magia naturali, quæ est ratio patrandi mira per applicationem naturaliter agentium sine ministerio dæmonum. Si effectus magiæ cedat in damnum proximi, vocatur *maleficium*: si ad excitandum carnalem amorem, vel ad odium, vocatur *philtrum* seu *veneficium*. Vanæ observantiæ, si vel invocationem diaboli, vel pactum

ctum implicitum cum eo contineant, vel si proximo graviter noceant, aut ad alium finem graviter malum ordinentur, sunt peccata mortalia, imo, per se loquendo, etsi pactum tantum implicitum intercedat; sæpe tamen tunc excusat ignorantia saltem non crassa & affectata, actus imperfectio, & bona fides; ut n. præced. dictum *Babenst.* l. c. n. 64. cum *Filliuc.*

Casus I.

De Superstitione, prout Deum respicit.

Arbogastus inopia pressus, orationem (ut vocant) S. Christophori ad accipiendam pecuniam persolvit, hac non impetrata, adhibet orationem S. Coronæ. Idem ad accelerandam amico suo mortem, per plures dies orat Psalmum 108. *cum vero is sanus persisteret, clam eum occidere, & omnia bona surripere parat; hoc facinus ut feliciter succedat, vovet dare templo* 20. *imperiales; commisso homicidio & furto, cum inquireretur in authorem, iterum vovet dare* 10. *imperiales, ne deprehendatur; non deprehensus, adhuc offert* 15. *florenos.*

418. *Q.* I. An oratio Christiphoriana, & sanctæ (ut vocant) Coronæ sit superstitiosa? R. *Affir.* Ideoque harum orationum usus nullo modo est licitus; præterquam enim, quod falsissima sit persuasio, S. Christophorum, & S. Coronam (cujus nomen etiam inter Catholicos minus notum hucusque fuit) esse custodes occultorum thesaurorum; ipsæ orationes nihil aliud sunt, quam invocationes dæmonis, ut patet ex ignotis ac barbaris Angelorum nominibus, variis circulis, aliisque superstitiosis circumstantiis ibi præscriptis: accedit, quod ejusmodi modus petendi pecuniam a Deo, sit contra omnem praxin Ecclesiæ; item maxime inconveniens est, expectare a diabolo beneficium, orare, ut Deus per diabolum largiatur pecuniam, sicut expresse in oratione S. Coronæ petitur a spiritu thesaurorum, qui per Deum & Coronam adjuratur. Denique Deus manifestis pœnis nostro adhuc tempore ejusmodi superstitiosos homines solet punire.

419. *Qu.* II. An Arbogastus peccaverit recitando Psalmum 108. ex fine, ut amicus moreretur citius? R. *Affir.* Tum quia nullibi legitur, a Deo huic Psalmo inditam esse vim, alteri accelerandi mortem; tum quia ipse finis ex se graviter malus est. Eodem modo superstitiosum est, legere Missam Defunctorum, sive Requiem pro vivo ad ipsius interitum. Vide c. *Quicunque* causa 26. q. 5.

420. *Qu.* III. An peccaverit vovendo? R. Primo voto peccavit graviter, quia per hoc imploravit opem divinam ad committenda gravia peccata, quod non est colere, sed blasphemare Deum. Secundo voto non peccavit, quia sicut licet implorare Deum ad avertendum quodcunque malum imminens, ita etiam

ad hoc, quamvis ex peccato proveniens. Quoad tertium pariter non peccavit, si præcise obtulerit ex suo 15. flor., quia supposita cæde evasit periculum imminens; secus, si ex ea intentione, quod Deo specialiter adjuvante commiserit peccatum, ideoque se gratum illi velit exhibere: quia hoc idem esset, ac Deum profiteri tanquam primarium authorem, & adjutorem feliciter commissi peccati, quod itidem non caret blasphemia.

421. *Ad similes casus resolvendos observa* I. Non est superstitiosum, sacra aut orationes certo numero offerre, si id fiat in honorem mysterii, quod pie in Ecclesia colitur, v. g. quinque Sacra legi curare in honorem 5. sacrorum Vulnerum, hæc non est superstitio, sed laudabilis devotio; superstitiosum tamen est, præcise certo ac determinato numero orationum aut Sacrorum effectum adscribere.

422. II. Bibere benedictionem S. Joannis, non est superstitiosum; quia per hunc potum significatur desiderium mutuæ charitatis christianæ, quam tantopere commendavit S. Joannes; vel significat votum, ut haustus sit innoxius, sicut S. Joannes venenum innoxie bibit: secus si quis per potum intenderet colere S. Joan.

423. III. Jejunare die Paschæ, non comedere de capite animalis festo Decollationis S. Joannis, aut non comedere assaturam festo S. Laurentii, per se loquendo superstitiosæ devotiones sunt. *Ratio* 1. est, quia Ecclesia etiam ipso tempore Quadragesimæ dies dominicos a Jejunio excipit, & per annum Vigilias in Dominicam incidentes solet anticipare; ergo etiam non videtur approbare jejunium die sancto Paschæ. *Ratio* 2.: quia ejusmodi heteroclitæ devotiones sunt contra omnem praxin Ecclesiæ, & prorsus nihil conferunt ad honorem Dei, ac Sanctorum. *Babenst. L. c. n.* 5. Plerumque tamen peccaminosæ non sunt, quia potius ex errore judicii, quam malitia voluntatis proveniunt, aut ex speciali mortificatione licet indiscreta suscipiuntur. *Sanch. L.* 2. *moral. c.* 37. *n.* 10.

424. IV. Orationes S. Birgittæ (ut vocant) vi quarum promittitur, ut qui per annum eas recitaverit, non sit moriturus subitanea morte, aut ante mortem visurus sibi apparentem B. Virginem, aut non sit æternum damnandus, quamvis videantur sanctæ, superstitione non carent, si cum certa credulitate & firma ac infallibili spe recitentur; tum quia falso adscribitur talis vis ejusmodi precibus ex putatitia revelatione S. Birgittæ facta; tum quia per hanc inanem fiduciam tollitur timor Dei, homines retrahuntur ab usu Sacramentorum, audacius peccant, orationi vim tribuentes infallibilem a Deo non promissam. Idem sentiendum de illis precibus, crucibus &c. vi quarum aliqui certo sperant, se fore invulnerabiles, invisibiles &c., quia isti effectus per tales preces & signa non sine temeritate petuntur

tur & expectantur a Deo, nec etiam aliunde naturaliter sequuntur: ergo procul dubio oriuntur a diabolo, qui hac ratione homines in ausus temerarios inducit, & petita facit non sine ingenti suo lucro. Pariter superstitiosum est uti textibus S. Scripturæ, eosque recitare pollice inserto manui dexteræ ad reddendos canes mutos.

425. V. Bene instruendi sunt rudes, quomodo adhibendæ sint res alioquin sacræ: 1. Ne mediis de se bonis, sacris ac licitis in Ecclesia admisceant ceremonias ac circumstantias vanas, ac inutiles ad effectum expectatum. 2. Ut applicent res in Ecclesia usitatas, v. g. ceram, acquam vel salem benedictum, imagines contactu Ss. Reliquiarum sacratas una cum humili deprecatione & fiducia in Dei bonitate, non vero certa cum fiducia expectent ex ipsis rebus, nec adscribant infallibilem effectum soli virtuti ejusmodi rerum, tanquam ex opere operato, Vide *Jansen. P.* 1. *casu* 65. *n.* 11.

Casus II. *de Divinatione.*

Asterius nuper somniavit, se in templo a cane vulneratum iri, ac propterea sequenti die dominica non audivit Sacrum: Idem anxie semper timens, ex Astrologis & cingaris fata sibi impendentia quærit; sæpe etiam sortibus divinatoriis uti consuevit, simul tamen protestatur, se nullam cum dæmone societatem intendere.

426. *Q.* I. Quænam sint præcipuæ divinationis species? R. 1. Divinationis per invocationem sive pactum expressum cum dæmone novem præcipue numerantur species, imo tot, quot sunt modi, quibus dæmon solet revelare occulta. 1. Vocatur *Præstigium*, quando dæmon respondens apparet sub forma hominis, aut capri, aut felis &c. corpore vel aliunde asportato, vel ex aere compacto, vel tantum ficte illudendo sensui. De quibus vide *Delrium*. 2. *Divinatio per somnia*, dum in somnio expectatur revelatio occultorum a dæmone: 3. *Necromantia*, dum adhibito sanguine certisque carnibus & aliis signis evocati mortui videntur resurgere, loqui, ac docere ignota. 4. *Pythonismus*, quando diabolus per homines arreptitios occulta manifestat. 5. *Geomantia*, dum dæmon docet per signa apparentia in corporibus terrestribus, v. g. in ligno, metallo &c. 6. *Hydromantia*, dum per signa apparentia in aqua. 7. *Aeromantia*, dum per signa apparentia in aere. 8. *Pyromantia*, quando per signa apparentia in igne. 9. *Aruspicium*, dum per signa apparentia in intestinis animalium immolatorum dæmon docet occulta. Hæ species materialiter tantum differunt, & quælibet est graviter peccaminosa juxta n. 416.

427. R. 2. Species divinationis per pactum implicitum juxta *Lay.* l. c. C. 3. n. 5. &c. præcipue sunt. 1. *Astrologia judiciaria*. 2. *Physiognomia*. 3. *Divinatio per somnia*. 4. *per sortes*.

428. *Q.* II. An Asterius graviter peccaverit omittendo sa-

crum die festo propter somnium? R. Per se loquendo peccavit graviter, ut patebit ex seq. Somniorum quatuor sunt genera: 1. alia sunt *naturalia*, quæ oriuntur ex causis naturalibus, v. g. ex occupationibus aut cogitationibus ante somnum habitis, vel ex temperamento, commotione humorum, constitutione corporis &c. Ex his conjectare complexionem corporis, præsentem valetudinem aut morbum futurum, item bonam vel pravam animi affectionem, non est superstitiosum: inter hæc enim vere intercedit connexio naturalis. Sic phlegmatici somniant aquas, submersiones, natationes &c. Cholerici ignem, lites, bella &c. Sanguinei volant, saltant &c. Melancholici somniant spectra, mortes &c. Poetæ in somno carmina pangunt.

2. Alia *casualia*, quæ ex diversa specierum phantasticarum combinatione oriuntur; his firmam fidem dare vanissima superstitio est, hoc ipso, quod sint casualia. Præsertim superstitiosa divinatio foret, siquis ex somniis naturalibus aut casualibus prædiceret futura contingentia libera, aut ea prædicentibus crederet; talia enim somnia nec connexionem naturalem, nec vim a Deo inditam habent, futura contingentia præsertim libera significandi. Non tamen videtur peccare mortaliter, qui propter somnium præcedens ponit vel omittit aliquam actionem *indifferentem* præcise ex timore mali in somno ostensi, v. g. si quis omittat navigationem, eo quod somniaverit, se altero die submergendum; quia talis potius ex simplicitate aut levitate animi, sive nimia timiditate omittit, ad quod aliunde non obligatur, aut aliquid de se indifferens operatur, ut evitet malum, quod somnium minatur, non tamen omnino credit, rem in somno ostensam esse infallibiliter futuram, quia in somnio ostensa fuit, sed quia aliunde evenire potest. *La Croix L. 3. p. 1. n. 10. cum Suarez.* Unde nec peccavit graviter is, qui in somno sæpius admonitus, ut certo in loco terram effoderet, sicque reperiret ollam auro plenam, quamvis fodiendo deceptus inveniret ollam carbonibus refertam. *Tambur. Sporer. t. 2. c. 9. n. 19.* Is tamen graviter peccaret, qui ita penderet a somniis, ut pleraque actiones suas secundum illa dirigeret; hoc enim indicaret nimiam ac superstitiosam credulitatem.

3. Alia somnia immittuntur a Deo, ut habetur *Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*; &c. 1. & 2. S. Matth. de S. Josepho & Magis ab Oriente. Hisce somniis, si adsint sufficientia signa, ea esse a Deo, adhibenda est fides eo ipso, quod sint a Deo nonnisi vera significante. *Laym. l. 4. t. 10. c. 3. n. 6.*

4. Alia a Diabolo hominis phantasiam commovente excitantur. Juxta *Laym l. c.* his somniis credere est peccatum mortale ex genere suo, quod duplici modo potest committi. 1. Si quis expresse desideret per somnium doceri a dæmone, vel

ideo

ideo certo corporis situ somnum capiat, ut aliquid occultum sibi reveletur. 2. Quando ex somnio temere conjectatio fit de effectu libere eventuro aut mere casuali ac fortuito; cum enim somnia non habeant vim naturalem significandi hujusmodi occulta aut futura contingentia; sequitur, ea postulari & acceptari tamquam signa instituta & immissa aliunde: atqui prudenter censeri non possunt fuisse immissa a Deo vel Angelo bono (supponimus enim, non adesse indicia somnii divini) ergo nonnisi a diabolo profecta acceptantur.

429. *Q.* III. Unde possit cognosci, an somnium sit a Deo vel a dæmone? R. Certa regula vix potest dari: duo tamen sequentia juvat observare. Juxta *Valentia t. 3. d. 6. q. 3. Primo*, an somnium impellat ad bonum v. g. ad fugam alicujus peccati, ad opus charitatis &c. vel ad malum, vel ad aliquid indiscretum; si ad malum aut aliquid indiscretum, a diabolo est; Deus enim ad malum impellere nequit, cum sit *intentator malorum Jac. 1. c. 13.* Si ad bonum, poteris tenere, illud esse a Deo, at cum humilitate & timore; sæpe etiam dæmon *se transfigurat in Angelum lucis. 2. Cor. 11. 14. Secundo* si quis post somnium se alacriorem & promptiorem sentiat ad bonum, licet prudenter æstimare, somnium esse a Deo: secus si quis se perturbatum & minus promptum ad bonum advertat. In dubio, an somnium sit a Deo vel diabolo, præstat illud tanquam a diabolo immissum vel tanquam omnino casuale contemnere. Vide *Delrium L. 4. c. 1. & 3. Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Eccl. 5. 6.* Hinc *Jerem. 29. v. 8. Ne attendatis ad somnia vestra*.

430. *Q.* IV. An sit superstitio ex astris futura prædicere? R. Non est superstitiosum ex motu, situ, cursu, conjunctione vel oppositione astrorum, *primo* certo prædicere effectus naturales necessario eventuros, v. g. eclipses. *Secundo* probabiliter prædicere contingenter futuros effectus, v. g. ventos, pluvias, siccitatem, serenitatem, sterilitatem, tempestates. *Tertio* conjectare generatim temperamentum & propensionem naturalem prolis ex aspectu astrorum in puncto nativitatis, quæ tamen conjectura se non extendat ad effectus particulares; propensio enim naturalis cum gratia divina & ope virtutum vinci potest, quæ victoria ex aspectu astrorum prædici nequit. Vid. *Pet. Nav. de restit. C. 2. n. 28. & 80.* Juxta *Sanch. L. 2. Moral. c. 38. n. 29. & Laym. l. c. n. 5.* qui effectus ejusmodi contingentes, præsertim propensionem hominis majori cum certitudine asseveraret, quam ex astris & puncto nativitatis haberi potest, potius committeret peccatum temeritatis ac mendacii, quam divinationis; inclinatio enim & temperamentum hominis non pendet ex solo influxu astrorum, sed multo magis ex materia conceptionis & nutritionis: quid quod punctum sive momentum illud

nativitatis exactissime (ut exigunt ejusmodi Astrologi) & certo deprehendi nequeat ob rapidissimum cæli motum, ut observat *S. Aug. L. 2. de doctr. Christ. C. 22.* Alii autem effectus v. g. variæ mutationes aeris licet connexionem cum astris vere habeant, facile tamen per concursum aliarum causarum possunt impediri: ergo. *Quarto Astrologia judiciaria* prædicens ea, quæ ex sola libertate hominis, vel ex solius Dei arbitrio dependent, superstitiosa & graviter prohibita est. *Prob. 1. ex Jerem. c. 10. v. 2. Juxta vias gentium nolite discere, & a signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* Vide C. 4. *Deut.* & C. 47. *Isaiæ* Item C. 1. *causa 26. q. 3.* Item Bullam Sixti V. anno 1586. contra Astrologiam judiciariam editam, quæ incipit: *Cæli & terræ.* Hæc ars prohibetur in *Conc. Tolet. 1. Can. 16., in Conc. Mediol. 1. P. 1. tit. de mag. artibus.* Vide *Pontas V. Astrologia.* Hinc graviter peccant 1. qui ex *astrologia revolutionum* certo conantur prædicere totius anni belli pacisque vicissitudines, mortes Principum &c. 2. Qui ex *astrologia Genethliaca* sigillatim prædicunt homini in vita eventura, v. g. matrimonium cum hac persona, hoc numero infortunium &c. 3. Ex *astrologia electionum*, quid in singulis actionibus agendum vel omittendum, v. g. hac hora manendum domi, illa egrediendum ut res feliciter succedat. Vide *Delrio L. 4. disquis. mag. c. 3. q. Ratio horum* est, quia prædicti effectus nullam habent connexionem cum influxu astrorum. Hinc recte cum *S. Th. 2. 2. q. 95. a. 1. in* ⊙. concludimus: *Si quis ergo consideratione astrorum utatur ad præcognoscendos futuros casuales vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum: procedit hoc falsa & vana opinione, & sic operatio dæmonis se immiscet: unde erit divinatio superstiosa & illicita.* Excusat *Sporer t. 2. in primo præcept. c. 9. n. 16.* a gravi peccato illum, qui non ex solis astris, sed simul ex aliis circumstantiis & qualitatibus personæ aliquid contingenter futurum probabiliter assereret. Nec videtur graviter peccare, qui potius ex timore, quam certa credulitate ex prædictione Astrologi unam alteramque actionem de se indifferentem ponit vel omittit. *La Croix l. c. n. 10. cum Gobat.*

431. *Q.* V. An Asterius peccaverit, quando futura a Cingaris sibi fecit prædici? R. Si futura libera, vel alia, v. g. de fortuna aut rebus plane occultis & quidem cum firma fide id fecerit, peccavit graviter; secus si talia prædici fecerit, quorum notitia potest haberi ex physiognomia; vel si inquisiverit tantum curiositatis aut risus gratia, peccavit venialiter tantum; nihilominus raro abest peccatum scandali, quia alius inducitur ad divinationem, tum quia alii astantes sæpe graviter scandalizantur. *Sanch. L. 2. Mor. C. 38. n. 48.*

432. *Q.* VI. Quænam physiognomia licita sit? R. Hæc scientia (cujus duæ sunt partes, scil. *metoposcopia*, quæ ex vultu & cor-

corporis constitutione, & *Chiromantia*, quæ ex manuum lineamentis varia prædicit (quatenus probabiliter tantum conjectat de corporis valetudine & temperamento, & consequenter de ingenio animique propensione, naturalis & licita est; quia hæc ex vultus manuumque lineamentis conjecturaliter possunt cognosci. Illicita vero & superstitiosa est, quatenus prædicit ex his eventus libere contingentes, prosperam vel adversam fortunam &c.; nihil enim horum ex dictis lineamentis & habitu corporis pendet. *Sanch. l. c. a n.* 44. *& seqq. cum Delrio*, *Azor* &c.

433. *Q.* VII. An licitus sit usus sortium? R. 1. *Sortes divisoriæ*,) quæ adhibentur, ut cognoscatur, quid cuique tribuendum sit in electionibus, hæreditatibus & litibus &c.) licitæ sunt, *præterquam in electionibus Ecclesiasticis*. *Ratio primi* est: quia tale sortilegium nihil aliud est, quam contractus, per quem partes ad rem aliquam jus habentes ex mutuo consensu subeunt æqualem conditionem acquirendi vel perdendi, in quo nulla malitia per se loquendo apparet. *Ratio secundi* est: quia illud expresse prohibitum est in c. *Ecclesia* de sortil. quamvis autem hoc capitulum generaliter loquatur de electionibus, intelligi tamen debet juxta subjectam materiam, nempe electiones Ecclesiasticas, de quibus ibi sermo est: non vero de sæcularibus. *Babest. t.* 5. *d.* 2. *n.* 28. cum *Suarez de Relig. t.* 1. *L.* 2. *c.* 12. Hic usus sortium etiam licitus est, quando tempore pestis lis aliter dirimi non potest, quis e Sacerdotibus aut Medicis infirmorum curam debeat suscipere.

R. 2. *Sortes Consultoriæ* (per quas indagatur divina voluntas, ut sciatur, quid agendum, vel omitendum sit) licitæ sunt, sed raro, scil. 1. si fiant Dei jussu aut speciali instinctu, ut *Josue* 7. & 1. *Reg.* 10. sic etiam Apostoli sortes miserunt super Mathiam, & Joseph. *Act.* 1. 26. vel 2. si nullum aliud consilium suppetat, necessitas ac negotii gravitas exigat, ut consilium a Deo cum reverentia petatur *Laym.* L. 4. t. 10. c. 3. n. 9. Recte 3. monet *Babest.* l. c. n. 39. ne consilia a Deo petita convertantur ad res vanas & sæcularia lucra, nec circa electiones Ecclesiasticas, ut dictum est. Deficientibus his conditionibus istæ sortes sunt illicitæ; quia Deus non vult suam voluntatem indagari sortibus, sed doctrina Ecclesiæ & petito a viris prudentibus consilio. Vide c. *sortes* 26. qu. 5. *Sanch.*, l. c. n. 85.

434. R. 3. *Sortes divinatoriæ* (quibus rei occultæ manifestatio, vel consilii directio non a Deo, sed vel expresse, vel tacite a dæmone imploratur, ut ait *Suar.* T. 3. *de Rel.* l. 2. c. 12. n. 27. *Laym.* l. c. n. 9.) illicitæ sunt: aperte quidem superstitiosæ sunt, si mittantur petendo a dæmone, ut eas dirigat, & fidem illi adhibendo, vel signum sortium ab ipso accipiendo, & illo tanquam regula actionum utendo. Sortes pacto tacito tunc inniti censentur, quando manifestatio rei occultæ ab ipsa sortium varia dispositione exspectatur, quam vim cum non habeant ex

na-

natura sua, nec a Deo, nec ab institutione Ecclesiæ, ideo necessario a dæmone tacite ea vis exspectatur. *Suar.* l. c. ubi n. 29. addit, si sistatur in sola notitia rei occultæ per sortes manifestandæ, v. g. quis obtenturus sit hanc vel illam dignitatem, esse peccatum simplicis superstitionis: si vero illa cognitio referatur ad aliquid agendum, v. g. ad puniendum malefactorem occultum, simul committitur peccatum injustitiæ, sæpe enim sors iniqua cadit super innocentem, & tunc aperta committitur injustitia, quia innocenter infamatur, sæpe super nocentem, qui si puniatur, antequam aliunde probetur nocens, injuste punitur: per sortes enim juste non probatur nocens, quia per eas ipse dæmon tanquam testis solus adhibetur, cui tamen tanquam patri mendaciorum fides neutiquam adhibenda est. Præterea notandum hic est Decretum S. Universalis Inquisitionis editum 5. Aug. 1745. habeturque in Tom. II. Bullarii Ss. D. N. *Bened. XIV.* in Appendice pag. 46. vi cujus Sacerdotes tam sæculares, quam Regulares, Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure, & Apostolicis constitutionibus, ac signanter S. mem. *Sixti V.* & *Gregorii XV.* contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrunt ad præfati sacrificii celebrationem.

435. *Qu.* VIII. An Asterius excusandus sit a superstitione ex eo, quod utendo vel credendo signis vanis, & ex natura sua inutilibus protestetur, se nullum cum dæmone pactum intendere. R. Non est excusandus propterea: quia protestatio contraria facto non excusat. Vid. *Laym.* l. c. n. 3.

Casus III.

Ampelius scrupulose superstitiosus quoties ad mensam ab amicis invitatur, attendit ad numerum invitatorum; quando advertit, 13. esse convivas, ipse abit, certo credens, hunc numerum esse fatalem, unumque ex iis brevi moriturum, uti e convivis tredecim in ultima cœna Judas interiit. 2. Tenaciter adhæret arti punctatoriæ, dicens celeberrimam hodie inter doctos esse hanc artem.

436. *Q.* I. An quoad primum superstitionis reus sit Ampelius? R. *Affirm.* quia certo credidit, hunc numerum esse fatalem; cum tamen nulla sit connexio inter causam, & effectum, qui timetur superstitiose; cur hi Divinatores non præsagiunt, unum e 13. convivis se brevi suspensurum, sicut Judas se suspendit? vide *Sporer* l. c. n. 25. *Tambur.* tamen excusat illum a peccato gravi, qui non credens numero, sed ex vano timore aliunde incusso, quem non vult superare, discedit a convivio.

437. *Q.* II. Quid sentiendum de arte punctatoria? R. A superstitione excusari non potest; quia ipsæ quæstiones, quas punctatores infallibiliter resolvere conantur, artem superant humana-

manam. Sic libellus, qui de hac arte impressus spargitur, ex domo Arietis resolvendum proponit? An quis diu sit victurus, an ætatem felicem consecuturus? ex domo Capricorni: An Rex vel princeps felix ac diuturnum regimen sit habiturus? ex domo Cancri: An quis mortem felicem vel infelicem sit obiturus? quid? quod punctatores determinatos vitæ annos Magnatibus prædicere ausi sint: atqui hi eventus maxime dependent a divina dispositione, a libera voluntate hominis: ergo. *Confirm.* Regulæ & modus resolvendi prædictas quæstiones ex punctis, numeris, & figuris tanquam mediis omnino improportionatis ad ejusmodi eventus non minus superstitiosus est, quam modus resolvendi, & prædicendi futura ex astrologia judiciaria, ergo pari jure ad idem musæum diabolicum ars punctatoria amandanda est, ad quod jam pridem tum a Jure Civili, tum Canonico astrologia judiciaria proscripta fuit. Vide cit. c. *non observetis caus.* 26. *q.* 7. ubi punctatores tanguntur illis verbis: *sive qui per quosdam numeros literarum ... futura inquirunt.*

438. Porro *Adverte I.* a gravi peccato superstitionis excusandus non est, qui jubet prædici, vel ea credit, quæ ex speculis magicis prædicuntur. Usus enim hujusmodi speculi ex omnibus circumstantiis non nisi meras fraudes diabolicas sapit; nec ulla ratione probari potest, eam vim inesse naturaliter speculo, ut ope illius ea possint cognosci, quæ ex se vel sunt occulta, vel absentia, vel futura, quis bene vel male sentiat de te &c. nec a Deo tale speculum eam virtutem habet, ergo a diabolo. Item quare puerulus præmissa confessione & communione adhibetur ad consulendum speculum? scil. ut sub pietatis specie opera diaboli eo audacius ac tutius admittantur.

439. II. Vanæ observantiæ tres præcipue sunt species, sc. 1. *Ars notoria*, per quam adhibitis certis verbis, aliisve signis variæ scientiæ, & doctrinæ absque labore comparantur. Hanc artem, ajunt Anabaptistis esse familiarem. Est ex genere suo peccatum mortale, & per usum mediorum improportionatorum continet tacitam invocationem dæmonis. Licitum tamen est, uti scientia, quam quis ope dæmonis acquisivit de virtute naturali alicujus rei v. g. herbæ, dummodo conservatio, aut usus talis scientiæ non requirat actualem adhuc concursum dæmonis; quia talis cognitio ex se bona est, & peccatum, quo male acquisita est, per accidens se habet respectu actualis usus. *Suar. t.* 1. *de Relig. L.* 2. *c.* 15. *n.* 24. *Bonac.* & alii.

2. *Observantia sanitatum*, quando per benedictiones in Ecclesia inusitatas, incantationes, insufflationes, scripturas, ligaturas, & similia, quæ vim naturalem medendi non habent, sanitas, vel immunitas a vulneribus hominum, vel animalium procuratur. Hæc superstitio ex sequentibus dignosci potest. 1. Si verba inepta, aut ignota, aut characteres ignoti adhibeantur.

2. Si

2. Si interserantur falsa, apocrypha, & incerta v. g. de febri, de spasmo Christi. 3. Si circumstantiæ adhibeantur tanquam per se efficaces ad impetrandam sanitatem, quibus tamen nulla inest efficacia. Hanc superstitionem vetulæ illæ committunt, quæ adhibitis ineptis ceremoniis, & oratiunculis febrem curant &c. Huc pertinent plurimi abusus rerum sacrarum, & cultus sanctorum. V. g. gestare secum talerum imagine S. Georgii insignitum contra periculosum lapsum ex equo: ad sistendum sanguinem e naribus stillantem ponere stramen in formam crucis; ne caro læsa intumescat, apprimere ei cultrum cruce insignitum &c. Si quis tamen hæc peragat ex mera devotione, ac more orantis, vel cum fiducia ad interceſſionem Sancti Georgii, vel ad S. Crucem, nec infallibiliter ex sola applicatione expectet effectum, aut aliam circumstantiam superstitiosam addat; non peccat.

3. Est *Observantia eventuum*, qua quis ex observatione rerum impertinentium mala vel bona sibi vel aliis eventura conjicit, ideoque aliquid facit, vel omittit. Vide S. *Th.* 2. 2. *q.* 96. *a.* 3. v. g. si quis inter calceandum sternutaverit, redeat ad lectum, quia credit sternutationem esse omen infaustum: item si quis recedat ab incepto itinere, eoquod occurrat anus, vel transiliat lepus per viam: item si quis die lunæ nolit quidquam dare mutuum ex firma credulitate, mutuum hoc præcise die datum nunquam restitutum iri &c. Hæc quidem firmiter credere, grave foret peccatum, eoquod talia signa nullam habeant vim naturalem vel supernaturalem ad nuntianda prospera vel adversa. Sæpe tamen a simplicibus peccatur in iis venialiter 1. propter ignorantiam saltem non crassam; 2. propter imperfectionem superstitionis, dum quis certam fidem non adhibet; 3. propter defectum seriæ intentionis, ut si quis levitatis aut joci gratia ex vana observantia aliquid agat, vel omittat. *Babenst.* l. c. n. 61. De variis hucusque relatis speciebus superstitionis, aliisque, de quibus eodem modo sentimus v. g. de auguriis, energice tractat c. 16. *Non observetis* caus. 26. q. 7.

Casus IV.

Albanus contra morbum remedium quærit apud Carnificem, a quo accipit pulverem sympathicum; ab alio accipit schedulam variis crucibus insignitam, ut eam deglutiat; antequam adhibeat utrumque remedium, dubitat, an non lateat superstitio.

440. *Q.* I. An liceat consulere Medicum, vel Chirurgum, vel alium v. g. carnificem suspectum de mediis superstitiosis. R. cum *Sanch.* & *Laym.* Si prudenter adhuc credantur scire media licita, licet eos consulere, cum animo tamen non admittendi alia media, nisi licita; sic enim petitur, quod alter licite dare potest. Secus, est si quis sciret, alterum non alia nisi media illicita præscribere. Vide n. 445.

441. *Q.* II. Quid agendum, si dubitetur, an res ad effectum

cau-

causandum applicanda habeat vim naturalem, nec ne? Rx. Si prudenter dubitetur ob rationes aliunde satis graves, ante applicationem deponendum est dubium, & judicandum, inesse huic rei virtutem naturalem; cum enim plurimæ in rebus naturalibus lateant virtutes viris etiam doctis incognitæ, non est sufficiens ratio, cur ex eo præcise, quod virtus illa alicui particulari personæ sit incognita vel dubia, eam mox diabolicam dicamus. *Laym.* l. c. c. 4. n. 6. ubi monet, suadendum esse illi, qui ejusmodi re dubia uti vult, ut protestetur, nolle se effectum, si subsit ulla vis diabolica. Idem suadendum est Albano circa usum pulveris sympathici, cujus vis naturalis saltem ad aliquam distantiam defenditur a quibusdam Philosophis Catholicis. Vide *La Croix* L. 3. p. 1. n. 32. & 35. ubi de virga divinatoria. Præterea notandum: in rebus mere naturalibus v. g. herbis, radicibus, salibus &c. plerumque minor est suspicio fraudis; plus doli subest in artefactis v. g. in scedulis variis crucibus insignitis. Hinc *Delrius* absolute monet, si media dubia sint, non facile ea esse suadenda.

442. *Q.* III. Quid si satis constet, virtutem, vel effectum non esse naturalem, dubitetur autem, an sit a Deo, an a diabolo. Respondet *Babenst.* l. c. n. 55. *cum Comm.* Præsumendum esse, tunc esse a diabolo. Rationem dat ex *S. Thom.* quia, cum res illa, vel medium, quod adhibetur, non sit causa naturalis effectus, qui speratur, erit tantum signum, quo posito vel Deus, vel dæmon effectum producit: constat autem, Deum non operari ejusmodi effectum nisi in sacramentis & sacramentalibus, simulque temerarium est, exspectare miraculum: ergo tantum præsumendum est, ejusmodi effectum nonnisi a medio in Apotheca diaboli elaborato produci.

Casus V.

Æmiliana confitetur. 1. *quod sæpe usa sit superstitionibus.* 2. *Quod, cum nuper filius suus pediculis scateret, ad hoc malum avertendum tria ejusmodi animalcula calamo inclusa in camino suspenderit.* 3. *Quod adierit sagam pro maleficio tollendo, & alii inferendo.* 4. *Quod ab eadem ad artes diabolicas seducta a duobus annis saga fuerit.*

443. *Q.* I. Quid confessarius judicare debeat quoad primum? Rx. Quærat, an sciverit, vel dubitaverit de superstitione; & tum peccavit mortaliter. Si præterea damnum illatum proximo, peccavit simul contra justitiam, & obligatur damno secuto ad restitutionem; si quoque abusa sit rebus sacris, etiam commisit sacrilegium. *Ita Comm.*

444. *Q.* II. An quoad secundum superstitiose egerit? Rx. *Affirm.* Tum quia illa suspensio dictorum animalculorum neque ex natura rei, neque ex institutione Christi, aut praxi Ecclesiæ habet ullam virtutem tollendi a filio malum: ergo effectus ex-

exspectatus non potuit aliunde, quam a diabolo profluere. Tum quia ipse numerus trium præcise animalculorum, & locus in camino sapit apertam superstitionem; quare enim non potius in libero aere, quare non plura vel pauciora animalcula suspenduntur?

445. *Q.* III. An liceat petere a saga vel maleſico, ut dissolvat maleficium, & consequenter an Æmiliana peccaverit quoad secundum? *Ante Resp. observa:* Maleficium duobus modis potest solvi: 1. Destruendo simpliciter signa, ex quibus maleficium per dæmonis pactum dependet. Hic modus est licitus: sic licet comburere pollicem furis suspensi sub limine domus opera dæmonis defossum &c. &c. 2. Per novum maleficium, adhibendo nova signa, quibus ex pacto dæmonis maleficium destruatur: hic modus nunquam est licitus. Jam *R.* 1. Nunquam licet petere a maleſico, ut maleficium alio maleficio dissolvat, etiamsi ille ad hoc paratus sit. *Ita comm. Ratio est.* Tum quia maleficium est actio intrinsece mala, quæ ex nullo fine cohonestari potest, ad quam alter per petitionem induceretur. Tum quia petens hoc modo reipsa communicaret cum dæmone, sine quo ipse maleficus non posset operari. *R.* 2. Si saga possit sine novo maleficio dissolvere maleficium, licet petere, ut dissolvat illud; quia sic nihil aliud petitur, quam id, quod saga potest facere licito modo, removendo illud, vel ponendo sine nova arte diabolica, quo posito, vel remoto dæmon nocere cesset. Sic etiam licet abradere sagis capillos, si iis relictis non sentiant torturam: licet repercutere sagam, a qua quis percussus est, ne illa noceat. *R.* 3. Si dubitetur, an maleficium novo maleficio, an vero simplici pacti destructione a mago tolli possit, non licet eo uti, quia in dubio facti, quando agitur de periculo peccandi formaliter, & Deum inhonorandi, pars tutior eligenda est. Ita *Cajet. Derl. Laym. Q.* quid? Si adsit suspicio, quod magus non fit adhibiturus modum, quem scit, licitum, sed illicitum? Respondet *Babenst. l. c. n. 77. cum Suar. Sanch. Tamb. Laym.* L. 4. *t.* 10. *c.* 4. *n.* 10. Licite adhuc posse peti dissolutionem maleficii, quamvis suspicio sit, maleficum id facturum modo illicito, *dummodo certo vel probabiliter sciatur, quod possit modo licito pactum dissolvere. Ratio* horum est, quia petens utitur jure suo, nec inducit alium ad malum, sed tantum petit id, quod alter licite præstare potest, estque per accidens, quod ille usurus sit sua malitia. *Confirmant* ex eo, quod quis licite mutuum petat ab usurario, & juramentum ab infideli quamvis prævideatur uterque usurus sua malitia, quæ ipsis imputanda est, non petenti rem ex se bonam, vel indifferentem; imo petentem excusat præsens necessitas, ut non censeatur moraliter cooperari peccato. Sic illi; at *Cajetanus, Delrius* & alii contrariam sententiam tenent, recte adhuc negantes, id licere, non quidem ex eo, quasi petitio esset formalis cooperatio ad peccatum magi, excusat enim justa causa petendi v. g. necessi-

ceſſitas; ſed ex eo, quia petens vel admittens ſe exponeret periculo habendi commercium cum dæmone, & ab illo admittendi beneficium, quid? quod Adverſarii fateantur, in tali caſu eſſe obligationem monendi magum, ut medio licito utatur: hæc poſterior ſententia videtur in praxi ſuadenda: ſiquidem in tali caſu potius confugiendum ſit ad media ſpiritualia. *Boſco de Sacram. D.* 1. 3. 8. *n.* 70.

446. *Q.* IV. Quid ſit agendum, ſi quis ſe offerat ad pactum diſſolvendum? R. Prius examinandus eſt de modo diſſolvendi, qui ſi videatur ſuperſtitioſus, admittendus non eſt; ſi nolit manifeſtare, repellendus eſt; quia hinc ſatis colligitur, ipſum ignorare media licita. *Delrius* diſq. mag. L. 6. C. 2. Sect. 1. q. 2. *Notat Laym. l. c. cum Suar. Sanch. & Leſſio* quod de eo, qui maleficii auctor fuit, facilius præſumi poſſit, eum ſigna, quæ ipſemet poſuit, ſine novo maleficio deſtructurum eſſe, ad quod præſtandum ex juſtitia tenetur, ideoque minis ac verberibus ad id adigi poteſt.

447. *Sed quid*, ſi ſuſpicio ſit; quod alius modum licitum diſſolvendi maleficia didicerit a dæmone? Reſpondet *Laym.* l. c. adhuc ab eo peti poſſe, ut diſſolvat: nam arte bona, quam male didicit bene uti poteſt.

448. *Q.* V. Quænam ſint media contra maleficia? R. Alia ſunt *naturalia*; quæ vel deſumuntur a pharmacis; hæc tamen dæmon facile eludit, ſi Deus permittat; partim a deſtructione pacti remotis ſignis, a quibus duratio pacti pendet, ut ſupra dictum eſt; de hac deſtructione *Delrius* l. c. q. 3. Alia *ſupernaturalia* ac 1. ſincera & fiducialis commendatio ſui in divinam providentiam, & cuſtodiam S. Angeli cuſtodis. 2. Exorciſmi Eccleſiæ. 3. Devotus uſus aquæ benedictæ. 4. Devotus uſus aquæ in honorem S. Ignatii benedictæ, olei S. Walburgis, ceræ Innocentianæ, item ceræ benedictæ in honorem S. Franciſci de Paula. 5. Devotus uſus Imaginum B. V. immaculatæ conceptæ, S. Ignatii, & alia multa in Eccleſia uſitata. *De his P. Stoiber in P.* 2. *Armamentarii Eccleſiaſtici.*

449. *Q.* VI. Quomodo peccaverit Æmiliana adeundo ſagam pro maleficio inferendo. R. Peccavit graviter tum peccato ſuperſtitionis, tum injuſtitiæ, ſi maleficium ſit illatum; ac proinde tenetur curare, ut tollatur, ſed ſine novo maleficio, damnumque reparetur. *Ita Comm.*

450. *Q.* VII. Quid agendum ſit Confeſſario, dum pœnitens ſe accuſat, quod ſaga, vel magus fuerit? R. Interroget *primo* an pactum inierit cum dæmone? Hoc enim pœnitens debet diſſolvere, & ejurare, antequam abſolvatur; diſſolvitur autem ſufficienter agendo ſeriam pœnitentiam (quæ cum rara ſit, non eſt facile credendum ejuſmodi hominibus, ſed prudenter tentanda eſt eorum fides & conſtantia) neque neceſſarium eſt, ut pœnitens pe-

tat

tat sibi reddi chirographum a dæmone, in quo forte se illi subscripsit. Si tamen saga vel magus apud se habeat chirographum, vel aliud signum initi pacti v. g. Schedam, nodum ligularum, glomum capillorum, ollam &c., debet illa comburere, vel alio modo destruere. 2. Quærat, an Deum, & fidem abnegarit, vel blasphemaverit, dæmonem adoraverit, hostiis consecratis abusa fuerit? an maleficium confecerit ex rebus sacris? talia enim sacrilegia & Apostasiæ plerumque a sagis committuntur: si consecratas hostias adhuc retineat, tenetur eas tradere sacerdoti. 3. An si fidem necdum abjuraverit, saltem crediderit, dæmonem non esse damnatum, sacramenta suscipientibus nihil prodesse &c. ex quibus colligitur, pacto cum dæmone etiam hæresin fuisse conjunctam. 4. An commiserit cum dæmone peccata luxuriæ. 5. An damna intulerit per maleficia, hæc enim tenetur resarcire. 6. An maleficia illata adhuc durent, quæ tenetur tollere, si possit sine novo maleficio. Neque facile prius absolvendi sunt malefici, quam huic obligationi satisfaciant. Vide *Suar. Sanch. Filliuc. Bonac. Lessium de* L. *& J.* L. 2. c. 44. dub. 4. n. 27. *Babenst.* l. c. n. 83.

451. Porro adverte I. Sæpe simpliciores accusant se esse sagas, eoquod exercitia quædam magica didicerint, vel exercuerint, absque commercio explicito cum dæmone: hisce ostendat confessarius gravitatem criminis, & si advertat pœnitentem ab eo adhorrere, illudque serio detestari, facilius illum potest absolvere; suadeat autem frequentem confessionem, & communionem, actus fidei, spei, & charitatis &c. alias facile redibit ad damnatas artes.

452. II. Si quis pecuniam a dæmone acceperit, nec constet, quod alicui eam surripuerit, licet eam retinere, quia dæmon illam potuit extrahere e fundo maris, vel ex occulto thesauro ad neminem pertinente. Secus, si constet, cui fuerit ablata, *Suar. Sanch.* L. 2. *mor.* c. 41. n. 2. nec licet tali pecunia uti, si sit adulterina *Ibid.*

III. Si maleficus aut divinator alicui operam suam præstitit accepta mercede, ad hujus restitutionem in conscientia non tenetur. Quia talis opera & impensa diligentia est pretio æstimabilis. *Laym.* l. c. c. 8. contra alios.

§. II.

De Tentatione Dei.

453. *Nota. Irreligiositas* est defectus cultus Deo debiti; alia directe tendit ad irreverentiam Dei, ut tentatio Dei, blasphemia, & perjurium. Alia ad irreverentiam rerum sacrarum, ut sacrilegium, & simonia. De blasphemia, & perjurio agemus in præcepto secundo. Hic primo de Tentatione Dei agemus, non prout sonat seductionem vel inductionem ad peccatum; sic nec

acti-

active, non passive cadit in Deum: *Ipse enim neminem tentat* h. e. neminem inducit ad peccatum. *Jac.* 1. Neque ipse potest induci ad peccatum: sed prout sonat probationem: sic Deus Job tentasse legitur, item Israelitas *Deut.* 13. *v.* 3. hic dicemus, quale peccatum sit, hoc sensu Deum a nobis tentari.

454. *Principium I. Tentatio Dei est dictum, vel factum, quo quis absque justa causa explorat, an Deus habeat hanc, vel illam perfectionem*, petendo scil. vel expectando extraordinarium effectum, signum, vel auxilium, quo divina potentia, sapientia, misericordia, vel alia perfectio manifeste cognoscatur, & quasi experimentum de ea capiatur. *S. Th.* 2. 2. *q.* 97. Juxta *Suar.* T. 1. *de Relig.* t. 3. L. 1. c. 2. Tentatio Dei propriissime talis oritur ex infidelitate, vel dubitatione de aliqua Dei perfectione v. g. Præsentia Dei. Sic de Israelitis Exod. 17. v. 7. legitur: *Tentaverunt Dominum dicentes: estne Dominus in nobis, an non?* Tentatio Dei minus proprie talis oritur potius ex præsumptione, aut nimia confidentia; quando quis sine utilitatis aut necessitatis causa a Deo petit miraculosam declarationem alicujus perfectionis divinæ, ut ait *S. Th.* cum *S. Aug.* L. 16. *de civ. c.* 19. hoc dupliciter potest contingere, scil. *expresse*, & *interpretative*. *Tentatio Dei expressa & formalis* est, quando quis expresse dubitans de reliqua perfectione Dei aliquid dicit, vel facit animo eandem explorandi. v. g. Si quis dubitans de aliquo articulo fidei petat a Deo miraculum, ut patefiat veracitas Dei loquentis. Vel si quis ex alta turri se præcipitet experturus, an Deus sit potens servare ab interitu. *Tentatio Implicita, vel Interpretativa est*, quando quis expresse quidem non dubitat de aliqua Dei perfectione, nec directe intendit de illa capere experimentum, petit tamen, vel agit aliquid, quod ad nullum alium finem, quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem ex sua natura referri posse videtur, vel quod ex se requirit extraordinarium auxilium. Unde hoc dupliciter contingit. 1. Quando quis media ordinaria absque justa causa negligit, & extraordinarium auxilium ac effectum a solo Deo temere exspectat v. g. si periculose decumbens respuat omnem medicinam, & a solo Deo temere expetet sanitatem. 2. Quando quis sponte & citra utilitatem ac necessitatem in grave periculum se conjicit, ex quo nullatenus aut vix eripi potest, nisi per miraculum. v. g. Si quis per totam quadragesimam vellet omni cibo & potu abstinere ad exemplum Christi (nisi id fieret ex speciali, & manifesto Dei instinctu) certo expectans extraordinariam a Deo vitæ conservationem.

455. *Princip. II. Tentatio Dei ex genere suo est peccatum mortale. Laym.* l. c. c. 5. *Reiffenst. cum Comm. Ratio est.* Quia tum formalis, tum Interpretativa tentatio est gravis irrevarentia erga Deum. 1. *De formali* constat: quia ex dubitatione velle explorare divinam perfectionem est despectus divinæ excellentiæ.

Neque hic locum habet parvitas materiæ, ut docet *Babenſt.* t. 5. d. 2. a. 5. n. 8. *cum Valant. & Sanch.* hinc Deut. 6. & Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. 2. Interpretativa tentatio ſaltem eſt implicita petitio, ut Deus contra ordinem ſuæ providentiæ abſque neceſſitate operetur: ergo pariter cedit in irreverentiam erga Deum. *Illſung.* t. 5. d. 3. a. 2. n. 287. Tentatio tamen Interpretativa frequentius eſt peccatum veniale tum ob imperfectionem actus, ignorantiam, ſimplicitatem, tum ob levitatem periculi, cui tentans ſe exponit. Tum vero nullum eſt peccatum, ſi fiat ex gravi cauſa, & humili confidentia in divina bonitate. Hinc *Laym.* l. c. n. 6. recte cum *Suar.* ait; ut ejuſmodi temeritates ſint peccata tentationis Dei, neceſſe eſt intentionem operantis aliquo modo ad Deum dirigi, tacite ab ipſo implorando extraordinarium auxilium ſine cauſa utilitatis ac neceſſitatis.

Casus *De Tentatione Dei.*

Ægidius diſputans cum Acatholicis de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, cum illi nollent acquieſcere, & credere, in hæc verba erumpit: ſi ſis Deus catholicorum, confirma hanc veritatem miraculo. Alias innocenter accuſatus de gravi furto, probaturus ſuam innocentiam petit afferri carbones ignitos, quos dum nudis manibus apprehendere, & ſinui immittere attentat, mox vim ignis ſentiens manus retrahit, & graviter iraſcitur Deo, quod innocentiam non confirmet miraculo. Judex hoc præciſe eventu commotus procedit ad torturam.

456. *Q.* I. An Ægidius Dum tentaſſe, & graviter peccaſſe cenſendus ſit, dum petit miraculum ad confirmandum articulum fidei, & convertendos Acatholicos? R. *Affirm.* Nulla enim urgebat neceſſitas, cum non deſint alia ſigna, motiva, & notæ ſufficientes veræ fidei in Eccleſia Dei. Imo nec coram Gentilibus licet petere miracula, quando inde non eſt ſpes converſionis. Si vero Viri ſancti aliquando ſimilia petiiſſe legantur, credendum eſt, ex ſpeciali Spiritus S. impulſu petiiſſe. *Suar.* l. c. n. 13. ſic etiam petierunt Apoſtoli *Act.* 4. Gedeon. *Jud. 6. v.* 7. Achaz *Iſaiæ* 7. *v.* 11.

457. *Q.* II. An Ægidius quoad ſecundum tentaverit Deum? R. *Affirm.* Pertinet hic modus ad purgationes vulgares (ſic dictas, quod nullo jure, ſed populari inventione, & fabricante ſunt omnino fictæ invidia c. *Mennam* 7. q. 5.) quæ olim fiebant per ferrum candens, aquam ferventem, vel frigidam, item per monomachiam, quæ omnes graviter prohibitæ ſunt in Jure Can. *Cauſa* 2. q. 5. & L. 5. *Decret.* t. 35. Legitur quidem nonnunquam Deus miraculo ejuſmodi purgationes confirmaſſe; ſed tum, quando ex ſpeciali inſtinctu ad eas impulit, ut refertur de S. *Cunegunde*, Juxta *Leſſium* L. 2. c. 15. n. 4. id factum vel ob ſimplici-

tatem

tatem illius sæculi, & antequam ab Ecclesia fuerunt prohibitæ; vel quia innocentes suspecti ad eas cogebantur; quid? quod effectus etiam sæpe non responderit. Ut refertur c. 2. *de purg. vulg.*

458. *Q.* III. An judex peccet graviter judicando ex tali purgatione vulgari? R. *Affirm.* Quia judex in processu contra accusatos debet niti probationibus, ac indiciis, quæ humano modo deprehendi possunt. *Ita Laym.* l. c. n. 5.

459. *Porro Adverte* I. Tentat Deum, qui temere, & sine justa causa se offert ad Martyrium: talis enim interpretative vult capere experimentum vel de Dei providentia hoc ipso, quod se absque necessitate, aut speciali utilitate exponat periculo, a quo nonnisi a Deo eripi potest, vel de Dei potentia, eo quod exspectet sine justa causa constantiam, & victoriam supernaturalem. Tunc autem censeretur esse justa causa, quando adest vel præceptum, vel consilium martyrii. Præceptum adest, quando subeundum esset martyrium ad servandam multorum fidem, vel salutem, aut vitandas blasphemias; consilium: quando nihil ex eo aliud sequitur, & exspectatur quam gloria Dei, simulque sentitur peculiaris Deus instinctus. *Sanch.* L. 2. *mor.* c. 34. n. 15.

460. II. Non tentat Deum, qui in gravi necessitate devote orando humiliter a Deo petit, ut manifestet suam divinam voluntatem vel per confessarium, aut per internam illustrationem: quia talis nec dubitet de aliqua Dei perfectione; nec per media improportionata voluntatem Dei explorat. Non tamen licet petere, ut Deus per aliquod signum externum determinatum manifestet suam voluntatem, quia regulariter non solet ita manifestare, sed vel per internam inspirationem, vel per alios pios ac doctos Viros, quos vult consuli.

461. III. Nostra fiducia in Deo tum ordinata est, quando in gravi necessitate constituti primario quidem Dei opem exspectamus, ita tamen, ut media ordinaria non negligamus, & simus parati ad omnem eventum etiam exspectationi nostræ contrarium, dicentes cum Isaia c. 50. v. 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Juxta *Laym.* l. c. n. 6. velle a Deo aliquid impetrare sine animi humilitate & reliqua dispositione videtur esse quædam tentatio Dei, non tamen semper graviter peccaminosa; hinc orans sequatur monitum Eccles. c. 18. *Ante orationem præpara animam tuam.* Ut dictum est n. 309. Ita S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 1. in ⊖ docet: *Quando ergo propter aliquam necessitatem, seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare .... quando vero hoc agitur absque utilitate, & necessitate, hoc est interpretative Deum tentare.*

462. IV. Juxta *Suar.* T. 1. *de Relig.* t. 3. L. 1. c. 2. n. 2. graviter peccat is, qui postulat a Deo auxilium ad grave peccatum perpetrandum. Vide n. 420.

§. III.

De Sacrilegio.

463. *Nota*. Tò *ſacrilegium* primitus derivatum cenſetur juxta *Suar.* T. 1. *de Relig.* t. 3. L. 3. c. 1. a *ſacro* & *lego*, quod hic idem eſt, ac furari. Hinc illud *Iſidori: Sacrilegus dicitur ab eo, quod ſacra legit, id eſt furetur*. Hodie a TT. paſſim definitur: *Violatio* h. e. irreverens, & indigna *rei ſacræ* tractatio. *Res ſacra* dicitur illa, quæ publica inſtitutione, auctoritate, & ritu ad Dei cultum deputata eſt. *Suar.* l. c. n. 1. Porro ſicut univerſim tria ſunt genera rerum ſacrarum, ſcil. Perſona, locus, & res aliæ ad divinum cultum ſpecialiter ordinatæ, ita ſacrilegium eſt triplex. 1. *Perſonale*, 2. *Locale*. 3. *Reale*.

464. *Princ. I. Sacrilegium perſonale eſt* Perſonæ ſacræ violatio, ſive indigna tractatio. Poteſt autem homo duobus modis ſpecialiter & puplica auctoritate Deo dicari, & inde ſacrari, ſcil. vel per ſacram ordinationem, vel per ſtatum Religionis, vel quandam ejus participationem, qualis eſt per votum ſimplex caſtitatis, aut alium modum dedicationis ad cultum Dei perpetuum ab Eccleſia approbatum, ut ait *Suar l. c. c. 2. n. 1.* Hæc violatio ſacrilega perſonalis committitur quatuor modis: 1. Inferendo manus violentas in Clericum, vel Religioſum, injurioſe illum percutiendo, mutilando, occidendo &c. contra privilegium Canonis, *ſi quis ſuadente 17. q. 4.* ex motivo Religionis conceſſum, addita excommunicatione latæ ſententiæ. 2. Subjiciendo Perſonas Eccleſiaſticas judicio ſæculari contra privilegium Exemptionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ. 3. Ab iiſdem extra caſum publicæ neceſſitatis tributum exigendo contra eandem immunitatem a tributis, & ſervilibus oneribus. 4. Luxurioſe violando perſonam Deo per votum caſtitatis perpetuæ ſacratam; peccat autem ſacrilege tam perſona, quæ contra proprium votum peccat, quam quæ turpitudinis complex eſt. *Laym.* L. 4. *t.* 10. *c.* 7. *n.* 5. ubi *n.* 4 contra *Suar.* & *Sanch.* ait, ſi Clericus in ſacris ordinibus conſtitutus vel Religioſus utriuſque ſexus fornicetur, duplicem malitiam contrahit, unam violationis voti, alteram ſacrilegii proprie dicti, ita ut non ſufficiat in confeſſione dicere: peccavi carnaliter contra votum caſtitatis, ſed neceſſe ſit circumſtantiam Ordinis ſacri, vel religioſi voti exprimere. Secus, ſi quis peccet contra votum continentiæ privatum, nec in approbata religione emiſſum: quia ſacrilegium proprie tale eſt rei ſacræ violatio; perſona autem ſacra non efficitur niſi ex publico jure cultui divino dicata ſit, ſcil. vel ſacrum ordinem, vel per ſtatum religionis. Certum tamen eſt, quod peccans contra votum caſtitatis duplex peccatum committat, primo contra præceptum ſextum, & ſimul contra votum.

465. *Princ. II. Sacrilegium locale eſt* violatio loci ſacri, qui

ab

ab Episcopo consecratus, aut publica auctoritate Episcopi deputatus est ad publica officia divina, missas celebrandas, & sacramentorum usum. *Laym. l. c. n. 6.* ubi ex c. ult. de consec. Eccl. probat, sacrilegii crimen committi etiam ab eo, qui locum nondum consecratum, publica tamen Episcopi auctoritate ad sacra mysteria deputatum (quod fit per quamvis benedictionem aut crucis erectionem &c.) violat; quia per ejusmodi deputationem locus sacer, & a profanis usibus secretus efficitur; cujusmodi sunt Ecclesiæ, Cœmeteria, oratoria & sacella privata, si ab Episcopo benedicta sint, & ad divinum cultum perpetuo deputata. Dixi supra, *publica auctoritate*: quia oratoria, vel sacella privata non consecrata, nec benedicta inter loca sacra hic non numerantur, etsi Episcopus licentiam dederit ibi missas celebrandi; hæc enim ad nutum fundatoris in profanos usus converti possunt. Alias in ordine ad immunitatem Ecclesiasticam nomine loci sacri non tantum Ecclesia, & Cœmeterium, sed etiam monasterium, & Xenodochium auctoritate Episcopi erectum intelligitur. Si vero Xenodochia sine Episcopi auctoritate erecta sint, non censentur religiosa, & solus fundator seu patronus de eorum redditibus disponere potest. *Laym. l. c.*

466. Porro Sacrilegium, violando locum sacrum, tripliciter potest accidere: I. Violando Ecclesiæ, aut loci sacri immunitatem, scil. fores effringendo, malitiose destruendo, evertendo altaria, despoliando Ecclesiam, eo confugientes, & *legitimo* asylo gaudentes violenter extrahendo ad judicium.

467. De hoc Adverte sequentia: Asylia, seu asylum *est jus, sive privilegium, quo malefactoribus ad Ecclesias, loca sacra, & religiosa confugientibus securitas præstatur, ne inde vi extrahi possint, præsertim ad pœnam in vita aut membris irrogandam.* Finis hujus immunitatis est favor Religionis, & honoris locis sacris habendus. Subjectum, sive locus hac immunitate gaudens sunt: 1. Ecclesiæ auctoritate Episcopi destinatæ ad divina officia in iis celebranda. c. 9. de immun. Eccl. Nec opus est, ut sint consecratæ, aut benedictæ; nec, ut in illis officia divina celebrata, jam sint, nec, ut servetur ibi Eucharistia: nec refert, quod sint pollutæ, aut interdictæ, aut dirutæ, modo sine auctoritate Episcopi, & cum spe reædificationis imo & modo cœptæ ædificari, quamprimum jactus est lapis primus approbante Episcopo, in quo casu area designata erit loco Asyli. *Laym.* L. 4. t. 9. c. 3. n. 2. Imo non tantum pars interior Ecclesiæ, sed etiam exteriores gaudent jure asyli, quales sunt, Porticus, Capellæ, Parietes, Sacristia, Turris, Tectum, Cryptæ subterraneæ, Campanile, scalæ ad templum, porta manu apprehensa &c. 2. Oratoria, & Sacella publica, quæ auctoritate Episcopi ad divina officia deputata sunt perpetuo, talia censentur, quando indifferenter omnibus ad illa aditus patet pro audiendis sacris, præsertim si campanam habeant, quæ publice pulse-

tur. 3. Cœmeteria etiam ab Ecclesiis separata, modo sint Fidelium sepulturæ deputata c. 5. de Imm. Eccles. 4. Palatium Episcopi in reverentiam & decorem dignitatis Episcopalis. c. 36. caus. 17. q. 4. Testatur etiam *Mathæuccius* offic. Eccles. c. 24. n. 25. Decretum S. Congr. emanasse, quod etiam Domus Parochi gaudeat immunitate; maxime hoc verum est, si sit conjuncta Ecclesiæ. 5. Domus vel Conventus Religiosorum, & quidem quoad omnia ædificia, hortos, stabula, horrea &c. intra eundem ambitum, & murum concluſa. 6. Juxta *Diana*, & *Delb.* Domus Clericorum in communi viventium auctoritate Episcopi erecta. 7. Hospitalia auctoritate Episcopi erecta, & sacellum ad celebrandum habentia; quia quoad privilegia æquiparantur Ecclesiis. l. *omnia*. 35. Cod. de Episc. & Cler. 8. Tabernaculum S. Euchariſtiæ; hinc qui confugit ad Sacerdotem illam ferentem in platea, capi non potest; excipe, si in carcere confugeret ad sacerdotem illuc deportantem, tunc enim non gauderet. *La Croix* l. 4. n. 1392. *Pichier* in tit. 39. l. 3. Decret. n. 9. Hoc tamen in jure non exprimitur, sed habetur ex consuetudine, & communi sensu in æquitate fundato comprobatur.

Beneficio Asyli guadent 1. omnes baptizati cujuscunque conditionis & status sint in criminibus non exceptis. 2. Etiam non baptizati Judæi, & Pagani, si serio converti velint; Nam l. 2. Cod. *de his, qui ad Eccles.* excipiuntur tantum illi judæi, *qui reatu aliquo, vel debitis fatigati simulant se Christianæ legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum*. Juxta probabilem plurium apud *La Croix* l. c. 1393. quicunque non baptizati gaudent hoc privilegio, quia non est privilegium personæ, sed loci. 3. Gaudent illo suspensi, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, item excommunicati. 4. Exules, banniti, & condemnati ob crimen non exceptum, fugientes e carcere, aut e manibus satellitum, dum educuntur ad supplicium.

Octo autem crimina excepta recensent *Greg. XIV.* in Const. *cum aliis*, sequentibus verbis. *Laici ad Ecclesias confugientibus, si fuerint* 1. *publici latrones*, 2. *viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, & viatores aggrediuntur ex insidiis*. 3. *Vel depopulatores agrorum*. 4. *Quive homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cœmeteriis committere non verentur*; 5. *Qui proditione proximum suum occiderunt*, h. e. qui per insidias, & sub specie amicitiæ occidit incautum, & impotentem sibi cavere: huc pertinet juxta *Delb.* contra *Bonac.*, Mater, quæ occidit infantem, aut fœtum animatum. 6. *Aut Assassinii*, qui interveniente pacto vel pretio aliquem conducunt ad occidendum, vel qui pretio conductus occidit proximum incautum, quamvis sit infidelis. 7. *Aut hæresis*, 8. *vel læsæ Majestatis reis in persona ipsius Principis, immunitas Ecclesiastica non suffragetur*.

His

His *Benedictus XIII.* per Constit. in Conc. Romano editam Anno 1715. sequentes adhuc Asylo excludit: 1. Qui confugientibus ad locum immunem vim inferunt, aut ipsos violenter extrahunt, & abducunt. 2. Mandantes Assassinium & mercedem aliquam sive in peccunia, sive rebus aliis tradentes, aut promittentes nondum etiam secuta traditione; modo Assassinium re ipsa patratum fuerit. 3. Qui proximum animo præmeditato, & deliberato interficiunt. 4. Qui falsificant literas Apostolicas. 5. Qui tanquam Ministri Montis Pietatis, aut alterius publici telonii, aut Banci pro depositis Principum, privatarumque personarum destinati furtum, aut falsitatem in prædictis committunt, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. Qui tondent, conflant, adulterant quascunque monetas aureas, vel argenteas etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco criminis liberum habent usum & commercium. 7. Qui tales pecunias scienter ita expendere præsumunt, ut participes fraudis censeri possint. 8. Qui sub nomine curiæ se se introducunt in alienas domos, rapinas reipsa committunt cum homicidio, vel mutilatione sive domestici, sive alterius ibi commorantis. Huc pertinet etiam recens Constitutio *Bened. XIV.* de Duellantibus, quam vide in P. 2. n. 1429.

De Pœnis injuste extrahentium confugam e loco immuni observa 1. Jure civili l. 1. & 6. Cod. *de his qui ad Eccles.* in tales statuta est pœna mortis: hæc tamen usu non est recepta: ubi adhuc vigeret, haberetur inter crimina excepta a *Bened. XIII.* 2. De Jure Can. præter pœnam pecuniariam, & pœnitentiam injungendam juxta can. 20. & 21. caus. 27. q. 4. peccant graviter & incurrunt tam physice, quam moraliter per mandatum extrahentes, excommunicationem majorem ipso facto. An talis excommunicatio sit reservata S. Pontifici, vel absolutio competat Episcopo, controvertitur inter DD. Qui affirmant reservationem, nituntur tum constitutione Gregoriana, quæ statuit easdem penas & censuras, quas Bulla Cœnæ, tum praxi Curiæ Romanæ; qui vero negant, ducunt, easdem quidem pœnas & censuras statutas esse in Gregoriana, qualitatem autem censurarum, nempe reservationem, non esse expressam, in odiosis autem non debere fieri extensionem supra id, quod expressum est.

De modo extrahendi, & extradendi reum ex asylo nota sequentia: permissa cognitione judiciali, an reus gaudeat asylo, & obtenta licentia ab Episcopo, vel ejus officiali, ad quos, etsi locus exemptus sit, pertinet privative cognitio talis causæ, reus extradatur etiam renitens. Prædicta licentia juxta communem contra *Covar.* & *Pirrhing.* per se necessaria est Judici sæculari, ob clara verba constit. Gregor. non item Rectori Ecclesiæ juxta probabilem *P. Pichler* & aliorum contra *Palao*, & *Haunold.* Præterea

extraditio fieri debet in presentia Personæ Ecclesiasticæ ad id per Episcopum vel ejus Vicarium daputatæ. Ipse Rector loci immunis per se non extradat reum, sed extractionem tantum non impediat, modumque investigandi & educendi reum libere relinquat judici sæculari habenti ab Episcopo facultatem, de qua certum se faciat, ne sine licentia eum extradat. In casu injustæ extractionis factæ, ante omnia injuste extractus restituendus est Ecclesiæ, & quidem juxta *Pignatelli*, & *Reiffenst.* eidem utpote læsæ, contra *Bonac.* & *Palao*, quia Ecclesia læsa jam acquisivit jus, ut sibi satisfiat. Insuper omnes actus judiciales in taliter extractum ante restitutionem suscepti ipso jure sunt nulli, & judex injuste extrahens tenetur ad omnia damna resarcienda.

Denique adverte cum *La Croix* l. c. n. 1396. 1. peccat graviter, qui impedit reum, ne confugiat ad immunitatem, aut ex hac expellit, quia, qui immunitatem dedit loco, dedit reo jus ad illam confugiendi. Si tamen se indecenter gerat in loco sacro, aut culpa sua turbet disciplinam regularem, & monitus non emendetur, expelli poterit; *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum* reg. 61. J. in 6. 2. confugæ alendi sunt ex bonis loci immunis; poterunt tamen ab iis repeti factæ expresæ. Rectoribus loci immunis licet suadere, ut discedat confuga, maxime si fugam securam præstet. Judici autem sæculari licet custodiam militarem constituere extra locum asyli ad capiendos reos, si forte egressi velint fugere.

468. II. Sacrilegium locale committitur polluendo Ecclesiam aut Cœmeterium, quod quinque modis fieri potest. 1. Per injuriosam sanguinis effusionem *c. ult. de consec. Eccl. & c. eod. in 6.* necesse autem est, ut vulnus infligatur homini existenti in Ecclesia, non in turri, aut subtus speluncam Ecclesiæ, etsi vulnerans extra Ecclesiam existat. Item requiritur, ut factum notorium sit juris aut facti notitia. Denique ut non tantum aliquæ guttulæ v. g. ex naribus percussis eliciantur, quia *effusio* plus significat. *Laym. l. c. n.* 8. 2. Per homicidium injuriosum & notorium. 3. Per illicitam & notoriam humani seminis intra Ecclesiam effusionem, *c. ult. cit. de consec. Eccles.* sive ea fiat per voluntariam pollutionem, sive per carnalem copulam etiam conjugalem; excipe, si hæc ob urgentem necessitatem a culpa mortali excusetur, v. g. si conjuges longo tempore in Ecclesia cohabitare cogantur. *Sanch. l. 9. de Matr. d.* 15. *n. 9.* .... 4. Per sepulturam hominis excommunicati non tolerati. 5. Per sepulturam non baptizati, tametsi is infans sit. Si tamen in utero matris fidelis mortuus est, una cum matre in loco sacro sepeliri potest. *Laym. l. c.* NB. Ad tres primas violationes requiritur actio culpabilis, ad duas postremas non requiritur culpa, sed sufficit factum, scil. quod corpus excommunicati non tolerati, vel non baptizati sepultum sit in loco sacro. 6. Sacri-

crilegium locale committitur exercendo in templo actionem profanam, quæ vel ex natura sua, vel prohibitione juris repugnat sanctitati loci, *licet per eam Ecclesia non polluatur*. Talis actio est 1. cognitio sive sententia judicii sæcularis, maxime actio criminalis, *c. decet. 2. de immunit. Eccles. in 6.* Causas autem Ecclasiasticas in Ecclesia agere decens est. *c. qua fronte 25. de appellat.* Altera actio sacrilega est negotiatio & mercatura solemnis in templo, *cit. c. decet.* Christus ipse vendentes & ementes e templo ejecit *Matth. 21.* Tertio, actio sacrilega in Ecclesia sunt tripudia, clamores, & ludi profani, ut colligitur ex *c. cum decorem de vita & honest. Cleric.* Comœdiæ tamen honestæ, quæ ad pietatem movet, a loco sacro alienæ non sunt; ut habet glossa in c. cit. & *Suar. l. c. c. 6. n. 4.* Denique contra Ecclesiæ reverentiam sunt publicæ comessationes *c. non oportet. 2. dist. 42.* vide *Laym. l. c. n. 11.*

469. *Princip. III. Sacrilegium reale* est violatio rerum publica auctoritate ad cultum divinum sacratarum, & ordinatarum; sunt autem earum quatuor potissimum genera juxta *S. Th. 2. 2. q. 99. a. 3.* ubi ait: *primum & summum locum inter res sacras obtinent sacramenta*. Circa hæc sacrilegium committitur 1. ea *invalide ministrando*, scil. defectu debitæ materiæ, formæ, intentionis &c. 2. ea *indigne ministrando*: scil. in cognito statu peccati mortalis, vel in eodem statu Sacramenta vivorum suscipiendo. 3. Tangendo illicite & irreverenter Ss. Eucharistiæ sacramentum, quod juxta *Sporer l. c. n. 30.* utique est peccatum grave, secluſa necessitate; veniale vero, si secluſo contemptu, vel præcepto Ecclesiæ tangatur a laico calix, patena, ciborium, corporale, purificatorium &c. imo a veniali excusat laicos quævis necessitas ea tangendi.

Secundum locum inter res sacras tenent vasa consecrata ad sacramentorum usum & susceptionem: item altaria, ædes sacræ, Crux & imagines Christi, ac Sanctorum, eorumque Reliquiæ; quia etiam ista secundum usum Ecclesiæ æstimantur esse instrumenta cultus divini, & ideo sunt sacræ non tantum in ordine ad Sanctos, sed etiam ad Deum, ut ait *Laym. cum Suar.* Huc etiam pertinet sacrum Chrisma, oleum, aqua, & alia benedicta. Item Nomina Dei, Christi, ac Sanctorum, Ss. Evangelia, & omnis scriptura Canonica.

Tertio ad res sacras ea numerantur, quæ pertinent ad ornatum altarium, & ministrorum, quæ indigne violata ad sacrilegium spectant. *S. Th. l. c.*

Quarto *a S. Th.* inter res sacras recensentur bona omnia tam mobilia, quam immobilia, quæ deputata sunt ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, templorum fabricam, ac pauperum sustentationem. Huc pertinent pia legata, depositi in Ecclesiis, jura Ecclesiastica &c. Hæc qui inique supprimit, detinet, occupat, defraudat, qualificatam injustitiam committit, quæ

qua-

qualitas necessario in confessione explicanda est, *Laym. l. c. n.* 15. vide *c.* 4. *caus.* 17. q. 4.

470. Dictarum rerum sacrarum sacrilegium committitur 3. modis: *Primo eas indigne tractando*, scil. vasis sacris, & paramentis abutendo ad profanos usus, v. g. calice sacro ad profanas compotationes, sacræ scripturæ textibus ad jocos insulsos & illiberales, mendacia, aliave peccata, præsertim lasciviam. A mortali excusat *Sporer l. c. n.* 30. abusum S. Scripturæ ad jocum honestum inter viros prudentes v. g. si amicus amico dicat: *fede a dextris meis*. Sacrilegium grave est abuti rebus sacris ad superstitiones. *Secundo eas injuste usurpando*, quod dicitur furtum sacrilegum, hoc juxta *c. quisquis* 17. *q.* 4. *committitur auferendo sacrum de loco sacro* (v. g. calicem e templo, ciborium e tabernaculo, quod juxta *Sporer l. c. n.* 31. contra alios continet duplicem malitiam tum propter violationem rei, tum loci sacri) *Vel non sacrum de sacro*, scil. auferendo res in templo depositas, & in ejus fidem, atque immunitatem susceptas sub speciali custodia, imo etiam per accidens ibi existentes juxta probabiliorem sententiam, ut ait *Laym. l. c. n.* 18. *Sporer l. c.* contra *Victoriam*, Sotum, Lessium & alios, juxta quos crumenam alicui abscindere in templo est tantum furtum simplex; eo quod non violetur per hoc specialiter locus sacer, sed tantum generaliter, sicut per quodvis aliud peccatum. *Vel sacrum de non sacro* (auferendo v. g. calicem ex privato oratorio, cista domestica &c.) Juxta *Laym.* tales quidem fures mitius puniuntur in foro externo, in foro tamen interno verum committunt sacrilegium.

471. *Principium IV.* Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale. Ita *Reiffenst. t.* 5. *de Relig. dist.* 3. *q.* 2. *n.* 14. *cum Communi*. Neque (ut ait *Laym. l. c. a.* 14.) necesse est ad sacrilegii crimen, ut quis directe intendat, res sacras inhonorare, quod proprium est Hæreticorum, sed sufficit quævis indigna earum usurpatio & tractatio, si advertenter & satis deliberate ob quemvis alium finem sive utilitatem fiat: directa quidem inhonoratio semper est peccatum grave; virtualis autem tum ob imperfectionem actus, tum ob materiæ levitatem potest esse veniale peccatum. *Laym. l. c. cum Valent. Suarez & Comm.*

Casus I.

Abdias Subdiaconus sæpe delectatur turpibus cogitationibus, motibus obscœnis &c. non reputans hæc peccata continere duplicem malitiam, ideoque nunquam in confessione addit, quod sit in majore ordine constitutus. Idem tum se, tum Sacerdotes, aliosque sæpius plene inebriat.

472. *Q.* I. An prædictæ delectationes venereæ sint sacrilegia? R. *Affirm.* quia quidquid in sæcularibus extra conjugium est pec-

peccatum contra castitatem, id in Religiosis, in iis, qui uno vel pluribus majoribus ordinibus initiati sunt, est duplex peccatum, ita ut malitia sacrilegii sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis, directe enim quodlibet horum peccatorum repugnat dignitati talis personæ in ea ratione, sub qua Deo specialiter dedicatur, & sacratur: hinc ordines majores ob votum castitatis annexum dicuntur. ordines Sacri. *Reiffenst. l. c. n.* 15. *cum Syl. Less. & Laym.*

473. *Q.* II. An omne peccatum a Persona sacra, vel in personam sacram commissum sit proprie ac formaliter sacrilegium? R. *Negative*. Quia non omnia directe repugnant speciali ejus sanctitati, sicut peccata contra castitatem, & percussio gravis ac injuriosa, juxta constitutionem Ecclesiæ. *Herincx Disp. 8. de Relig. q. 2. n. 12.* ideoque Abdias, se, aliosque plene inebriando non commisit sacrilegium, quamvis juxta *n. 328. & seq.* graviter peccaverit contra temperantiam, & simul peccato scandali.

474. *Q.* III. An sit sacrilegium percutere illum, qui prima Tonsura tantum initiatus est? R. *Affirm.* quia per primam Tonsuram quis consecratur publica auctoritate Deo, & eximitur a statu sæculari, ac proinde gaudet privilegio Canonis, si tamen gerat habitum & tonsuram Clericalem. Non peccant parentes, & præceptores, qui justa de causa castigant juvenes prima tonsura initiatos, quia id non contingit suadente diabolo. Pariter pueri prima tonsura initiati dum se invicem pugnis cædunt, plerumque non committunt sacrilegium grave, quia illa percussio non est gravis in se, nec respectu personæ, quæ inde non censetur graviter inhonorata. *Vide dicta n. 312.*

Casus II.

Abdon dum in Cœmeterio prope templum venales habet varias merces, furem argenteorum numismatum, & rosariorum deprehendit, fugientem extra cœmeterium lethaliter vulnerat; fur undique sanguine madens fugit ad templum, ibique moritur.

475. *Q.* I. An sit gravis irreverentia loci sacri res venales exponere in Cœmeterio? R. 1. Si res vendendæ ad populi devotionem serviant v. g. rosaria, cerei &c. non committitur irreverentia; hinc ejusmodi venditio tanquam honesta consuetudo quibusdam in locis toleratur; quamvis præstaret, omnem mercaturam extra locum sacrum fieri; imo nunquam permittenda est, si non sine magno strepitu, tumultu, atque turbatione divini servitii propter Ecclesiam exerceri soleat. *Laym. l. c. n. 9.* Maxime cavendum, ne vendantur superstitiosæ oratiunculæ, libelli suspecti; arcendi etiam sunt non tantum a locis sacris, sed ab ipso foro clamosi cantores, qui miracula vel ficta, vel non satis approbata carminibus ineptis descripta decantant, & in vulgus spargunt; quia hæc maxime cedunt in contemptum religionis catholicæ.

R. 2.

R. 2. Cum *Laym.* in Cœmeterio officinam aliarum rerum de se honestarum constituere, saltem est peccatum veniale, quia non videtur esse gravis irreverentia.

476. *Q.* II. An per hoc templum fuerit pollutum, quod fur ex vulnere inflicto in templo mortuus sit? Respondet *Laym. l. 5. t. 5. c. 5. n. 8. Negative*; quia ad hoc, ut polluatur templum, necesse est, ut percussio fiat in templo. Ubi addit, quod tum quoque polluatur templum, quando homicidium etiam sine sanguinis effusione committitur intra Ecclesiam v. g. per strangulationem; quia *c. proposuisti* L. 3. *tit.* 40. item *c. si motum dist.* 1. *de Consecr.* generaliter de homicidio fit sermo.

Casus III.

Alanus Parochus fontem baptismalem ex supina negligentia ab immunditiis longe tempore custodit, laceras Albas, Casulas, & sacra vasa fracta refici non curat, purificatoria & corporalia sordibus obducta ad sacrificium Missæ adhibet. De gravi & sacrilega irreverentia admonitus, respondet, hæc tantum esse levia peccata omissionis, non vero commissionis, ideoque nec inter sacrilegia numeranda.

477. *Q.* An recte senserit Alanus? R. pessime sensit: quamvis enim plerumque sacrilegium sit peccatum commissionis, in dictis tamen casibus vere est peccatum ommissionis, quia omissio debitæ curæ non minus cedit in irreverentiam gravem rerum sacrarum, quam quævis alia indigna tractatio earundem. Ita *Laym.* L. 4. *t.* 10. *c.* 7. *n.* 14. *cum Suarez.* Vide *c. relinqui noluimus.* L. 3. *Decr. tit.* 44. *de custod. Euchar.* ubi energice ita habetur: *Sunt & alii, qui non solum Ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa Ministerii, & vestimenta Ministrorum, ac pallas altaris, nec non ipsa corporalia tam immunda reliquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori . . .* sub finem additur: *Præcipimus, ut oratoria, vasa, corporalia & vestimenta prædicta munda, & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.*

Articulus III.

De Simonia.

Ad sacrilegium reale pertinet Simonia, ut probat *Suarez T. 3. de Relig. L. 3. c. 1.* Fuse hæc materia agitur in Jure Can. Nos hic breviter de ea agemus.

§. I.

Quid & quotuplex sit Simonia?

479. Prenotandum I. *Simonia* (quod nomen trahitur a Simone Mago, de quo Act. 8. legitur: *Pecuniam Apostolis obtulit dicens:*

dicens: date & mihi hanc potestatem, ut, cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum S.) definitur *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Suar. l. c. n. 9. cum S. Th. 2. 2. q. 100. a. 1.* quam definitionem *S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 5. §. 1.* sic explicat: studiosa dicitur, id est, deliberata: nam sola deliberatione rationis potest committi istud peccatum; sed non punitur judicio Ecclesiæ, nisi procedat ad extra.... Nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus.

379. II. Simonia 1. alia est *juris divini*, vel *naturalis*, quæ prohibetur jure divino propter intrinsecam suam malitiam, quando scilicet pro temporali datur res proprie, & in se spiritualis, ut gratia sanctificans, Sacramenta, consecrata Hostia, sacri Ordines, Ss. Reliquiæ &c. Alia est *juris Ecclesiastici*, quæ non intrinsece, sed tantum ideo mala est, quia ab Ecclesia prohibita.

480. 2. Simonia utraque iterum triplex est, *Mentalis*, *Conventionalis*, & *Realis*: *Mentalis* non est propositum tantum internum, sed actio externa facta ex intentione Simoniaca, exterius tamen non manifestata, v. g. si quis alteri exhibeat temporale, ut eum ad spirituale reddendum tacite obliget, vel si spirituale conferat, ut alium obliget ad temporale, vel qui temporale dat, quasi id debeat ex justitia pro spirituali, vel vice versa, ita tamen, ut pactum expressum nec intercedat, nec antea interceserit. *Laym.* L. 4. *T.* 10. *C. ult.* §. *VI. n.* 67. *Conventionalis* est pactio Simoniaca expressa, sed necdum executioni data; quando ex neutra parte traditio facta est, dicitur *pure conventionalis*; si tantum ex parte unius, dicitur *mixta*, v. g. si beneficium collatum sit, non tamen traditum pretium. *Realis* est pactio Simoniaca ex utraque parte completa tum per traditionem rei spiritualis, tum pretii temporalis.

481. 3. Ex Jure Ecclesiastico alia est simonia *Confidentialis*, quæ committitur, si quis propria auctoritate, & absque expresso Pontificis consensu beneficium sive simplex, sive curatum alteri quocunque modo procuret eligendo, præsentando, confirmando, instituendo, resignando cum certa confidentia, h. e. expresso vel tacito pacto, ut is, cui procuratur, idem beneficium ipsi procuranti, vel alteri resignet, aut pensionem vel fructus ex eo præstet. Vide *Laym. l. c.* §. 8. Hæc specialis simonia a Pio IV. in Bulla *Romanum Pontificem*, & a Pio V. in Bulla, quæ incipit: *Intolerabilis*, ut perniciosissima damnata est.

§. II.

Principia generalia de Simonia.

482. *Principium I.* Ad peccatum simoniæ requiritur 1., ut materia sit spiritualis vel spirituali annexa. 2. Ut pretium,

vel

vel quasi pretium sit temporale excepta simonia confidentiali). 3. Emptio vel venditio, quibus verbis intelligitur quodlibet pactum, vel contractus non mere gratuitus.

483. *Q.* I. Quid intelligatur nomine materiæ spiritualis, quæ est objectum, circa quod simonia versatur? R. Intelligitur id omne, quod vel ex se, aut ex institutione Dei vel Ecclesiæ ad animæ salutem, & ordinem bonorum supernaturalium spectat. Alia quidem sunt *spiritualia in se*, *& formaliter*, ut gratia sanctificans, dona Spiritus S. character sacramentalis &c. Alia *causaliter*, quæ sunt causæ donorum supernaturalium; ut Sacramenta, & Sacramentalia, v. g. Benedictiones nuptiarum, aquæ, olei &c. Consecratio Ecclesiæ, Altaris, Calicis &c. Item Officia ecclesiastica, & divina, & functiones sacræ, orationes tum publicæ, tum privatæ &c. Alia *effective*, quæ tanquam effectus procedunt a causa, vel potestate spirituali, ut patratio miraculi, collatio Baptismi, Confirmationis, Ordinum &c. Vide *Laym. l. c.* §. 4.

484. *Q.* II. Quid intelligatur per annexum rei spirituali, quod pariter est objectum sive materia simoniæ? R. Tripliciter potest aliquid esse annexum: 1. *antecedenter*, ut jus patronatus, electio, præsentatio, collatio, quæ præsupponuntur, & ordinantur ad beneficia, & officia ecclesiastica. 2. Annexum *concomitanter*, quod scil. intrinsece conjunctum est cum re spirituali, ut est labor corporalis in administratione Sacramentorum, in sacrificando &c. 3. Annexum *consequenter*, quod tanquam causam aliquid spirituale præsupponit; sic jus percipiendi reditus ecclesiasticos, decimas, jura stolæ &c. præsupponit officium ecclesiasticum tanquam radicem. Vide *P. Engel de simon. P. Laym.* l. c.

485. *Q.* III. Quid intelligatur per pretium in ordine ad committendam simoniam? R. communiter vocatur munus, quod juxta *S. Th.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 5. & c. *sunt nonnulli* 1. *q.* 1. dividitur in munus a manu, munus a lingua, & munus ab obsequio: per munus autem hic non intelligitur donum liberale, ac mere gratuitum, sed debitum justitiæ commutativæ, inducens gravamen aliquod ac onus. *Laym. l. c.* §. 3. *n.* 25. Per *munus a manu* intelligitur non tantum pecunia, aurum, argentum, vestes & similia, quæ emi, aut vendi solent, sive sint mobilia, sive immobilia, sed etiam quælibet res temporalis prætio æstimabilis, item remissio debiti, promissio remittendi, solutionis dilatio, mutui datio, *Laym.* l. c. imo & anticipata solutio juxta *Spor.* hic *n.* 43. ut si quis alteri conferat beneficium cum pacto vel conditione, ut remittat debitum, c. *veniens* 10. *de testib. Munus a lingua* dicitur laus, commendatio, patrocinium pro aliquo interponendum vi pacti expressi vel taciti, ut res spiritualis conferatur, vel viciſſim, v. g. si quis paciscatur ita: commendabo te

apud

apud Principem, si ecclesiasticum beneficium mihi conferas. *Laym. l. c. n. 26.* Per *munus ab obsequio* intelliguntur quæcunque obsequia alicui præstita vel præstanda sub obligatione conferendi beneficium ecclesiasticum, vel aliam rem spiritualem. *S. Th. l. c. Laym.* hic addit, simoniam non esse, gratis alicui servire cum spe, ut in obsequiorum remunerationem ad ecclesiasticum beneficium quis præsentetur, aut instituatur: Neque ab Episcopo, aut patrono simoniam committi, si ob talium remunerationem, vel ob perfectam hominis industriam, jus aliquod spiritualis beneficii conferat.

486. *Q.* IV. Quale pactum requiratur ad hoc, ut committatur simonia? R. Requiritur expressum vel saltem tacitum, h. e. deliberata voluntas obligandi alterum ad spirituale dandum pro temporali; aut vicissim. Id quod Lessius de simon. dub. 6. bene explicat his verbis: *Non tantum fit verbis expressis, & directis, sed etiam obscuris & obliquis, interdum nutibus, vel sola pretii oblatione in speciem donationis, tamen ex circumstantiis adverti potest.* Quod si vero ex alio titulo vel motivo v. g. ex gratitudine pure naturali aliquid promittatur, aut pro accepto beneficio detur aliquid temporale, non est simonia. Frequentissime tamen titulo gratitudinis palliatur tantum, & committitur vera simonia, quia intercedit pactum saltem implicitum, dum partes expresse quidem non contrahunt; ex circumstantiis tamen satis colligitur, quod dans spirituale velit obligare ad retribuendum temporale; uti contingit per sequentes formulas: ero tibi gratus, gratias reales referam, ero tibi obstrictus, si conferas hoc vel illud Beneficium. Sed his vel similibus terminis latet simonia 1.; si per eos exprimatur intentio se aut alterum obligandi ad dandum spirituale pro temporali, & vicissim. 2. Si promittatur, detur, vel accipiatur temporale tanquam proportionata compensatio rei spiritualis, & non in signum puræ gratitudinis antidoralis, 3. Si promittatur, vel detur temporale pro spirituali, aut vicissim, non quidem ut pretium, sed ut motivum dandi spirituale. Vide *Prop. 45. ab Innoc. XI.* damn. item c. 18. & 39. *de simon.* Vide etiam *Prop. 22. ab Alex. VII.* damn.

487. *Princ. II.* Simonia ex genere suo est peccatum mortale *Reiffenst.* hic n. 21. vocat certam omnium. Patet 1. ex illis verbis Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* 2. Ex SS. Canonibus, ubi appellatur simonia execrabile vitium, turpissimum, lucrum, simoniaca pestis, hæresis &c. Vide c. *reperiuntur* & c. *quicunque*, C. 1. q. 1. Malitia hujus vitii consistit in eo juxta *Herzig. P. 2. n. 183.* quod res sacra & spiritualis ita vilipendatur, ut censeatur hominum arbitrio subjecta, nec pluris æstimanda, quam temporale. Addit *Babenst. de simon. n. 39.* gravissime injuriosum

Deo

Deo esse hoc vitium, ut speciali authori rerum sacrarum & spiritualium. Neque in isto vitio excusat parvitas materiæ, quia rem quamcumque spiritualem æquiparare temporali, est eam ordinare ad rem longo ordine inferiorem. Hinc tantum ob inconsiderationem, vel ignorantiam facti vel juris leviter culpabilem simonia veniale peccatum est. *Filliuc. tr. 45. c. 13. n. 13.*

488. *Princ. III.* Pœnæ ab Ecclesia in simoniam *realem* statutæ sunt sequentes. 1. Ob simoniacam collationem, & susceptionem Ordinum ipso facto incurrit excommunicatio Papæ reservata (*juxta extravag. cum detestabile 2. de Simonia inter commun.*) Præterea ordinans per triennium suspenditur a collatione quorumcunque ordinum, & ab exercitio munerum Pontificalium juxta *c. si quis ordinaverit 45. de Simonia*. Ordinatus autem tam ab ordinibus receptis, quam recipiendis suspenditur *c. si quis 8. l. q. 1.* item *c. per tuas 37. de simonia*. Ex his *Fr. Schmier L. 5. t. 2. C. 1. n. 235.* advertit, hac ipsa suspensione denotari, ordines simoniace susceptos esse validos; item si non ipsemet ordinatus, sed ipso ignorante alius pretium ordinanti dederit, nullam ab ordinato censuram incurri tum quoad ordines receptos juxta *c. simoniace. 22.* tum quoad recipiendos ex paritate rationis. Ita sentiunt *Less. Suar. Henriq.* contra *Sylvest.* Confirmat *P. Laym.* hic n. 71. quotiescunque suspensio in jure fertur, censenda est propter culpam imposita, nisi contrarium expresse significetur: atqui in ejusmodi ignorante nulla supponitur culpa; ergo. Aliud est circa beneficia, ut infra dicetur. Denique nomine Ordinum *Laym.* etiam hic intelligit primam Tonsuram.

489. 2. Quando simonia realis committitur circa ingressum in Religionem, dantes, & recipientes, si personæ sint singulares, excommunicationem S. Pontifici reservatam ipso facto incurrunt (juxta *Extravag. 1. de simon.*) hæc tamen excommunicatio raro incurritur, tum quia *Lessius* affirmat, istam extravag. Urbani IV. non esse receptam, tum quia varii tituli sunt, qui in tali casu excusant a simonia, ut in resol. cas. videbimus. Conventus autem vel Capitulum qua tale, si temporale pro ingressu recipiat, incurrit ipso jure loco excommunicationis suspensionem ab officio, & illius executione quoad actus capitulares, & jurisdictionales. Ut probat *Fr. Schmier l. c. n. 219.* ex c. *veniens 19. de simon.* cum *Suar. Pirrhing, Konig.* Denique simoniace professus redditur inhabilis ad manendum in illo monasterio, quamvis ipsa professio ex se valida sit, ut probat *Suar. de simon. c. 57. n. 7.* hinc obligatur, ut vadat ad aliud sui ordinis monasterium c. *veniens 19. c. de regularibus 25. c. quoniam 40. de simon.* juxta *Suar. l. c. n. 8.* nihilominus potest tam diu in suo monasterio persistere, donec per sententiam expellatur.

490. 3. Quando committitur simonia realis in collatione, præ-

præsentatione, institutione, electione, postulatione, vel alia quacumque provisione in dignitatibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis 1. tam conferens, quam obtinens, & omnis quomodocunque concurrens ad simoniam (ut ait *Fr. Schmier l. c. n.* 228.) incurrit excommunicationem S. Pontifici reservatam juxta *Extravag. cum detestabile* 2. .... 2. collatio, & provisio ipso jure est nulla, ideoque provisus sibi nullum jus acquirit, nec fructus lucratur, nec facit suos, & tenetur restituere jam perceptos, ipsumque beneficium dimittere, etiamsi crimen sit occultum, ut ait *Jansen.* hic n. 25. vide *cit. Extravag.* Pauli II. addit *Schmier l. c. n.* 231. cum *P. Friderich*, quod in hoc casu nequidem suffragetur triennalis possessio ex regula Cancellariæ de triennali possessore. Si vero talis adhuc alia beneficia habeat, quæ legitima via absque simonia obtinuit, tunc iis non privatur ipso jure, sed per sententiam judicis, nec ante hanc fit inhabilis ad alia. Vide *Suar. de simon. c.* 58. *n.* 6. Porro communior & probabilior est sententia contra *Fagnanum*, quod provisio tunc etiam sit invalida, quando non ipse beneficiatus, sed ipso nesciente alius quidam coemit suffragia pro beneficio electivo, aut collatorem pecunia corrupit (nisi ab alio ex odio, vel inique id contigisset) uti probat *Laym.* ex c. *ex insinuatione* 26. *c. sicut tuis* 33. §. *quamvis*. Item ex c. *si alicujus* 59. *de elect.* ubi excipitur: si beneficium simplex sit, & provisio ignorante, ac ratum non habente, simonia ab aliis commissa sit; post liberam resignationem Episcopum dispensare posse, quæ exceptio firmat regulam.

491. *Dixi* hucusque *simonia realis*: nulla enim pœna juris incurritur, 1. propter simoniam mentalem, quamvis per hanc graviter peccetur, si sufficienter deliberata sit; ut constat ex c. *sicut tuis*. 33. sub finem. c. *tua nos*. 34. c. ult. *de simon. Fr. Schmier*, *n.* 246. *de simon.* vocat hanc receptissimam sententiam. 2. Neque propter alias simonias reales, quam propter tres dictas, quæ scil. committuntur *circa collationem & susceptionem Ordinum*, *circa provisionem beneficiorum & circa ingressum in religionem*, quamvis etiam per alias reales simonias deliberate commissas graviter peccetur, & quidem peccato sacrilegii. 3. Nec propter simoniam fictam, quando quis ficte absque animo se obligandi vel implendi promittit temporale pro spirituali, vel contra; sicut enim hæc non est vera simonia, ita nec inducit pœnas. Ita *Jansen. caf. 66. q.* 12. *n.* 6. Nihilominus ficte promittens peccat graviter, & committit mendacium sacrilegum, habeturque in foro externo pro vero Simone, donec fictionem probet. 4. Neque ob Simoniam pure conventionalem (nisi conjuncta sit confidentialis) incurritur pœna, & censura juris ut communis tenet cum *Suar. de Sim. c.* 55. *num.* 12. 5. Neque propter mixtam, quæ completa tantum est traditione rei tem-

poralis, ut ait *Laym.* hic n. 68. cum consensu DD. Ratio *Suaresii de Simon. c. 55. n. 16.* est, tum quia Canones semper requirunt traditionem rei spiritualis, tum quia non est satis completa irreverentia, donec res spiritualis tradita sit. Econtra sententia valde probabilis est, quæ affirmat, quod illa conventionalis subjaceat pœnis juris, quæ completa est traditione rei spiritualis, quamvis nondum soluto pretio temporali. Ita sentiunt *Cajet. Sotus, Tolet. Nicol. Garzias.* Contrariam tamen sententiam *Laym.* vocat in praxi tutam ex eo, quod pœnæ præsertim tam graves debeant esse strictæ interpretationis. Vide utrumque *Nav. Binsfeld, Covarr.* & *alios.*

492. 4. Pœnæ Simoniæ confidentialis sunt 1. Episcopi & alii Prælati superiores incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, inferiores autem pœnam Excommunicationis S. Pontifici reservatæ. 2. Resignatio vel collatio beneficii per Simoniam confidentialem irrita est, & provisus evadit inhabilis ad idem beneficium postea possidendum. 3. Inducitur privatio omnium beneficiorum, ac pensionum prius obtentarum, non tamen exequenda a reo, nisi post Judicis sententiam. 4. Beneficia in confidentiam collata & accepta Sedi Apostolicæ reservantur, ita ut ab inferioribus conferri non possint; fructus etiam male interim percepti Cameræ Apostolicæ applicari debent. Vide *Laym.* l. c. a n. 76. ex *mot. prop. Pii IV.* & *Pii V. n.* 481. citatis.

Adverte cum *Laym. n.* 78. ad pœnas istas incurrendas necessarium esse, ut Simonia confidentialis opere impleta sit de dato, & accepto beneficio, licet accipiens vicissim suam promissionem non impleverit. Denique Excommunicatio etiam incurritur a Mediatoribus Simoniæ confidentialis, quando ab utraque parte tam accipientis, quam dantis completa est. *Suarez* hic C. 43. *n.* 15.

493. *Principium IV.* A Simonia reali, & confidentiali, & excommunicatione per eam incursa *per se* loquendo, absolvere potest solus S. Pontifex juxta *extravag.* 1. & 2. *de Simon.* Si tamen delictum non sit publicum, nec ad forum contentiosum deductum, potest etiam absolvere Episcopus *Trid. Sess.* 24. *C.* 6. *de reform.* Possunt etiam Religiosi Mendicantes, ac cum iis participantes, sed non nisi pro foro conscientiæ, si Simonia non sit publica. *Palao de Simon. punct. fin. n.* 2. Juxta *Reiffenst. in* L. 5. *Decret. n.* 334. Nullus præter Papam potest absolvere ab excommunicatione, suspensione, interdicto, vel aliis pœnis, quæ ob Simoniam in susceptione, & collatione Ordinum incurruntur, etiamsi Simonia sit occulta, ut probatur ex Bulla Sixti V. *Sanctum & salutare.* A Simoniis aliis v. g. mentali, conventionali, & reali (exceptis supra dictis *n.* 488. 489. 490. & 492.) absolvere potest quivis Confessarius approbatus. *Herzig p.* 2. *n.* 201.

2. Si beneficiatus invincibiliter ignoraverit, beneficium simplex

plex Simoniace a se fuisse obtentum, dispensare potest Episcopus, ut illud, postquam libere resignavit, retineat, vel potius de novo acquirat, ut colligitur ex *c. penult. de Elect.* Si vero sit curatum, dignitas, vel Prælatura, non potest dispensante Episcopo illud retinere, nisi postquam collatum alteri, denuo vacaverit, ex supposito tamen, quod electio, vel collatio per sententiam fuerit reprobata: vide *Reiffenst l. c. n. 337.* secus, si necdum sit publice reprobata.

3. Si quis sciens vel consentiens beneficium Simoniace obtinuerit, Episcopus nec pro foro in-nec externo dispensare potest, ut illud retineat, etiamsi Simonia sit occulta. *Janssen. n. 37. de Sim.*

4. Si Simonia sit publica, ideoque necessaria dispensatio, pro foro externo recurrendum est ad Datariam Apostolicam, & supplicatio consignari supremo Datario; præter causas impetrandi dispensationem (inter quas præcipuæ sunt scandalum in dimissione beneficii, & Paupertas Supplicantis) exprimendi sunt fructus ex beneficio percepti. *Reiffenst. l. c. n. 343.* Si vero Simonia sit occulta, & consequenter dispensatio petenda sit pro foro interno, supplicare debet S. Pœnitentiariæ, inscribendo supplicam Cardinali summo Pœnitentiario. Vide *Reiffenst. ibid. num. 344.*

494. *Princip. V.* Circa restitutionem rei Simoniace acceptæ observandum est. 1. Excepto beneficio *Nihil Spirituale Simoniace* acceptum est restituendum; quia cætera vel non possunt restitui, vel non debent ante sententiam Judicis, eoquod Canones tantum mandent restitutionem beneficii. Ita *Reiffenst. de Simon. n. 286. cum Suar. de Simon. C. 59. a n. 28. contra alios.*

2. Pretium temporale pro re mere spirituali, quæ non habet annexum commodum temporale, ex jure naturali debet restitui ante sententiam Judicis, nisi alter sponte remittat; quia res mere spirituales v. g. Sacramenta, Consecratio, Benedictio non sunt pretio æstimabiles, nec vendibiles; & Ministri Ecclesiæ non sunt Domini, sed Ministri ejusmodi rerum; ergo pro his rebus non suis non possunt juste accipere, & retinere pretium temporale. *Laym. de Simon. n. 79.*

3. Si vendatur Simoniace res non mere spiritualis, sed quæ habet conjunctum jus, aut commodum temporale, v. g. calix consecratus, castrum, cui annexum est jus patronatus, h. e. jus nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans; tunc pretium, quod accipitur pro auro vel argento vel alia materia calicis, aut pro fundo, retineri potest. Vide *Suar. de Simon. C. 59. n. 42. Laym. l. c. n. 82. & 83. Ratio est*, quia licet talis venditio Simoniaca sit, injusta tamen non est, si temporale commodum, quod in alterius gratiam dimittitur, justo pretio compensetur.

4. Licet Beneficium Ecclesiasticum non sit mere spirituale, sed conjunctum habeat commodum temporale, pretium tamen pro eo acceptum ex jure positivo debet restitui, juxta c. *de hoc* 11. *de Simon.* At cui restituendum? R. Juxta communiorem restituendum est, non danti, sed Ecclesiæ illi, in cujus injuriam Simonia commissa, sive in qua est Beneficium Simoniace collatum: Ita S. *Th.* 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *ad* 2. & *q.* 100. *a.* 6. *ad* 4. *Suar. de Simon. C.* 60. *n.* 8. probat ex cit. c. *de loc.* Juxta alios licet dare pauperibus, ubi consuetudo viget, ut ait *Laym. l. c. n.* 82. Denique quidam probabiliter defendunt cum Sà. v. *Simonia*, ante Judicis sententiam restituendum esse ei, qui dedit, eo quod nulla lex Ecclesiastica diserte præcipiat, Ecclesiæ restituendum esse ante sententiam. Vide *Laym. l. c.* Si vero pactum rescissum sit ante collationem beneficii, debet pretium restitui illi, qui dedit, quia ob Simoniam non completam pœnas non incurrit; ergo nec privandus est suo pretio. Quod autem contra justitiam agat, qui non gratis confert beneficium Ecclesiasticum, etsi conferens illud pecunia interveniente non exigat illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod alteri conferre non tenebatur, patet ex propos. 22. damnata ab *Alex. VII.* Unde recte infert *Suar.* l. 4. de Simon. c. 59. quod beneficia sic conferens Simoniace agat, quia beneficium revera vendit, etsi id se vendere non dicat. Vide *Viva* hic n. 5.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Bartholomæus Curatus ad urgendam admissionem Barbaræ Neptis suæ ad Parthenonem offert Priorissæ pinguem summam pecuniæ, insuper Monialibus Senioribus præbet varia munuscula, ut Barbaræ faveant, quæ vicissim eam adhuc magis alliciunt ad suum monasterium variis munusculis. Bartholomæus interim ut paratam habeat promissam pecuniam, jura stolæ accuratissime, imo a ditioribus pro sepultura, pro Missis legendis & cæteris sacris functionibus plus solito exigit.

495. *Q.* I. An *Bartholomæus* Simoniam commiserit offerendo pecuniam pro admissione ad ordinem Religiosum. R. *Affirm.* Per se loquendo, si se obligaverit ad dandam pecuniam pro ipsa admissione vel ingressu religionis, quia hæc esset commutatio Religionis, quæ est res sacra, cum re temporali. Patet ex c. *non satis* 8. h. t. Si vero sine obligatione, ac sponte pecuniam obtulerit, non peccavit. *Laym. n.* 70. *de Sim.* Nec est Simonia, dum Superiores vel Priorissæ aliquid exigunt titulo dotis vel sustentationis, aut pro oneribus temporalibus sustinendis a domo Religiosa in gratiam supplicantis; uti concessit Clemens VII. & Innocentius VIII. declaravit teste *Tamb. de jur. Abbatiss. d.* 5. *q.* 2. & 3. quod Mo-

Moniales in receptione ingredientium non committant Simoniam, nisi paciscendo, vel exigendo temporale pro ipso ingressu, vel recipiendo inhabilem, spe habendi temporalia. Addit *Pellizarius t.* 10. *c.* 3. *n.* 401. In religione considerandum esse Statum Religionis, & onus alendi susceptum, sicut igitur de dote pro sponsa terreni sponsi quamvis divitis ob onera matrimonii paciscí licet, sic etiam de dote pro sponsa Christi. *Reiffenst. l. c. n.* 163. idem sentit de monasteriis non sufficienter fundatis: at *n.* 172. id absolute negat de monasteriis sive Virorum sive Mulierum opulentis vel habentibus sufficientes reditus pro honesta sustentatione, cui sententiæ favent canones, & graves rationes: sola vero repugnat consuetudo, & benigna (sæpius laxa) canonum interpretatio; addunt & alii prudentem excusationem, quod iniquis hisce temporibus valde minuantur primæ fundationes; unde, ne penitus corruant, aliunde succurrendum est. Attendant autem Superiores, & Superiorissæ, an & quando divitiæ sint causa tantum impulsiva, an vero motiva, & principalis admittendi Baudelium potius, quam Bassianum, Bibianam præ Barbara.

496. *Q.* II. An Bartholomæus Simoniace egerit dando munuscula Monialibus? R. *Neg.* quia videtur tantum eas voluisse reddere benevolas nepti suæ, non vero obligare Simoniace. Multo minus peccarunt Moniales munusculis magis alliciendo Barbaram, quia hoc non est velle obligare ad rem spiritualem pro temporali.

497. *Q.* III. An Bartholomæus peccaverit quoad secundum? R. exigendo jura stolæ, quæ vel jure Ecclesiastico, vel consuetudine Diœcesana, aut legitime præscripta parochiani dare debent non peccavit; nisi forte cum scandalo exegerit violente a pauperibus, vel si absolute prius noluerit baptizare, sepelire &c. quam solvantur jura. Vide c. *in tantum* 36. c. *audivimus* 41. *h. t.* Quando plus pro sacris functionibus exegit, quam consuetudine, aut Episcopi approbatione taxatum fuit, Simoniam commisit, item si exegisset pro iis functionibus sacris, pro quibus juxta consuetudinem & ordinarii voluntatem nihil solet dari, quia in his casibus defuisset omnis justus titulus exigendi temporale. Vide *Reiffenst. l. c. n.* 194. & 196. & *seq.*

498. *Q.* IV. Quibus titulis licitum sit dare, aut accipere aliquid pro functionibus sacris v. g. pro sacrificio Missæ, precibus, concione, administratione Sacramentorum, & aliis? R. 1. Pro *labore* functioni sacræ *intrinseco*, & sine quo ministerium sacrum absolute fieri non potest v. g. pro verborum pronuntiatione, oblatione Panis & Vini &c. in sacrificio missæ, Simoniacum est, aliquid dare, vel exigere; quia hic labor intrinsecus ab ipsa actione sacra non distinguitur, sed cum ipsa unum opus efficit, ac totus sacer est. De hoc vide *Can. si quis objecerit* 7. *Cauſ.* 1. *q.* 3. Licitum vero est acceptare & exigere temporale pro *labore functioni sacræ extrinseco*, & per accidens tantum

conjuncto, scil. sine quo ministerium sive functio spiritualis in se adhuc fieri potest; sic absque Simonia, & licite exigitur aliquid pro itinere, quod sacerdos deberet conficere ad legendum in loco distante sacrum, item pro extraordinaria incommoditate, damno emergente, aut alio licito lucro cessante, dummodo plus non exigatur, quam juxta prudentum æstimationem talis labor extrinsecus NB. *aliunde non debitus* valet. *Ratio est:* quia hoc ipso, quod hic labor per accidens tantum conjunctus sit cum re spirituali v. g. cantus cum Missa, non perdit per hanc conjunctionem valorem suum, quem ex se habet tanquam quid temporale: ergo etiam pro eo potest exigi aliud temporale. Vide *Reiffenst. l. c. n.* 305. Rk. 2. Licet aliquid dare vel acceptare gratis sine ullo pacto ex-vel implicito. Rk. 3. Licet pro functionibus sacris dare vel recipere aliquid temporale titulo stipendii h. est, justæ & congruæ sustentationis; Quia hoc sensu pretium temporale non datur, ut commensuratum functioni sacræ, sed tantum ut quid jure divino, & naturali debitum Personæ ministranti spiritualia, ad necessariam & honestam illius sustentationem: *dignus est enim operarius mercede sua* Luc. 10. Item: *qui altari deserviunt, cum altari participant* 1. Cor 9. 19. vide *Can. ex his* 22. *Caus.* 12. *q.* 1.

Casus II.

Bachides se accusat in genere, quod commiserit Simoniam: quærit Confessarius: In quo genere? respondet confitens, quod non sit necesse, ulterius quærere, eo quod habeat causam excusantem a Simonia, seque accusarit tantum ex scrupulo, quem extra confessionem promittit proxime se explicaturum: ac proinde pergit alia peccata exponere.

499. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si pœnitens in genere se accuset de Simonia: Item an Confessarius debuerit acquiescere excusationi Bachidis? Rk. *ad* 1. inquirendum, qualis fuerit Simonia; ut agnoscatur an vere, & qua specie Simoniæ deliquerit, item an incurrerit pœnas Simoniæ, a quibus forte absolvere nequit, potissimum an Simoniacus ad restitutionem urgendus sit. Ita *Herzig p.* 2. *n.* 194. Rk. *ad* 2. Confessarius in hoc casu prudenter potuit præsumere, quod pœnitens rerum intelligens sit, præsertim cum ultro se obtulerit ad rem melius explicandam alio tempore.

500. *Q.* II. Quænam sint causæ vel tituli excusantes a Simonia? Rk. cum *Reiffenst. primus* titulus excusans est, si temporale pro spirituali, aut econtra omnino gratis sine ullo ex-vel implicito pacto, imo nequidem motivo detur. Sufficit autem ad Simoniam contractus saltem ex una parte intentus: ut patet in Simone Mago, qui obtulit quidem pecuniam pro dono Spiritus S., S. Petrus vero non acceptavit. Vide dicta *n.* 486. *Secundus*. Si post acceptum spirituale detur temporale ex sola gratitudine,

tan-

tanquam merum donum antidorale. Vide *Can. quidquid* C. 1. *q.* 1. &. *c. Dilectus* 30. *de Sim.* Exceptis tamen iis, ob quæ jam accepta etiam gratis aliquid acceptare jura specialiter prohibent; sic *Trid. Sess.* 24. *de Reform. c.* 18. prohibet, ne examinatores venientium ad concursum pro parochia ante vel post etiam gratis oblata recipiant. Idem *Sess.* 21. *de reform.* prohibet, ne gratis oblata recipiantur pro collatione Ordinum.

3. Si Ministris Ecclesiæ per modum stipendii ad honestam sustentationem pro sacris functionibus, Missis, sepulturis &c., temporale detur, ubi bene notandæ sunt propositiones ab Alex. VII. damnatæ scil. 8. 9. & 10. de quibus plura in P. II.

4. *Tit.* est ignorantia invincibilis, non vero crassa, supina vel affectata. Recte hic notat *Reiffenst. n.* 304. Num autem quis revera habeat ignorantiam invincibilem, cujusvis conscientiæ relinquitur. Illi, quod sibi timeant certo habent, qui de Simonia nec audire, nec legere aliquid volunt, nolentes intelligere, ut bene agant, vel qui legunt quidem, aut ab intelligentibus rem audiunt, tamen statim excutiunt, aut parum curando rident, & contemnunt.

5. Est labor extrinsecus, ut dictum *n.* 498. 6. Est redemptio vexationis injustæ.

501. *Q.* III. Quando a Simonia excuset redemptio vexationis? R. 1. *Non est Simonia, pretio temporali redimere injustam vexationem circa jus jam acquisitum*, sive quod quis jam habet in re, S. *Th.* 2. 2. *q.* 100. *ad* 5. *Palao de Sim. p.* 20. *n.* 1. *Pyrrhing. h. t. n.* 105. Sic potes dare pecuniam Principi Acatholico, ne te impediat ab usu parochiæ, vel alterius beneficii a te jam plene obtenti: Item alteri, ne injuste te diffamet, accuset, vel talia proponat, ob quæ Beneficio, quod actu licite & valide possides, privari possis: *Ratio est*: quia hoc modo non datur temporale pro jure spirituali, utpote quod jam juste acquisitum supponitur, sed pro tollenda, vel impedienda injuria, quæ censetur esse quid temporale. Secus *si juxta sit vexa*: v. g. Si quis te accuset ob delictum, propter quod beneficium est auferibile, Simonia est pretio hanc vexam redimere, quia jus tuum tunc non est firmum: ergo redimendo vexam pretio emis jus firmum, quod est quid spirituale. *Jansen. de Simon. n.* 32.

502. R. 2. *Si in jure acquirendo injuste vexeris ab iis, qui prodesse, sive jus illud concedere possunt, Simoniam committis, iis dando aliquid temporale eo fine, ut a vexa desistant. Suar. de Sim. c.* 50. *n.* 18. & 27. ex *c. Matthæus* 23. *h. t.* & *Ratio est*: quia dum quis alteri dat temporale, ne votum, confirmationem, collationem, institutionem injuste deneget, hoc ipso dat temporale, ut spirituale sibi conferat; injusta enim negatio voti, confirmationis &c. non tollitur, nisi concessione voti, confirmationis &c. ergo hoc ipso, quod intendas, dato pretio alios obligare, ut desistant

negare votum &c. simul intendis eos obligare, ut illud tibi concedant: ergo vere emis spirituale. Econtra si jam institutus aut confirmatus es, & sola possessio tibi injuste negetur, vel impediatur, hanc vexam pecunia redimere licebit; Possessio enim non est spiritualis, nisi ratione tituli vel juris, cui annexa est, ergo cum jus vel titulus juste jam acquisitus sit, temporale non datur pro spirituali, sed tantum pro impedimento injusto possessionis. Eodem modo loquere de aliis materiis distinctis a beneficiis; sic excusatur a Simonia qui Curato nolenti baptizare, sepelire &c. priusquam hoc vel illud pretium solvatur, aliquid dat in casu necessitatis, quia hoc non expendit tanquam pretium actionis sacræ, sed tanquam medium ad satiandam Curati avaritiam, & redimendam injustam vexam. *Suar. loc. cit.*

503. R. 3. *Non est Simonia etiam circa jus beneficii acquirendum, injustam vexam pretio redimere, ab iis, qui obesse possunt, non autem prodesse, sive conferre ad obtinendum beneficium.* V.g. Si quis per diffamationem Electores, vel collatorem impediat, quo minus te eligant, potes dare pretium, ut cesset a diffamatione, vi vel fraude &c. quia hoc tantum redimere famam, & tollere vim aut fraudem, qua sublata Electoribus, & collatoribus adhuc liberum est eligere, quem volunt. *Suarez de Sim. c. 50. n. 23.*

Compendium Resolutionum.

504. I. Non committit Simoniam 1. qui S. Reliquias cum S. Reliquiis permutat; quia sic non datur temporale pro spirituali. Idem est de aliis rebus sacris, exceptis beneficiis Ecclesiasticis, quorum permutatio propria auctoritate facienda, prohibita est ab Ecclesia, ut supra dictum. 2. Qui vendit ceram benedictam, S. Reliquias pretiosis capsulis inclusas, rosaria indulgentias habentia; quia hæc non venduntur secundum rationem rei sacræ, sed secundum materiam & pretium. Secus si propterea majori pretio venderentur ista, quia annexam habent rationem rei sacræ. Si calices, sacræ vestes &c. laicis vendantur, qui ea ad nullos sacros usus adhibere possunt, prius dissolvenda sunt, ut sic amittant consecrationem, vel benedictionem. 3. Sacram sepulturam emere aut vendere, Simoniacum est. *c. audivimus 41. de Sim.* Secus, si quid detur præcise pro honoratiore loco sepulturæ, item pro scamno commodiore in templo. Vide *Burgh. Cent. 3. Cas. 12.* Præsertim hoc excusatur a Simonia, si ex diuturna consuetudine id, quod datur, impendatur ad conservandam Ecclesiæ fabricam.

505. II. Per se loquendo Simoniacum est, exigere aliquid temporale pro dispensationibus in impedimentis matrimonii, votorum &c., quia dispensatio est actus spiritualis tum ratione principii sive potestatis spiritualis, tum ratione finis, scil. salutis animarum; idem est de absolutione a peccatis, vel censuris,

de

de concessione Indulgentiarum, aliisque actibus jurisdictionis spiritualis. Hinc tantum per accidens in sustentationem Officialium, & pro aliis piis usibus ac necessitatibus Ecclesiæ sublevandis subinde exigitur aliquid pro ejusmodi actibus, frequenter etiam in pœnam delicti præcedentis, v. g. irregularitatis ex voluntario homicidio, in dispensatione circa impedimentum ex copula fornicaria ortum &c. 2. Remanente penes Ecclesiam jure decimandi directo, vendi potest jus utile, sive ipsa perceptio fructuum, si hoc vel auctoritate Papæ, vel consuetudine diuturna a jure directo separatum sit, qua ratione etiam laicis id non raro competit. *Laym. l. 4. t. 6. c. 6.*

506. III. *La Croix l. 3. p. 2. n. 1096.* cum *Rodriq. Bonæspei*, *Diana* excusat a Simonia, & peccato lusores, quorum unus in ludo exponit pretium temporale, v. g. capitellum; alter vero missam; eoquod hac ratione res spiritualis non æquiparetur temporali, sicut non æquiparatur, quando missa legitur pro stipendio; sed tantum offertur executio rei spiritualis loco temporalis alioquin tradendæ. Item sicut licitum est alicui offerre 100. missas pro eo legendas, ut remittat debitum 100. florenorum. Contrarium tenet *Lugo*. Raro etiam talis lusus caret gravi scandalo, ac proinde semper dissuadendus.

507. IV. Committit Simoniam, qui emit titulum ordinationis jam constitutum, v. g. onus aliquot missarum, cui annexum est stipendium honestæ sustentationis, quia hic titulus jam constitutus est quid spirituale; jus enim ad illos fructus, quod hic emitur, est annexum antecedenter spirituali; ergo vendi non potest. Econtra Simonia non est, emere ex alterius prædio censum annuum v. g. 100. Imperialium, aut emere mensam apud Prælatum, vel Nobilem, propter quem censum, vel mensam postea quis petit ordinari; quia ejusmodi census vel jus mensæ sunt quid mere temporale nulli spirituali annexum, antequam ab Episcopo in titulum ordinationis assumantur. *La Croix de Sim. n. 151. Jansen. de Sim. n. 30.* Cæterum constat ex consuetudine, quod liceat solvere victum, & vestitum in seminariis, sufficienti fundatione destitutis, in ordine ad suscipiendum Clericatum; secus si pretium pro victu certo sciatur non impendi in bonum seminarii, sed in usum privatorum.

508. V. Simonia Confidentialis potissimum 4. hisce pactis initiitur. 1. *Cum reservatione accessus*, h. e. si quis resignet alteri beneficium sub conditione, ut vel procuranti, vel alteri determinato liber accessus suo tempore ad istud beneficium pateat, intellige, si hoc fiat propria auctoritate, & absque consensu Pontificis. 2. *Cum reservatione ingressus*, ita ut officium, quod quis obtinuit, at necdum ejus possessionem adiit, cedat alteri cum pacto, ut vel post mortem cessionarii, vel post ejus resignationem, beneficii illius possessionem capiat. 3. *Cum reser-*

servatione regressus, dum quis beneficium, cujus possessionem jam adiit, cum pacto cedit alteri, ut post mortem cessionarii vel resignationem liceat ad illud regredi. 4. Si certæ beneficii pensiones aut procuranti, aut alteri dandæ reserventur. *La Croix de Sim. n. 64.*

CAPUT II.

De secundo præcepto Decalogi.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. Exodi 20. v. 7.

PRohibetur hoc præcepto omnis irreverentia in Sanctissimum Dei Nomen, quæ potissimum committitur per blasphemiam, per illicitum Juramentum, & per violationem votorum. Præcipitur autem laus & honor Dei absolute, conditionate, si jurandum per Nomen Dei, ut id fiat rationabiliter, & reverenter, item si quid juratum, Deoque promissum sit, id religiose præstetur. Quatuor modis potissimum honorari potest S. Dei Nomen, 1. illud cum reverentia pronunciando: 2. Invocando & laudando. 3. Vovendo & promittendo. 4. Per illud justis de causis jurando. De vitiis oppositis mox agemus.

ARTICULUS I.

De Blasphemia.

§. I.

Principia Generalia de Blasphemia.

509. PRinc. I. *Blasphemia* (directe oppositæ laudi Dei) communiter dicitur *Verbum contumeliæ adversus Deum*; sive contumelia in Deum vel mente, verbo, vel opere facta. Hæc quidem præcipue consistit in verbis irreverentibus, injuriosis, & divinum honorem lædentibus; committi tamen etiam potest facto, v. g. si Deus opere vel signo contumelioso vilipendatur, exspuendo in cælum, calcando crucifixum &c. Porro sicut Deus sola mente laudari potest, ita & blasphemari solum interne; hinc juxta *S. Th. 2. 2. q. 13. a. 1.* Blasphemia 1. alia est cordis, alia oris, utraque tamen essentialiter non distincta juxta *Laym. L. 4. t. 10. c. 6. n. 2.* 2. Blasphemia alia est directa, quæ Deum in se ipso inhonorat, ideoque Deum ipsum directe aggreditur, ex intentione Deum inhonorandi, hæc vocatur etiam *diabolica*. Alia *indirecta*, quando quis advertenter loquitur verba, quæ ex propria significatione, modo proferendi, & aliis circumstantiis continent imminutionem divini honoris: quamvis homo eam non intendat; ut si quis contemptim, irrisorie, aut modo detestativo loquatur contra Sanctos, Sacramenta, cultum Dei &c. Item si quis contumelias fundat in sacramenta, sanguinem, vulnera, & mortem Christi, res sacras, &c. si proferantur cum advertentia ad contemptum, quem verba con-

ba continent, etiamsi expressa, & directa maledicendi intentio absit. 3. Blasphemia alia est *hæreticalis*, quæ continet hæresin, eo quod per eam de Deo aliquid negetur, quod illi proprium est, vel aliquid tribuatur, quod ei non convenit, v. g. si deliberate diceres, Deum esse injustum, Tyrannum, auctorem peccati &c. Talis blasphemia esset reservata in Bulla Cœnæ. Alia *imprecatoria*, qua quis Deo malum imprecatur, v. g. si quis dicat: pereat Deus, peccata hominis nesciat, approbet &c. Alia *simpliciter dehonestativa*: Quando quis de Deo quidem vera, sed irreverenter, per contemptum, ex ira vel odio Dei dicit; talem blasphemiam cum vita evomuisse legitur *Julianus* Apostata dicendo: *vicisti Galilæe! vicisti!* huc denique reducitur illa blasphemia, qua aliquid tribuitur creaturis, quod Deo convenit v. g. si quis diceret: dæmon est Deo fidelior &c. hoc modo etiam juxta *Babenst. t. 5. d. 3. a. 1. n. 3.* peccant lascivi, qui suas meretrices vocant Deas, omne bonum suum &c. Vide *P. Stoz L. 1. p. 3. a n. 170.*

510. *Princ. II. Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale.* Ita S. *Th. l. c. a. 2. in* ⊙. Colligitur etiam ex gravitate pœnæ juxta illud *Lev. 24. 16. Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur: lapidibus eum obruet omnis multitudo populi. Ratio est.* Quia omnis blasphemia directa infinitam Dei Majestatem positive dehonorat: ergo ex se est gravis injuria & contemptus Dei, ita ut nec excusetur a gravi peccato ob levitatem materiæ.

Indirecta autem cum redeundet in Deum, ex genere suo æque est peccatum grave: ideo *S. Th. l. c. a. 1. ad 2.* ait: *sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit*: ita & blasphemia, quæ fit *in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* Itaque blasphemia veniale peccatum fieri nequit, nisi ex defectu requisitæ advertentiæ & deliberationis, *Th. Sanchez L. 2. Mor. c. 32. n. 40. Burgh. Cent. 3. cas. 49.* Porro Juxta communem blasphemia hæreticalis specie distinguitur a simplici, quia illa simul opponitur fidei, hæc autem tantum Religioni. Juxta *Sanch. l. c. n. 38.* blasphemia simplex in Deum, & Sanctos non differunt specie, quia utraque contraria est eidem virtuti Religionis. Contrarium tenet *Azor* ex eo, quod, sicut cultus latriæ, & duliæ differunt, ita etiam blasphemia in Deum specie differat a blasphemia in Sanctos: Probabilitas utriusque sententiæ subinde deservire poterit Confessario quoad pœnitentes hanc diversitatem ultro non exprimentes. *Reinff. in Theol. moral. t. 5. dict. 3. n. 64.*

§. II.

Resolvuntur Casus.

Burgundofora se accusat, quod Deum & B. Virginem sæpe blasphe-

phemaverit, quærit Confessarius, quo modo? reponit illa, quod ad obvia quæque Ss. Jesu & Mariæ nomina pronunciarit. Item quod alias ex consuetudine nomen dæmonis dixerit.

511. *Q.* I. An sit peccatum blasphemiæ, ad res obvias identidem proferre Ss. Jesu & Mariæ Nomina? R. *Negat.* Quia non est dictum contumeliosum in Deum, sed vana usurpatio Divini Nominis, adeoque, si absit formalis contemptus, tantum peccavit Burgundofora venialiter peccato irriverentiæ; quia sanctum & terribile Dei Nomen velut quid profanum usurpavit, non tamen cum gravi irreverentia.

512. *Q.* II. Quænam assumptio divini Nominis censeatur licita, quænam illicita? R. 1. Assumptio licita est, si fiat cum *reverentia* & *veritate: Cum reverentia* assumitur in contestationem affectus nostri 1. quando pronuntiando S. Dei Nomen coram hominibus confitemur, ipsum esse Dominum supremum. 2. In contestationem fiduciæ nostræ erga Deum, invocando Deum in necessitatibus nostris, id quod subinde contingit ex affectu sincero in subito terrore etiam non deliberate. 3. In contestationem amoris nostri erga Deum, uti sæpius subito pii erumpunt cum S. Francisco in illa verba: *Deus meus & omnia.* 4. In contestationem nostræ devotionis erga Deum. *Cum veritate* assumitur, quando invocato divino nomine aliquid juramus vel promittimus, de quo in Artic. seq.

513. R. 2. *Assumptio illicita est*, 1. quando quis Sanctissimum Dei, & Sanctorum Nomina profert ex *nullo fine*, absque omni affectu reverentiæ, ex mera loquacitate, & prava consuetudine. 2. *Ex fine prorsus inutili*, dum nulla est ratio necessitatis, utilitatis, aut congruitatis, sic errant illi, qui ad singulos fere sensus dicunt: *Ben Gott, meisi Gott, straff mich Gott*. Plerunque hæc fiunt indeliberate, ideoque etiam raro sunt peccata mortalia. 3. Graviter vero peccatur, si perverso fine proferatur S. Dei Nomen in contestationem pravi affectus vel contra fidem, vel ex desperatione, vel ex odio Dei, vel ad confirmationem falsitatis in juramentis. *Vide Sporer* in expl. 2. præcepti.

514. *Q.* III. An Burgundofora graviter peccaverit, pronuntiando ex consuetudine nomen dæmonis. R. Si id factum sine imprecatione, & gravi scandalo, peccavit venialiter: quia saltem est contra decentiam, Christiani nominis hostem tam frequenter nominare: non vero graviter, quia talis pronunciatio ordinarie non fit ex aliquo affectu erga dæmonem, sed potius ad horrorem animi manifestandum. Personas tamen sacras magis dedecet frequens pronunciatio dæmonis; quia raro abest scandalum.

Casus II.

Blasius Auriga in genere se accusat, quod blasphemaverit: quæsitus, quomodo: Respondet: cum equi lentius procederent, mox erupi in sequentes blasphemias: Vah mille Sacramenta! Ihr Sacraments-- Pestien, tausend Sacrament, Mord--hell-- Jesuiter-- Capuciner -- Sacrament ec. *At volui tantum hisce verbis excitare equos.*

515. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si pœnitens in genere se accuset: ego blasphemavi? R. Attendat 1. an verba prolata vere sint in se blasphema; frequenter enim inter se confunduntur imprecationes, maledicta, juramenta, & blasphemiæ. Sic rudis aliquando de verbis blasphemis quæsitus respondit: blasphemavi: quia vocavi sororem meam *Eine filzlaus;* præsertim quærat Confessarius, an Sacramenta tantum simpliciter, vel cum addita majori expressione irreverenti fuerint pronuntiata. 2. An, si vere sint blasphema, prolata sint ex intentione Deum inhonorandi, vel ex alio maligno in Deum affectu, aut saltem cum advertentia blasphemiæ; sic enim graviter peccasset 3. An prolata quidem fuerint sine advertentia, at ex consuetudine. Ad hunc casum respondet *Pontas V. blasphemia cas. 2. sub fin.* si quis blasphemias proferre assuetus, horrendum hunc habitum eradicare non serio contendat, tot admittit mortalia, quot profert blasphema verba: at si pravam consuetudinem in melius emendare laboret, ex indeliberatis blasphemis, non fit reus peccati saltem mortalis. *Ratio est:* Quia nisi serio velit deponere consuetudinem, hæc erit causa voluntaria blasphemiarum etiam indeliberatarum: ergo & hæ censentur esse effectus in causa voluntarii. Vide S. *Th.* 1. 2. q. 77. a. 7. in ⊖.

516. *Q.* II. An valeat excusatio blasii, ita ut non censendus sit peccasse mortaliter? R. *Negative.* Juxta regulam *Laymanni* l. c. n. 12. & *Sporer* t. 2. *in prim. præcept.* c. 10. n. 24. si pœnitens dicat, quod affectum indignationis nullo modo extendere voluerit adversus Deum, sed adversus hominem vel jumentum, nihilominus attendendum est ad verba, quibus homo usus est; si enim talia vel tali modo prolata sint, ut enormem contumeliam Dei aut Sacramentorum ex se significent v. g. *ganz Jonnen galeen Sacrament*, & similia, excusandus non est a gravi peccato, nisi ex defectu omnis advertentiæ, & voluntarii, nec talis debet absolvi (ut ait *Sporer* l. c.) nisi concepto firmo proposito. Si vero verba non contineant adeo enormem contumeliam Dei, vel sacramentorum, v. g. simpliciter nominando Sacramenta, Crucem &c. a peccato mortali, non tamen veniali excusari poterit, monendus insuper est, ut serio studeat sub gravi obligatione deponere consuetudinem ob periculum blasphemiæ formalis. Ex his eruitur, Blasium per ultima verba peccasse mortaliter, venialiter vero simpliciter pronuntiando Sacramenta.

517. Pro

517. Pro aliis casibus resolvendis *Observa* I. Non peccat graviter per se loquendo, qui dimidiat, vel immutat verba sacra v. g. dicendo loco *Sacrament*, *Sapperment*, *Salament* &c. quia sic evitatur pronuntiatio rei sacræ irreverens, & ad significandam iram, vel admirationem adhibetur vox non significativa. *Dixi*, *per se*: si enim audientes non intelligerent illam mutationem, adhuc posset subesse scandalum. *Tambur. Gobat. La Croix* hic n. 252.

518. II. Si Pœnitens dicat: indignatus sum propter tempestatem: sæpe sensus est, quod indignatio fuerit in Deum, ut illius causam, sic graviter peccasset: si vero in solam tempestatem, nonnisi veniale peccatum foret.

519. III. Qui ex impatientia dicit: videtur Deus mei plane oblitus esse: immerito tam multa patior a Deo: maledicta sit dies, in qua natus sum &c. Si per primum deliberate significare vellet, Deo inscio hæc sibi mala obvenire, esset blasphemia hæreticalis. Plerumque autem hic sensus non intenditur, sed ex inconsiderantia talis querela modo loquendi humano ex gravitate doloris vel pusillanimitate profertur. Quoad secundum blasphemiæ peccatum committeretur, si deliberate ista dicerentur, sensus enim est: Deus injuste me punit, immittendo hoc malum. Quoad tertium. Si indignatio vel maledictio diei non tendat in Deum, sed præcise in diem, non est blasphemia; sic *Job* maledixit diei nativitatis suæ propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates. Ita *S. Th.* 2. 2. q. 76. a. 2. ubi addit hanc regulam generalem: *maledicere rebus irrationalibus, in quantum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ: maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum, & vanum, & per consequens illicitum.*

520. IV. Varias blasphemandi formulas Germanis usitatas *Sporer* hic n. 18. cum *Gobat* ita explicat: 1. *Poz Herr gott*, *Poz Hundert Herr gott*. Primum non sonat blasphemiam, quia illud *Poz* est tantum signum admirationis; est tamen talis loquela irreligiositas venialis: alterum, si proferatur eo sensu, quem verba præ se ferunt; esset blasphemum, quia serio affirmaretur, centum esse Deos; plerumque autem non attenditur ad istam significationem, sed verba mere materialiter tanquam signum admirationis pronuntiantur, hoc modo tantum peccatur venialiter. Desistendum tamen est ab hisce formulis loquendi.

2. *Gotts Sacrament*, *gotts Ereuz*, *gotts Bunden*, *gotts Leiden*, *gotts Plut*, & similia proprie quidem non sunt blasphemiæ, sed irreligiositates contra reverentiam divini nominis, ex se quidem venialiter peccaminosæ. Juxta *Sporer* l. c. cum *Cajet. Sanch. Laym.* sæpe tamen gravia peccata ob periculum

blas-

blaſphemandi formaliter, & ob ſcandalum. Juxta *Suar.* & alios ex ſe ſunt peccata mortalia; cujus ſententia reſpectu eorum vera eſt, qui iſta tanquam levia contemnunt, cum ordinarie graviſſimum ſcandalum conjunctum ſit.

3. *Das dic gott ſchand, daſdich gotts Sacrament Plut Chriiſam ſchande.* Hæ formulæ per ſe ſunt formales blaſphemiæ, & gravia peccata ex genere ſuo; quia graviter lædunt honorem divinum in ſe, & in ſacramentis; paſſio, ſanguis Chriſti non ſunt ordinata ad perdendum, ſed ad ſalvandum.

4. *Plut-Donner: Strahl: Stern: Sacrament*, & ejuſmodi impiæ loquelæ facile non poſſunt excuſari a gravi peccato; præterquam enim, quod cedant in gravem contemptum ſacramentorum; graviſſime ſimul omnium piorum aures offendunt. Multo minus a gravi blaſphemia excuſandæ ſunt ſequentes abſurdiſſimæ formulæ ob nimis contemptibilem combinationem v. g. *Du Sacraments Hur, du Sacraments Schelm. ec.* de his ſpecialiter conſule *P. Gobat* in Alphabet. quartuplici de blaſph.

521. V. Remedia adverſus blaſphemias ſunt duplicis generis: alia pro caſtigandis præteritis noxis: inter hæc præter conſueta ſcil. orationem, jejunium, eleemoſynas &c. utiliter injungetur, ut toties, quoties pœnitens blaſphemavit, ad pedes Crucifixi precetur veniam, eliciendo affectum v. g. Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum, Laudetur Deus, Gloria Patri .... vel ex his affectibus roſarium ſibi concinnet per aliquod tempus quotidie recitandum. Ita *P. Herzig* p. 2. n. 213.

Alia media ſunt ad impediendas futuras blaſphemias. 1. Ponatur ante oculos malitia blaſphemiæ; hoc enim vitium diabolo & damnatis proprium eſt juxta illud *Apoc. 13. 6. & aperuit os ſuum* (draco infernalis) *in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus.* Hinc linguæ blaſphemorum a *S. Chryſoſt.* recte vocantur vehicula diaboli, blaſphemiæ autem canini & Stygii latratus. Vide *P. Drexelii Phaet. c. 6. §. 5. S. Hier.* ait, *nihil horribilius eſſe blaſphemia, quæ ponit in excelſum os ſuum.* 2. Proponat confeſſarius pœnas graviſſimas blaſphemis ſtatutas tum a Deo, tum a Magiſtratu civili. *Maledicti erunt, qui contempſerint Te, & condemnati erunt omnes, qui blaſphemaverint Te. Tob. 13.* 16. Argentoratenſis Magiſtratus Anno 1569. uni e præſidiariis militibus ſuis, eo quod blaſphemaſſet, linguam per cervicem extrahi juſſit. Vide *Pædagog. Chriſt.* p. 1. c. 5. §. 2. Si ullum vitium certe blaſphemiam ferro & igne Magiſtratus civilis perſequi tenetur, *quia per hanc non creata res, ut fit in furto, homicidio &c. ſed ipſa Dei Majeſtas in ſe ipſa læditur*, ait *S. Ephrem* 3. Oſtendat, quod per blaſphemias non minor irreverentia irrogetur Ss. Sacramentis, & Sanguini Chriſti, quam ſi pedibus conculcarentur, quæ tamen ſola ſunt media ſolvendi debita noſtra, & miſeriam æternam avertendi. 4. Denique credant

dant blasphemi, certius reprobationis & infelicitatis futuræ signum non esse, quam consuetudinem blasphemandi; quemadmodum enim filii Dei divinis laudibus assueti eos Psalmos addiscunt in terris, quos cantabunt in cælis; ita filii diaboli ea cantica (blasphemias) discunt in mundo, quæ cantabunt in inferno, ait *Peraldus*.

ARTICULUS II.

De Juramento?

§. I.
Quid, & quotuplex sit Juramentum.

522. *Quær.* I. Quid sit Juramentum? R. Juramentum est *invocatio divini Nominis in testimonium alicujus rei*. *S. Th.* 2. 2. *q.* 89. *a.* 1. cum S. *Aug.* Alias etiam appellatur *Sacramentum*, quia est sacra quædam, & religiosa invocatio divini testimonii ad fidem dictis, vel promissis faciendam. Unde ad juramentum essentialiter I. requiritur, ut fiat per Deum vel *directe & expresse*, quando ad ipsum Deum testem immediate recurritur quod præcipue ab intentione jurantis pendet, & ex forma jurandi, v. g. Juro per Deum, Deus sit Testis, veritatem dico in Christo Jesu *Rom.* 9. Item quoties veritas fidei adducitur ad confirmandum dictum. V. g. Quam vere Deus vivit, & illud olim usitatum: Vivit Dominus, *So Wahr Gott im Himmel ist: So Wahr Gott Mensch Worden ist* ec. Per quas formulas non intenditur omnimoda comparatio inter nostram & divinam veritatem, hoc enim esset blasphemum, sed tantum aliqualis secundum modum confirmandi firmissimum. *Vel tacite & indirecte*, quando juratur per creaturas, non absolute sed relative ad Deum spectatas, quatenus in iis specialiter elucet Dei bonitas, Majestas, Sapientia. Ita Moyses juravit *Deut.* 4. *Testes invoco cælum & terram*. h. e. Testem invoco Deum, qui sua potentia creavit cælum & terram. Simili modo jurari solet per crucem cum ordine ad Christum, qui pro nostra salute in Cruce mortuus est. Item per S. Evangelia juxta *Laym.* L. 4. t. 3. c. 1. n. 6. Juramentum eo decentius est per creaturam, quo hæc nobilior est, in qua divina vis clarius resplendeat, adeo ut si quis creaturam ignobilem in testimonium dicti sui adfert v. g. juro per has paleas, censeri debeat jocosum seu illusorium.

523. *Q.* II. Quotuplex sit Juramentum? R. 1. Aliud est *solemne*, quod fit cum aliqua solemnitate v. g. coram testibus & Notario, contactu Evangelii. Aliud *simplex*, quod fit sine solemnitate. 2. Aliud est *Contestatorium*, quo Deus simpliciter vocatur in testem v. g. *Testor Deum*. Aliud *Execratorium* vel Imprecatorium, quo Deus simul in Testem, & vindicem vocatur. V. g. *Pu-*

niat

niat me Deus, nisi ita sit. Aliud *assertorium*, quo juratur aliquid ita esse aut non esse, vel fuisse. Aliud *promissorium*, quo aliquid futurum promittimus. Hoc juramentum semper firmat duo, unum de præsenti, quod jurans defacto habeat seriam voluntatem id faciendi, quod jurat; alterum de futuro, quod suo tempore sit impleturus, quod promittit. Denique juramentum *Comminatorium* est, quo quis cum juramento minatur, se aliquid facturum. Aliæ species juramenti pertinent ad judicium forense.

§. II.

Principia generalia de Juramento.

524. *Princ. I. Juramentum cum debitis requisitis de se est licitum, & honestum*. Dixi *licitum*; patet ex Scriptur. *Deut. 6. Illi soli servies, ac per Nomen illius jurabis*, & Psal. 62. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Sic juravit Apost. ad Rom. 1. *Testis enim mihi est Deus*: ad Gal. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior*. Dixi etiam *honestum*: tum quia est actus Religionis, quo Deum tanquam summe sapientem, & omniscium profitemur, tum quia finis est honestissimus, qui est ad confirmandam rem dubiam seu controversam juxta illud ad *Hebr. 6. 16. Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum*. Nec ad plenam confirmationem sufficit testimonium humanum, utpote quod est mendacio obnoxium. Nec obstat illud *Matt. 5. Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, scil. si desint necessariæ conditiones. Requisita ad licite jurandum sunt *Veritas, Judicium, & Justitia*, juxta illud *Jerem. 4. Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & justitia. Veritas* exigit, ut res, de qua juratur, sit vera, ne veracissimi Numinis testimonium adducatur in confirmationem mendacii; unde materia sive objectum *juramenti assertorii* est omne factum, quod ex certa vel rationabili causa absque prudenti formidine coram Deo judicatur esse verum; de incognitis enim vel dubiis jurare impium est. In juramento promissorio veritas intentionis exigit, ut jurans habeat animum implendi rem promissam. *Judicium*, ut non temere, & non leviter, sed cum reverentia, discretione & seria intellectus consideratione, ex rationabili causa necessitatis, vel utilitatis juretur. *Justitia* exigit, ut testimonium Dei non adducatur in confirmationem rei inhonestæ, sive dicti iniqui atque peccato obnoxii, ex animo majorem illi fidem faciendi. *Laym.* l. c. C. 3. n. 3. *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 187. Denique forma jurandi consistit *in expressa vel tacita invocatione Divini Nominis ex intentione Deum vocandi in testem*: per hoc differt ab oratione, per quam Deus vocatur in auxilium.

525. *Principium II.* Materia juramenti promissorii, sive id quod jurato promittitur 1. debet esse *honestum* & licitum, quia juxta c. 18. de jurejur. *Juramentum non est vinculum iniquitatis*,

& juxta *reg.* 58. *in 6. non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Hinc juramentum de re etiam tantum venialiter mala factum in se est peccatum, nec obligat ad præstandum promissum. 2. Debet esse de re *possibili*, quia Deum vocare in testem rei, quæ nunquam futura creditur, est nugatorium, & gravis irreverentia. 3. Non debet esse in præjudicium tertii, alias esset invalidum, si vero simul in damnum proximi, esset peccaminosum, c. *quamvis* 2. de pactis in 6.... Si Juramentum soli Deo fiat, non tantum debet esse de re licita, sed etiam de meliore bono, quam sit oppositum, ut dicetur de Voto. Effectus juramenti promissorii libere facti est obligatio *Religionis* erga Deum, & justitiæ erga illum, cui aliquid jurato promittitur, si hic acceptaverit promissionem: obligatio religionis est personalis, ideoque non transit in hæredes vel successores Jurantis; obligatio autem justitiæ in tali juramento est realis, ideoque transit ad hæredes; quia est pactum vel contractus inhærens rei; hinc tenetur hæres Titio præstare, id, quod Cajus Pater in vivis licite Titio promiserat. Utraque obligatio gravis vel levis est pro gravitate vel levitate materiæ; quamvis enim juratis circa rem levem intendat se intuitu divini testimonii firmare ad non mutandam voluntatem, id tamen probabilius non nisi proportionate ad exigentiam materiæ intendit. Juxta probabiliorem ex juramento de facienda vel omittenda re indifferenti, quatenus est indifferens, nulla oritur obligatio; quia talis actio manet otiosa, adeoque moraliter mala; ergo non potest esse materia juramenti obligatorii: Ita *Suar. T. 2. de Relig.* L. 2. c. 16. *n.* 1. *Laym. l. c. c. 6. n. 3.* unde si jurasti, v. g. te festucam levaturum, ad ædes alicujus non accessurum &c. non teneris servare juramentum, quia id, quod jurasti, sic manet indifferens. Quod si vero actio vel omissio actionis ex se indifferens ad finem honestum, vel alterius utilitatem referatur, oritur obligatio, quia induit honestatem alicujus virtutis. Hinc si jurasti, te alicujus ædes non ingressurum, non lusurum, ibi, ut evites peccatum, teneberis juramento. *Laym. l. c. Bonac. Babenst. hic n.* 50.

526. *Princ. III.* Qui jurat deficientibus conditionibus *n.* 523. allegatis, peccat, 1. quidem deficiente veritate semper graviter, etiamsi in re levi id fiat. Vide *prop.* 24. *ab Innoc. XI.* damnatam. *Ratio*. Quia semper gravissima irreverentia est, adducere Deum in testem falsi; adeoque hic non excusat levitas mendacii, vel parvitas materiæ; sed solus defectus advertentiæ; sicut enim generaliter ad peccatum mortale requiritur voluntarium, & sufficiens deliberatio, ita etiam hic. Ejusmodi Juramentum vocatur *perjurium*, quod juxta *Mastrium* & *Reiffenst. Theol. mor. T. 6. dist. 2. n.* 28. est juramentum de falso in opinione jurantis. Peccaret etiam graviter, qui dubitaret de rei veritate,

te, & tamen juramento eam confirmaret; quia se exponeret manifesto periculo adducendi Deum in testem falsi. *Reiffenst.* l. c. 2. Qui jurat ex defectu judicii, venialiter peccat per se loquendo (& vocatur *juramentum incautum*) quia tunc non latet gravis irreverentia; cum Deus adducatur in testimonium rei veræ, quamvis imprudenter ex defectu justæ causæ juretur v. g. in re levi, modo absit scandalum, & fiat sine præjudicio tertii. *Reiffenst.* l. c. n. 13. Monet hic *Stoz* n. 190. cum *Sanch.* quod ii, qui inveteratam habent consuetudinem jurandi indiscriminatim sive verum sive falsum, peccent graviter, si ex magna negligentia omittant investigare veritatem, propter periculum falso, aut injuste jurandi, cui se advertenter exponunt; secus si negligentia levis tantum sit, & imperfecta. 3. Si ex defectu justitiæ res moraliter mala confirmetur, juramentum est mortaliter malum; veniale vero peccatum est, si res leviter mala confirmetur. (Hoc vocatur *juramentum temerarium*) Ideo si gravem famæ detractionem juramento confirmes, peccas mortaliter. Eodem modo juramentum promissorium vel execratorium graviter vel leviter malum erit, prout malum volitum grave, vel leve fuerit, idque debet explicari in confessione, quia tale peccatum habebit duplicem malitiam, ratione mali desiderati, & perjurii, vel juramenti temerarii. Ita *Herzig* l. c. n. 216. cum *Suar. Laym.* & aliis. 4. Si juramento promissorio desit animus exequendi id, quod promissum est, peccatur graviter peccato perjurii ex defectu veritatis primario requisitæ; quantumvis res jurata levis sit, juxta dicta hoc n. *Stoz* l. c. n. 187. cum *Lessio n.* 138. addit: si promissio jurata de re mala, v. g. de homicidio patrando, seu de re vana, aut minus honesta, quam melius est non præstare, quam præstare (ideoque non est implenda) impleatur tamen ex intentione, quasi Deo placeret opus peccaminosum, blasphemia committeretur; si vero impleatur quasi ex obligatione juramenti, pertineret ad superstitionem, & zelum non secundum scientiam; & hæc circumstantia in confessione explicanda est. Denique qui jurat, se non facturum ea, quæ sunt consilii, v. g. religionem se non ingressurum, peccat venialiter, quia est aliqua, licet levis irreverentia, adducere Deum in testem contra ipsius consilia. *Th. Sanch. de jurament. c.* 4. *n.* 30. De ficto juramento *in resol. cas.*

527. *Princip. IV.* Obligatio juramenti cessat 1. Si re promissa mutetur, h. e. si ab initio licita fuerit, & possibilis, postea fiat illicita, impossibilis, vel inutilis. 2. Si adjecta conditio non impleatur. 3. Per remissionem promissarii. 4. Si juramentum factum sit soli Deo, cessat per relaxationem, commutationem aut dispensationem. Vide dicenda de cessatione voti.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Barbatianus se accusat, ut sæpe juraverit: instat Confessarius: quomodo? Respondet pœnitens: 1. *fidem dictis facturus sæpe dixi, revera, profecto, quam vere vivo, res ita est: in rei veritate: sim fur, magus &c., si res non sit.* 2. *Alias rem confirmavi per animam, per conscientiam, per fidem meam: Deus scit, hoc ita esse: coram Deo loquor.* 3. *Aliquoties dixi: ben meinem End: sic me Deus adjuvet: juro per Deum, per Sanctos, Evangelium, crucem, & vulnera Christi: nolo venire ad Deum; Deus in me non habeat partem: dæmon me & te auferat; moriar subito, nisi hoc ita sit.*

528. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si pœnitens absolute dicat, se juravisse? R. 1. inquirat in verba. 2. An habuerit intentionem jurandi, h. e. Deum vocandi in testem: sæpius enim veræ jurandi formulæ adhibentur, quin tamen adsit intentio jurandi, ac inde colliget, nequaquam fuisse juramentum. Econtra sæpe ex erronea conscientia existimatur, verum sub certis verbis contineri juramentum, quibus tamen secundum significationem suam nullatenus exprimitur invocatio testimonii divini, hinc pœnitens instruendus est, ut deponat conscientiam erroneam. 3. Cognita intentione, & verborum sensu inquirat, an verum vel falsum juraverit, & si quid in re gravi, an cum judicio, & justitia. 4. Si sit juramentum promissorium, an implenda promissio, nec ne: Necesse tamen non est quærere, an juramentum factum per Deum, an vero per creaturas, hæc enim specie non distinguuntur, cum utrobique Deus vocetur in testem. Ita *Herzig hic* n. 22. cum *Suar. Bonac.* & aliis.

529. *Q.* II. Quid? si dubium sit, an verba sint juratoria? R. cum *Stoz* l. c. n. 191. & *Tambur.* attendendum est ad intentionem verba proferentis: ab ea enim tota res pendet quoad forum conscientiæ; si ergo quis per prolata verba positive intendat invocare testimonium Dei, certo jurat; si positive non invocet Deum testem, sed tantum assertive, vel narrative proferat verba juratoria, non jurat. Si vero nec cogitet invocare, nec positive intendat, idque sive advertenter, vel ignoranter, sed plane præscindat ab ejusmodi invocatione, iterum non jurat hoc ipso, quia ab ea abstrahendo id non adhibet, quod essentialiter requiritur ad juramentum. Dixi *pro foro conscientiæ*: in foro enim externo judex te reum condemnabit, si verba prolata juramentum vere contineant, vel contra. Ita *Spor. de Jur.* n. 9.

530. *Q.* III. An verba *Barbatiani*, quæ continentur numero 1. sint vera Juramenta? R. *Negative*. Quia istæ formulæ nec sunt tacita, nec expressa invocatio Dei in testem rei alicujus. Peccant tamen sæpe rudiores ejusmodi verbis rem falsam confirman-

firmando, dum ex conscientia erronea putant esse juramenta. Idem dicendum de similibus dictis, v. g. tam verum est, quam sol lucet; quam vere hic sto, sedeo &c., quia hæ non sunt invocationes, sed tantum comparationes, unde si comparatio falsa sit, committitur mendacium, non perjurium, quia nullus vocatur in testem. Idem affirmat *Busemb.* L. 3. t. 2. c. 2. n. 9. de his dictis: quod dico, est Evangelium: est instar fidei &c. item: tam verum est, quam Deus est, quam Christus est in Venerabili; tam innocens sum, quam B. Virgo; quia communiter animus proferentis est significare aliquam similitudinem, scil. hoc suo modo, verum esse, sicut alterum suo licet longe perfectiore modo. Vide dicta de *blasph.* Monendus est pœnitens, ut abstineat ab his expressionibus.

531. *Q.* IV. An formulæ in secundo numero contentæ sint juramenta vera? R. Juxta *P. Stoz* l. c. n. 191. communiter, qui ejusmodi verbis utuntur, non intendunt invocare divinum testimonium, sed tantum hisce phrasibus volunt confirmare, tam vera esse dicta, quam verum est, esse animam in corpore &c. Quia igitur variantibus AA. dubia sunt juramenta, res pendet ex intentione loquentis. Sic etiam explicatur a *Laym.* formula illa: per conscientiam meam; vi enim verborum censetur aliud non exprimi, quam testem esse conscientiam. Qui jurat per animam suam, interponendo eam, tanquam clarissimam Dei imaginem, utique vere juraret; item qui aliquid affirmat per fidem suam, sive in fide Christiani, Religiosi, Sacerdotis, *auf Cavaliers: Barol*, fide Principis, Regis, per se loquendo vi verborum non jurat; quia non intelligitur fides Catholica, sed fides humana asserentis, ita ut sensus sit: res tam vere ita se habet, quam vere ego sum Nobilis Rex, Sacerdos &c. NB. Si tamen Sacerdos in fide Sacerdotali, Princeps in fide Principis in iis circumstantiis, in quibus solet exigi juramentum, aliquid affirmet, vera juramenta censerentur facere. *Laym. Sporer* l. c. n. 8. ubi addit: talia dicta, licet non obligent ex virtute Religionis tanquam juramenta, obligant tamen ex virtute fidelitatis vel justitiæ, & eo gravius, quo major excellentiæ fides interponitur. Denique dicere: Deus scit, coram Deo loquor, Deus mihi est testis &c. per se loquendo non est jurare, cum hæc tantum assertive vel narrative non vero per invocationem testimonii divini proferantur. Secus, si quis per hanc intenderet jurare vel putaret se jurare. *Busemb.* l. c. n. 5. In sensu Sacræ Scripturæ juramentum est dicere: coram Deo, Deus est testis, non in sensu vulgi.

532. *Q.* V. An tertio loco posita sint juramenta? R. Communius hæc ex se censentur esse veræ formulæ jurandi, nihilominus debet attendi ad intentionem jurantis. Specialiter de primo modo ait *Laym.* l. c. C. 2. verba illa, *auf mein End*, in vul-

gari etiam sermone plerumque juramentum continere, eo quod videtur esse consuetudo apud Germanos, ut formula illa verborum pro juramento accipiatur, ergo qui iis verbis utitur, præsumendus est velle jurare, nisi de alia intentione constet; quia juxta regulam *Sanch.* L. 3. C. 2. n. 1. ad juramentum satis est, velle usurpare verba in eo sensu, in quo pro aliorum jurantium consuetudine usurpari solent, ideo insuper circa has jurandi formulas habenda est ratio consuetudinis patriæ.

Casus II.

Barlaam mercator licitantibus frequenter cum variis juramentis affirmat: non possum (per Deum juro) merces minoris vendere, tanti constant &c. 2. Invitatus ad convivium oblato loco primario frequenter jurat: testor Deum, quod non sim occupaturus primum locum. 3. Quoties famuli vel proles delinquunt, in juramenta comminatoria erumpit: diabolus me auferat, nisi statim collum tibi obtorqueam, hanc vel illam pœnam infligam, quam postea non infligit.

533. *Q.* I. An Barlaam peccet graviter quoad primum? R. A gravi peccato excusari potest, modo absit mendacium & restrictio pure mentalis, nec intendat graviter decipere emptores, aut extorquere per juramenta velit, supra justum, pretium summum. *Ratio* est, quia sic non jurat absque veritate & æquitate. Plerumque tamen ejusmodi mercatores venialiter peccant, quia sæpe jurant absque judicio seu citra necessitatem. A restrictione pure mentali excusantur per hoc, quod sciantur significare velle, se non posse cum honesto lucro merces aliter vendere; item quod non intelligant nude pretium pro re empta, sed computent etiam expensas vecturæ & proportionalem partem sumptuum, quos toto anno faciunt in suam communem negotiationem. Ita *Herzig* p. 2. n. 225. cum *Gobat.*

534. *Q.* II. Quomodo peccaverit quoad secundum? R. A mortali excusari potest; tam quia communiter subintelligitur in iis circumstantiis conditio: quantum in me est, non sedebo primus, non ibo ad dextram, non intrabo prius &c. nisi vincar comitate aut voluntate alterius; tum quia plerumque non intenditur in tali occasione juramentum. Ita *Marchant.* C. 2. n. 5. Nihilominus venialiter sæpe peccatur in jurando, quia formulæ jurandi vane usurpantur, & citra necessitatem Deus in testem vocatur. *Herzig* l. c. n. 223. Idem dicendum de iis, qui ex consuetudine advertenter res quascunque, veras tamen, formulis juratoriis confirmant, v. g. per Deum res ita est.

535. *Q.* III. An Barlaam juramentis comminatoriis erga filios & servos peccet, quando non infligit pœnam intentatam? R. Communiter tantum peccatur propter scandalum, per se autem loquendo Barlaam non peccavit graviter; quia ex com-

munni

muni interpretatione & recepta consuetudine tacita conditio subintelligitur: v. g. nisi nascatur inde gravius incommodum: vel nisi delinquens deprecatus fuerit culpam, & emendationem promiserit, vel nisi aliud expediens visum fuerit. Præsertim autem tum non obligatur parens, si ex zelo quodam inordinato, & ex passione, aut pœna inordinata filios a se castigandos juraverit. *Marchant* l. c. n. 5. Secus, si ex zelo ordinato juraverit, & non subsit aliqua ex prædictis conditionibus.

Casus III.

Babylas confitetur 1. *jurans sæpe usus sum restrictione mentali.* 2. *Juramentum promissorium non implevi.* 3. *Juravi hostem Barnabæ occidere accepto pretio.* 4. *Meretrici pro facto turpi jurato promisi ducatum, sed nondum dedi.*

536. *Q.* I. An Babylas peccaverit mortaliter jurando cum restrictione mentali? R. 1. Si usus fuerit restrictione pure mentali, sive amphibologia pura, ita ut nec ex circumstantiis, nec ex ipsa locutione, neque ex alio signo exteriore animus jurantis, sive id, quod retinetur in mente, colligi potuerit, peccavit mortaliter. Quia cum tali restrictione in nullo casu licet jurare. Vide *propos.* 26. 27. 28. ab *Innoc. XI. damn.* Ex his propositionibus talis restrictio manet proprie dictum mendacium: ergo etiam ipsa manet intrinsece mala. *Viva in prop.* 26. & 27. *cit. Durante V. juramentum n.* 375.

537. R. 2. Si juraverit cum restrictione non pure mentali (quæ tunc habetur, quando occultatur sensus, ita tamen, ut ex signo aliquo, vel ex circumstantiis deprehendi possit) ex gravissima causa, non peccavit; v. g. si ante semiplenam probationem de homicidio a se commisso fuerit interrogatus, an occiderit Petrum, Babylas respondisset: non occidi, non peccasset; quamvis enim hæc verba in aliis circumstantiis prolata essent falsa, in his tamen ad mentem interrogantis vera sunt; nam in circumstantiis, in quibus crimen est adhuc occultum, nec sine periculo vitæ manifestandum, potuit prudenter præsumere, quod alius interroget, an ita occiderit, ut constet, ut probari possit, ut fateri debeat &c. (interrogatio enim de crimine simpliciter commisso esse illegitima; velle autem obligare, urgente gravissimo periculo & cum certa jactura vitæ, ad apertam confessionem, nimis durum videtur, & superans humanam imbecillitatem) unde ad mentem interrogantis respondisset: non occidi, scilicet ita, ut jam fateri debeam; ad hoc autem significandum determinatur responsio partim per verba, partim per illas circumstantias, in quibus fit interrogatio, & quas alter scire potest ac debet. Porro causæ gravissimæ censentur, si aliter quam per restrictionem realem & externam, h. e. non pure mentalem non possit evitari mors, aut aliud malum morti æquivalens, mutilatio, perpetuus carcer:

item ad ſalvandum ſecretum Principis, ſigillum confeſſionis &c. *Ratio* eſt, quia licet talis reſtrictio per accidens & ſine cauſa uſurpata mala ſit, & ſerviat infinitis fraudibus, & obſit humano commercio, ubi tamen graviſſimæ cauſæ eam cohoneſtant, irreprehenſibilis merito cenſetur, præſertim quia per ſe non eſt mendacium, nec directe intenditur deceptio alterius, ſed tantum occultatio veritatis. Si tamen Judex vel alius ſuam interrogationem manifeſte ulterius extenderet, & omnem reſtrictionem excluderet, non liceret mentiri, ſed deberet aliis effugiis potius eludi. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 288. cum *Cardenas*, *Suar.*, *Lugo* & aliis.

538. ℞. 3. Si Babylas ſine cauſa gravi uſus fuerit reſtrictione non pure mentali, adhuc peccavit graviter. *Ratio* eſt: quia deficiente cauſa gravi non intenditur directe occultatio veritatis, nec deceptio pure permittitur (quod licitum eſt) ſed directe per verba intenditur deceptio, adeoque non evitatur mendacium conſiſtens in falſa vocis ſignificatione cum intentione fallendi; conſequenter, ſi juramento confirmetur, nec effugitur perjurium. *Confirm.* Si uſus ejuſmodi amphibologiæ paſſim & abſque juſta cauſa eſſet licitus, nemo vellet aut poſſet alteri credere, quod cederet in everſionem humani convictus atque commercii. *Viva* l. c. n. 10.

539. *Adverte*: Eodem modo reſolvendum eſt de æquivocatione, quæ a reſtrictione non pure mentali differt per hoc, quod in æquivocatione verba ipſa habeant duplicem ſenſum, v. g. ſi de Andrea domi exiſtente interrogatus, an domi ſit reſpondeas: non eſt domi, ſumendo ∧υ *eſt* pro *edit*: in reſtrictione autem verba ratione ſui tantum unam habent ſignificationem, ſed ratione circumſtantiarum adhuc aliam. *Duarte* l. c. n. 377.

„ Regulæ in praxi obſervandæ a Confeſſario.

„ I. Cum, juxta interveniente cauſa licitum ſit jurare verbis æquivocis, ſequitur, Confeſſarium hujuſmodi juramenta bene poſſe permittere, & quandoque enim ſuadere ſuis pœnitentibus, quando necaſſarium eſſet, vel utile ad conſervandam ſalutem, & corporis indemnitatem, vel honorem &c. Neque obſtat ex juramento facto cum æquivocatione induci poſſe alterius deceptionem; nam eam impedire non tenemur cum gravi noſtro incommodo. Secundo poteſt permittere pœnitenti verba æquivoca, quando conferant ad actum virtutis, ſive expediens ſit occultare veritatem ad aliquem finem honeſtum. Exemplum ſit in eo, qui vult abſtinere ab aliquo cibo ſibi nimis grato, & nollet adſtantes cognoſcere ſuam abſtinentiam. Hic poteſt dicere: mihi ſunt damno, quæ verba habent dupplicem ſenſum, quatenus ſcilicet ſignificare poſſunt damnum corporis & animæ; & in hoc ſecundo ſenſu poſſunt intelligi ad abſtinentiam occultandam.

„ II.

„ II. Cum multoties simus in gravi necessitate celandi veritatem, vel ad avertendum malum nostrum, vel proximi, „ & simul sæpe non suppetant verba æquivoca ad eam sufficienter occultandam; cumque alias licitus non sit usus restrictionis pure mentalis, ideo Confessarius ad manus habere debet plures modos, quibus instruat pœnitentes de ratione celandi veritatem, quoties id fuerit necessarium. Quomodo e. g. gerere se debeat uxor adultera, si adigatur a Marito ad „ jurandum se fidem thori non violasse? Quomodo respondere debet Confessarius, si cogatur jurare Filium non confessus fuisse peccatum, quod revera confessus est? Quomodo respondere debet, „ qui aliquid scit sub secreti sigillo, si cogatur jurare se illud nescire?

„ Primus igitur modus celandi (urgenti tamen gravi & justa causa) licite veritatem, est respondere (ut supradictum „ est) ad mentem interrogantis, quo casu non verificantur verba per restrictionem pure mentalem, sed veritas verborum „ innotescere potest ex circumstatia personæ interrogantis seu „ respondentis. Hujusmodi modo occultandi veritatem usus fuit „ Christus Dominus Jo. 7. ubi discipulis interrogantibus, an „ ascenderet ad diem festum, respondit; non ascendam, & postea ascendit occulte; cum etenim Discipuli voluissent scire, „ an esset manifeste ascensurus, jam dicendo ad mentem interrogantium, non ascendam, idem erat ac dicere, non ascendam manifeste. Eadem ratione dixit Mar. 13. se nescire „ diem judicii: interrogantes enim Discipuli de notitia talis „ diei, non poterant habere aliam intentionem, nisi quod ipsis „ manifestaretur, si erat ipsis manifestanda; ac proinde dum „ dixit se nescire, voluit significare se non habere notitiam „ talis diei ipsis communicabilem.

„ Hac regula stabilita: Si Confessarius interrogaretur, an audierit aliquod peccatum; Si Judex interroget aliquem qui non „ teneatur fateri veritatem; si maritus interroget Uxorem, an „ fidem violaverit; si sciens aliquid sub naturali secreto, de illa re interrogaretur; Isti omnes possunt absolute dicere se „ nescire; ita respondendo ad mentem interrogantis. Qui enim „ de aliqua re interrogat, præsumitur interrogare de illa, in „ casu, quo quis posset eam revelare vel sine peccato, vel sine „ suo gravi incommodo.

„ Sed quid dicendum, si aliquis urgeret Confessarium ad id „ dicendum, si sciat peccatum Petri, ut Minister Christi? Si „ maritus instaret apud uxorem adulteram, ut dicat, an fidem „ violaverit etiam ea notitia, quam non teneatur communicare? & sic de cæteris.

„ In his circumstantiis adhuc respondent Theologi posse personam interrogatam absolute respondere se nescire, seu se non „ feciſſe id, de quo interrogatur; cum non teneatur respon-

„ dere

„ dere ad mentem formalem interrogantis, sed ad debitam, „ hoc est, ad eam, quam debet habere, si non vult inique in- „ terrogare. Sed meo videri, clarius explicari potest hæc do- „ ctrina, & excludi pura mentalis restrictio, damnata e S. „ Pontificibus. Jam igitur diximus, non intervenire præfatam „ restrictionem mentalem, quoties ex circumstantiis vel perso- „ næ vel loci, vel temporis, satis dignosci possit quem sensum „ habeant verba, quamvis non percipiantur ab interrogante. „ Dum proinde unusquisque jus habeat occultandæ veritatis, „ quoties non manifestatur sine peccato, sive (ordinarie lo- „ quendo) cum gravissimo incommodo; hinc est, quod Con- „ fessarius interrogatus, an sciat peccatum Petri etiam ut Mi- „ nister Christi, si respondeat, nescio, satis patet externe, ex „ circumstantia personæ se nescire ad dicendum; & idem dicas „ de uxore modo præfato a Marito interrogata, & respondente „ se non fregisse fidem. Stante ergo quod circumstuntia perso- „ næ satis explicet sensum responsionis, tollitur pura restrictio „ mentalis, adeoque tali responsioni potest sine perjurio addi „ juramentum. Ex regula respondendi ad mentem interrogan- „ tis plura alia salvant Theologi a mendacio & perjurio. Qui „ e. g. habet justam causam occultandi Fisco aliqua bona, in- „ terrogatus potest cum juramento dicere, se nihil occultasse, „ quia præsumitur Judex interrogare de bonis, quæ non potue- „ rit licite occultare. Qui aliquid clam surripuit in justam com- „ pensationem, a Judice interrogatus potest respondere, se ni- „ hil rapuisse, quia intelligitur interrogare de re furto ablata. „ Si aliquis non possit mutuo dare nummos sine gravi incom- „ modo, potest cum juramento dicere petenti, se non habere „ nummos; nam intelligitur petere mutuo nummos, si sine „ gravi incommodo mutuare possit. Quod si posset dare sine „ gravi incommodo, non deberet respondere, se non habere „ nummos, intra se intelligendo ad mutuandum, quia hæc es- „ set pura restrictio mentalis.

„ Alius modus celandi veritatem sine mendacio, (urgente „ semper gravi causa) est aliquid externe facere, per quod „ verba generalia determinentur ad aliquem sensum particularem „ verum. Afferri solet exemplum S. Francisci, qui interroga- „ tus a Latronibus, num quidam per viam, in qua erat, „ transisset, positis manibus intra manicas vestis, respondit: „ Nullus huc transivit, & eandem responsionem dare potuisset, „ si pedem potuisset super lapidem.

„ Tribus igitur modis vitari potest restrictio pure mentalis. „ 1. Verbis æquivocis. 2. Respondendo ad mentem interrogan- „ tis. 3. Faciendo aliquid externe, per quod verificentur ver- „ ba prolata, si non satis verificari possint ex circumstantia personæ „ interrogantis, sive respondentis, seu ex circumstantiis temporis „ & loci.

540. *Q.* II. An & quomodo Babylas peccaverit non implendo juramentum promissorium? R. Si juramentum fuerit de re illicita, non peccavit, imo peccasset, si illud implesset, hoc ipso quod aliquid prohibitum elegisset: si vero juramentum fuerit de re levi, probabilius peccavit venialiter: si de re gravi graviter. *La Croix* l. c. n. 405. Item si partem modicam non impleverit, etiam tantum peccasset venialiter. Sic qui juravit non bibere vinum, parum bibendo non peccat mortaliter, quia tunc excusat parvitas materiæ. Item qui juravit se daturum alicui 20. flor., si det tantum 19., non peccat graviter. *Busemb.* hic dub. 5. n. 3. cum *Sanch. Laym. Bonac.* & aliis.

541. *Q.* III. Ad quid obligetur Babylas ex juramento de inimico occidendo accepto peculio? R. Hoc juramento peccavit graviter: absit, ut de flagitio perpetrando cogitet; pecuniam autem opere non completo restituat. Vide *Præcept.* 7.

542. *Q.* IV. An teneatur tradere ducatum jurato promissum pro turpi facto? R. Ante patratum crimen debuisset rescindere juramentum; eo patrato tenetur solvere pretium, quia hæc solutio in se non est mala; secus est de solutione pretii Simoniaci; hæc enim manet in se mala & prohibita, *La Croix* l. c. n. 317. *Jansen.* hic n. 18.

543. Pro aliis casibus resolvendis observa I. Jurare per Deos falsos, vel per religionem falsam non esse verum juramentum; quia non est invocatio testimonii Dei veri: hinc si fiat tale jurameutum serio, est grave peccatum; tribuitur enim honor, proprius vero Deo, dæmonibus, vel religioni falsæ; secus si id fiat ex joco & irrisorie, & circumstantes id intelligant. *Jansen.* l. c. n. 10. cum *Bonac. & Palao*.

544. II. Juramentum gravi metu injuste incusso extortum v. g. a latrone ad dandam pecuniam, vel ab usurario ad dandam usuram, est validum & obligat, quia adhuc est sufficienter voluntarium. Potest tamen facile rescindi in judicio pro foro externo, & dispensari facile pro foro interno, tum ab Episcopo, tum ab aliis, qui habent privilegium dispensandi in votis, ita quidem, ut hic non requiratur consensus illius, cui præstitum est juramentum, idque partim in pœnam criminis ab eo commissi, cui juratum est, partim ratione gravis injuriæ, quam jurans passus est. Vide *Laym.* L. 4. t. 3. c. 11. n. 5. Excipe ab hac resolutione contractum matrimonii metu injusto extortum, de quo in P. II.

545. III. Juramentum de non petenda relaxatione juramenti per se loquendo invalidum est; quia dum justa petendi causa est (absque ea enim peti non potest) melius est illam petere, quam non petere.

546. IV. Numquam licet jurare ficte, vel sine animo jurandi ut patet ex *propos.* 25. *ab Innoc. XI. damn.* Et *Ratio* est: quia

sic

sic Jurans nunquam potest excusari a mendacio. Hinc qui jurat falsum sine animo jurandi in materia gravi, peccat graviter. Communis cum *Suar.* T. 2. de Relig. l. 3. c. 17. n. 3. Imo etiam juxta *Babenst.* t. 5. d. 3. a. 2. n. 25. *Duarte* l. c. n. 368. in materia levi. Et *Ratio est*: quia invocatione externa adducitur Deus ad confirmandum falsum, quod sine gravi irreverentia fieri nequit etiam in re levi. Patet ex propos. 24. damnata ab *Innoc. XI. Confirm.* In idololatria, blasphemia & infidelitate non datur parvitas materiæ, quæ a mortali excuset, licet desit animus litandi idolo, blasphemandi &c. ergo nec in perjurio. Jurare autem verum sine animo jurandi non est peccatum mortale, sed veniale (excipit *Duarte* l. c. n. 469. dummodo juramentum fictum non fiat in contractu aut in judicio legitimo) *Ratio* est, quia illud juramentum fictum, quod profert ficte jurans, neque Deo est graviter injuriosum, neque homini; *Non Deo*: Cum invocetur non ad confirmandum falsum, sed verum: Juramentum enim non cadit super fictionem, quia non jurat se serio jurare, sed semper rem veram affirmatam vel negatam: quamvis aliquo modo abutatur divino testimonio. *Non homini*: quia supponimus id fieri extra casum, in quo ex ficto juramento alius aliquid damnum patiatur. In iis tamen casibus, ubi judex vel superior juste præcipit jurare, aut ubi gravis justusque contractus vel promissio firmanda, tenetur quis sub mortali vere & ex animo jurare. *Babenst.* l. c. n. 27. cum *Suar.* & *Viva*.

547. V. Juramentum fictum quodcunque, si dolosum sit, licet non obliget ex virtute religionis, quod non sit juramentum, obligat tamen ex justitia ad id, quod alteri per dolum ficte juratum fuit. *Ratio* est, quia sic jurans alteri proprie dictam injuriam intulit; quam non potest compensare, nisi præstando id, quod præstare debuisset, si vere jurasset. Juxta alios apud *Sanch.* L. 3. Mor. c. 10. n. 14. obligat ratione scandali exterioris vitandi, quod ex talis juramenti transgressione oriretur. *Babenst.* l. c. n. 32. & 33. cum *Filliuc. Sanch.* & *Tamb.* Dixi, *si dolosum sit*: absente enim dolo; & secluso alio damno & scandalo, nec oritur obligatio religionis nec justitiæ.

548. VI. Ex juxta & gravi tantum causa v. g. ad avertendum grave damnum vel injuriam, & non alias, licet exigere juramentum ab illo, quem timeo pejeraturum, aut juraturum per falsos Deos: quia utor meo jure, & alter a perjurio vel invocatione Dei falsi potest abstinere, & adest gravis causa exigendi juramentum; ergo si ipse hoc male præstet, quod recte petitur, ejus malitiæ imputandum est. *Sporer* de Juramento n. 158. Non autem licet inducere alium, ut juramento confirmet hoc tamquam verum, quod inducens scit esse falsum, quia licet respectu hujus jurantis propter ignorantiam tantum esset

per-

perjurium materiale, esset tamen perjurium formale respectu inducentis; sicut respectu illius esset peccatum formale, qui ebrium induceret ad homicidium vel blasphemiam, licet respectu ebri sit tantum materiale peccatum. *Jansen.* hic n. 14. cum *Suar.* & *Bonac.*

549. VII. in quodliber juramento promissorio quamvis absoluto tacitæ quædam conditiones subintelliguntur. I. *Si potero.* Ad impossibile enim nemo tenetur. II. *Salvo jure & auctoritate Superioris*, juxta c. *ad nostram* 21. *de jurejur.* III. *Nisi is, in cujus gratiam & utilitatem juratum est, obligationem remittat*: quia hoc ipso alter cederet juri suo. IV. *Dummodo res in eodem statu permanserit*: quia notabilis mutatio rei quasi aliud objectum facit, ad quod ex prudenti præsumptione jurantis intentio se non extendit. *Reiffenst.* in Theol. mor. l. c. n. 23. cum *Pirrhing.* tit. de jurejur.

550. VIII. Juramentum, ex dictis, variis quidem potissimum tamen 4. modis fieri potest. 1. *Mente*, si sola mente aliquid spondeas, Deumque tanquam testem in confirmationem invoces. 2. *Nutu*, v. g. si tibi dicatur: jures per Deum, & tu oculis vel capite annuas. 3. *Facto*, vel oblatum tibi Evangelium tangas ad jurandum. 4. *Verbo* etiam unico, dicendo vel scribendo, *Juro*, præsertim in iis circumstantiis, quando sic intelligitur, quod Deus vocetur in testem. *La Croix* l. c. n. 275. cum *Tamb.* & *Dicast.*

551. IX. de dubiis circa juramenta vel obligationem eorum vide dicta n. 55. de Consc. dub. De interpretatione Juramentorum vide dicenda in seq. Art. de interpretatione Votorum. Hic tamen observandum 1. quod promissio jurata, quam observari vel non observari non multum interest ejus, cui facta est, nunquam tam dure sit interpretanda, ut etiam cum gravissimis incommodis obliget; quia præsumendum non est, quod mens jurantis vel accipientis fuerit, ut in omni eventu obsistat obligatio. *Lessius* in Auct. V. Juram. cas. 4. ... 2. Juramentum interpretandum est secundum consuetudinem & communem sensum Doctorum, præsertim ita, ut non sit cum detrimento & gravi incommodo, unde qui juravit, se servaturum secretum, non tenetur servare, si id sibi vel aliis graviter noxium esset. *Sanch.* L. 3. Mor. c. 17. n. 25.

„ *Appendix de Adjuratione.*

„ I. Adjuratio est invocatio Dei, vel rerum sacrarum, aut „ Sanctorum, ad inducendum aliquem ad quoddam agendum, „ vel omittendum. Ita S. Th. 2. 2. q. 90. a. 1. Alia est *deprecativa*, prout fuit illa Principis Sacerdotum erga Christum „ Matth. 26. alia *Interpretativa*, quæ competit tantum Superioribus erga Subditos, & Exorcistis erga Dæmones.

„ II. Ut

„ II. Ut adjuratio sit licita, tria requiruntur, sicut in Ju-
„ ramento, scilicet 1. *Veritas*, id est, ut adjurans vere inten-
„ dat assequi quod petit, & vera sit causa ob quam petit; ca-
„ rentia autem hujus veritatis raro erit plusquam venialis, nem-
„ pe si fictus pauper per Deum petat Eleemosynam, ut dicunt
„ *Sanch. Dec. l. 2. cap. 42. n. 5. Spor. de 2. Præc. c. 1. n. 263. ... 2.*
„ *Justitia*, ex ejus carentia certe graviter peccaret rem petens
„ graviter malam, ex communi DD. Quid si rem petat levi-
„ ter malam? Tenent esse veniale *Salman. de 2. Præc. cap. unic.*
„ *n. 4. Spor. cum Suar. &c.* Sed Melius *Elbel Conf. 6. n. 97.* dicit
„ esse mortale, quia satis gravis videtur irreverentia inducere
„ alterum ad rem malam ope divinæ auctoritatis. 3. *Judicium*,
„ id est debita discretio, cujus carentia certe non est nisi venialis.

„ III. Tantum creaturæ intellectuales possunt directe adju-
„ rari, ut Homines, & Dæmones. Indirecte autem etiam ir-
„ rationales, ut sal, nubes, locustes &c. adjurando vel Deum,
„ ut eorum usu nos adjuvet; vel Dæmones, ut per eas desistant
„ nocere, prout docet S. Th. 2. 2. q. 90. a. 3. cum communi.

„ IV. Privatim omnibus quidem licitum est adjurare; sole-
„ mniter autem tantum Ecclesiæ Ministris ad id constitutis, &
„ cum Episcopi expresse licentia. Ita communiter *Salm.* cum
„ aliis *ex Luca* 10. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi ser-*
„ *pentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Et
„ ex Marc. 16. *In nomine meo Dæmonia ejicient.*

„ V. Præsertim autem circa *Adjurationem Dæmonum*, duo
„ præcipue hic sunt notanda. 1. Ut cum eis adjuratio sit im-
„ perativa, non vero deprecativa. 2. Ut fiat tantum ad amo-
„ venda damna, & vexationem obsessi, non autem ad vanita-
„ tem vel curiositatem; hinc dicunt DD. communiter cum
„ *Salm.* non posse excusari a peccato gravi, qui multos sermo-
„ nes, inutiles haberet cum Dæmone obsidente. Sed

„ *Quær.* 1. An sit mortale quærere a Dæmone unam vel al-
„ teram rem curiosam? Affirmat *Palaus*, quia tunc exorcista
„ potius videtur deprecative quærere, quam imperative. Sed
„ probabilius est tantum veniale, si revera adjuratio fiat im-
„ perativo modo. Ita *Sanc., Cajet. Suar., Nav. Sot. commu-*
„ *niter cum Salm. n. 55. & 56.*

„ *Q.* 2. Quæ liceant Exorcistis a Dæmone interrogare?

„ R. Licet quidem interrogare omnia, quæ ad ejus expulsio-
„ nem conducant. *Salm.* cum *S. Thom. & commun.* Hinc pos-
„ sunt quærere numerum, & nomina eorum qui in obsesso ha-
„ bitant, & a quanto tempore, ut habetur in Rituali Rom.
„ Item causam sui ingressus. Item signum sui egressus, ut com-
„ munissime contra *Sotum* permittunt *Sanch. Salm. cum Palao,*
„ *Del Rio*, &c. An autem liceat quærere imperative a Dæmo-
„ ne manifestationem alicujus veritatis? Negat *Elbel Conf. 6.*
n. 156.

„ *n.* 156. quia (ut ait) non videntur Ministri aliam habere po-
„ testatem, nisi interrogandi tantum ea quæ ad eum expellen-
„ dum conferunt. Sed probabilius & communissime affirmatur
„ licere, si id conducat ad divinam gloriam. Ita *Sanch. Cajet.*
„ *Sot. cum S. Thoma.*

„ Quid si Dæmon assignaret pro causa sui ingressus, obses-
„ sum invalide fuisse baptizatum, an hic rebaptizandus esse sal-
„ tem sub conditione? Ex una parte videtur esse negandum,
„ quia nulla Dæmoni præstanda est fides. Ex alia videtur af-
„ firmandum, quia Dæmon ex vi Exorcismi tenetur patefacere
„ veritatem. In hac difficultate rationabiliter opinantur *Salm.*
„ *n.* 69. hunc non esse rebaptizandum, nisi aliunde adsint va-
„ lidæ conjecturæ non accepti baptismi, nempe si Baptizans
„ fuerit Maleficus, vel hæreticus, vel muliercula parum in-
„ structa, vel acer inimicus Parentum Baptizandi, qui dixerit,
„ velle ulcisci, & similia.

„ Exorcista autem ut obsessus vere liberetur, sedulo curet
„ sequentia observare. 1. Prius bene exploret, an ille revera
„ obsideatur a Dæmone. 2. Muniat se fide, fiducia, & cha-
„ ritate, insuper & oratione, & jejunio, & maxime humili-
„ tate alias parum proficit. 3. Inducat Obsessum ad Confes-
„ sionem, confidentiam, & orationem. 4. Utatur Exorcismis
„ in Ecclesia Romana, vel saltem in sua Diœcesi approbatis.
„ Utatur etiam invocatione nominum Jesu, Mariæ, item si-
„ gno S. Crucis, ac Reliquiis Sanctorum, aut Aqua benedicta,
„ Agnus Dei &c. 5. Caveat, ne cum Dæmone jocetur, sed
„ potius pauca proferat, & non permittat ei plura loqui, sed
„ imperet tacere. 6. Caveat etiam, ut advertit *Rituale*, ne
„ ob dictum Dæmonis, confugiat ad Magos, ut Maleficum
„ dissolvant. Jubeat tamen Dæmonem dicere, an ibi sit ob
„ maleficium; & ut signa malefica reddat, vel revelet. 7. Regula-
„ riter Exorcismum faciat in Ecclesia, januis apertis, nisi ho-
„ nesta adsit causa (ut dicitur in Rit.), ut fiat domi. 8. Ex-
„ cludat mulieres, pueros, & viros otiosos, quorum modica
„ fides expulsioni obstare potest. 9. Repetat pluries commina-
„ tionem, & verba, quibus observat Dæmonem magis angi,
„ semper augendo pœnam. Demum advertat nulla adesse signa
„ infallibilia egressus; probabilia tamen signa sunt, si per lon-
„ gum tempus obsessus sit a molestiis immunis; item Dæmo-
„ num confessio, ingens vomitus rerum putridarum, vel hali-
„ tus valde fœtidus: item magni clamores, qui ibi audian-
„ tur; item si obsessus remaneat in terram dejectus & quasi
„ mortuus, ac similia. Probabilius non licet concedere Dæmo-
„ ni, quod invadat aliud corpus hominis, vel bestiæ, ut exeat
„ ab energumeno, sicut ille promittit, ut censet Elbel &c.

„ Communiter autem dicunt DD. Exorcismos habere vim

infal-

„ infallibilem expellendi Dæmones tanquam ex opere operato.
„ Nec obstat, quod plures exorcismi effectum non habeant;
„ nam, ut dicunt *Salmanticenses*, semper aliquem effectum
„ sortiuntur, si non complete, saltem imperfecte, vires Dæ-
„ monum attenuando. Vide alia apud *Del-Rio*, *Stoiber &c.*
„ fuse de hac materia tractantes.

ARTICULUS III.

De Voto.

§. I.

Quid & quotuplex sit Votum?

552. *Quær.* I. *Quid sit votum?* R. *Est promissio deliberate Deo facta de bono meliore*: ita *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 1. & 2. *S. Antonin.* & communis. Explicationem vide n. 554. & seq.

553. *Q.* II. Quotuplex sit Votum? R. 1. Aliud est *Absolutum*, aliud *conditionatum*. *Illud* est, quod fit sine adjecta conditione, v. g. Voveo eleemosynam. *Hoc* autem, quod fit cum conditione apposita v. g. Voveo eleemosynam, si restituar sanitati. Huc reducitur *votum pœnale*, quando conditio additur in pœnam, v. g. voveo eleemosynam, si posthac aleis lusero. 2. Aliud est *solemne*, quod fit cum solemnitate scil. vel per susceptionem sacri Ordinis, vel per professionem Religiosam. Juxta *Busemb.* solemnitas in eo consistit, quod ut tale admittatur ab Ecclesia; hinc ejusmodi votum non tantum ex intentione voventis, sed etiam ex speciali acceptatione Ecclesiæ perpetuitatem, & maximam firmitatem habet. *Palao* t. 15. d. 1. p. 10. Aliud *simplex*, quod talem solemnitatem non habet. Votum solemne reddit personam jure inhabilem ad contractus vel actus contra votum, v. g. ad matrimonium, vel dominium bonorum temporalium habendum. De votis simplicibus Soc. Jesu vide Bullam *Greg. XIII. Ascendentes*. 3. Dividitur votum in Reale, Personale & Mixtum. *Reale* est, quando pecunia vel res alia externa pretio æstimabilis v. g. calix promittitur. *Personale* est, quando aliqua actio humana, vel omisso actionis in propria persona promittitur, v. g. jejunium, peregrinatio, abstinentia a lusu. *Mixtum* est, quando res & actio promittitur, v. g. si qui voveat peregrinari Lauretum, ibique offerre calicem argenteum.

§. II.

Principia generalia de Votis.

554. *Principium I.* Juxta *S. Th.* l. c. a. 1. in ⊖, *ad votum tria ex necessitate*, h. e. essentialiter, *requiruntur*: *Deliberatio*, *Propositum voluntatis*, *& Promissio*, *in qua perficitur ratio voti*. Hinc primo loco in definitione ponitur promissio, h. e. firma & con-

& constans voluntas se obligandi ad aliquid agendum vel omittendum, ita ut a promissario videl. Deo jus acquiratur; sic votum differt a nudo proposito, quod est simplex voluntas aliquid faciendi vel omittendi sine animo se obligandi. Ita *Comm.* Vide c. *literaturam*. 3. de voto & voti redemt. *Ratio* est; quia votum est quædam lex privata, quam vovens sua sponte sibimet imponit, eaque se obligat Deo. Ideo ex defectu voluntatis sive intentionis se obligandi 1. nullum esset votum, dum quis exterius tantum profert verba votum significantia absque animo promittendi, v. g. si positive excludat obligationem, quia absolute non vult obligari, vel si se habeat negative hoc sensu, quod nec expresse, nec implicite velit obligari, quia ob invincibilem ignorantiam nescit voto essentialiter annexam esse obligationem; incogniti enim nulla voluntas, & error circa substantiam rei vitiat actum: atqui voluntas se obligandi est de substantia voti validi; ergo eam obligationem ignorans, adeoque eam nullo modo, nec directe, nec indirecte volens, vel positive excludens destruit essentiam voti; ergo nec emittit validum votum. *Laym.* L. 4. t. 4. c. 1. n. 1. cum *Sanch. Suar.* & *Valent.* 2. Si quis conscius obligationis ex promissione exurgentis, verba votum significantia proferendo, tantum negative se haberet non eliciens actum volendi se obligare, valide voveret; quia hoc ipso, quod voluntarie emittat votum conscius annexæ obligationis, censetur virtualiter, & implicite velle ipsam obligationem. Ita *Sporer* t. 3. in 2. præcept. Decal. c. 2. n. 7. ubi addit, quod, si quis conscius obligationis promittendo ex malitia positive nollet obligari, juxta probabiliorem valide non voveret, quia contraria voluntas positiva destrueret essentiale voti, scil. intentionem se obligandi. 3. Qui vovet cum intentione se obligandi, at non implendi votum: vovet quidem valide, sed illicite, ideoque talis vere obligatur. Hinc is, qui sacris ordinibus initiatur, animo tamen non servandi castitatem; voto sacris ordinibus annexo vere obligatur. *Laym.* l. c. n. 2. cum *Soto*, *Suarez* & aliis.

555. In definitione 2. loco ponitur *deliberate*; quæ particula indicat, ad votum requiri deliberatum & liberum voluntatis consensum, & talem quidem, qualis sufficit ad peccatum mortale. Ita *Laym.* l. c. n. 3. cum gravissimis AA. *Sporer*, *Babenst.* contra *Valent. Sayr.* qui requirunt diuturnam, & plenam & maturam deliberationem intellectus expendentis omnes circumstantias. Pariter ea ætas & usus rationis ad vovendum sufficit, quæ satis est ad peccatum mortale, juxta *Gloss.* enim in c. mulier C. 23. q. 2. qui se potest obligare diabolo, potest etiam se obligare Deo: excipe professionem religiosam, quæ ante decimum sextum ætatis annum emissa invalida est, juxta *Trid. Sess.* 25. *c.* 15. *de Regul.* Itaque 1. requiritur deliberatio; tum quia votum est actus humanus: tum quia obligationem gravem nemo censetur

sibi velle imponere, nisi eum cognoverit & elegerit. 2. Non requiritur major deliberatio, quam quæ sufficit ad peccatum mortale: tum quia ad essentiam voti eadem deliberatio sufficit, quæ sufficit, ut sit actus perfecte humanus, atqui ad hoc sufficit talis deliberatio, quæ satis est ad peccatum mortale: ergo. Nimirum satis est, ut quis sciat obligationem voti, & advertenter judicet, hanc materiam esse voto competentem, & velit Deo facta hac promissione placere. *Sporer l. c. n.* 21. *Confirm. ex c. dudum, de conversi. conjug.* ubi innuitur, votum ex calore iracundiæ conceptum esse validum, modo talis passio rationis usum non auferat, licet facultatem plenius ac perfectius deliberandi impediat. Vide etiam c. 2. *de voto*, ubi *Alexander* III. votum peregrinationis Hierosolymitanæ in puerili ætate, facilitate potius, quam discretionis arbitrio factum commutat; ergo hoc ipso fuit validum; ergo ad votum non requiritur tam exacta deliberatio, ut perpendat vovens omnes circumstantias; sicut non requiritur, ut peccans prius exacte turpitudinem offensæ, pœnarum æternitatem &c. examinet, sed satis est, si sciat, hoc esse graviter prohibitum, quod libere eligit. Vide dicta *n.* 283. Ex his patet, quod vota ebrii, dormientis, amentis nulla sint. An facta timore & ignorantia valeant, dicemus in resol. cas.

556. Tertia conditio requisita est, ut *promissio fiat Deo*, hoc etiam actu mere interno fieri potest, dummodo deliberate fiat. *Ratio* hujus conditionis est, quia votum proprie dictum est actus religionis, & quidem latriæ, quo homo speciali cultu se principaliter Deo obligat ad aliquid agendum, vel omittendum. Hinc qui vovet B. Virgini vel Sanctis, censetur implicite vovere Deo hoc sensu: promitto vel voveo Deo omnipotenti coram B. Virgine, Sancto Patrono meo, aliisve Sanctis tanquam Testibus, Advocatis, & Intercessoribus apud Deum. Ita *Suarez*, vel hoc sensu S. *Th. l. c. n.* 5. *ad* 3. *ut promissio facta Sanctis vel Prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scil. homo vovet Deo se impleturum, quod Sanctis vel Prælatis promittit.* Vel clarius juxta alios: Vota fiunt Sanctis non absolute, & in se, sed ut relatis ad Deum, & quatenus in eis specialiter Deus relucet; sic revera primario Votum fit soli Deo, secundario autem tantum in honorem alicujus Sancti, vide dicta *n.* 413. *de templ. & altarib.*

557. *Princip. II.* Ad materiam voti tria necessario requiruntur: 1. ut illud, quod promittitur, sit voventi *possibile*; quia ad impossibile non datur obligatio. Ita *Laym. l. c. c.* 2. *n.* 1. *& Comm.* Hinc invalidum est votum directe emissum de facto alieno v. g. voveo Petri nomine, ut is ingrediatur religionem: *Ratio* est, quia factum liberum alterius non est in potestate voventis. Valet tamen votum indirecte de facto alterius emissum, v. g. si parentes sub voto offerant filios suos huic vel illi religioso ordi-

ni,

ni, sensus est, quod velint curare, quantum in ipsis est, & disponere, ac persuadere filiis, ut ingrediantur religionem; sic non alienum, sed proprium factum promittitur; filii tamen non obligantur tali voto a parentibus emisso, nisi vel intelligentes consentiant, vel postea ratificent. *Laym. l. c. c. 3. n. 7.* Invalidum quoque est votum de facto moraliter vel physice impossibili, v. g. nunquam toto vitæ tempore peccandi, ne venialiter quidem; quia spectata fragilitate humana post lapsum hoc videtur moraliter impossibile, & ad hoc exigitur extraordinarium Dei auxilium, ut quis evitet omnia peccata, quæ fiunt ex subreptione, vel cum deliberatione imperfecta. *Laym. l. c. c. 2. n. 1.* cum *Suar. Sanch. Azor* & aliis contra *Angles*. Valet autem votum vitandi omnia mortalia, item non consentiendi plena animi deliberatione in veniale, vel vitandi certa peccata venialia in specie determinata v. g. nunquam mentiendi, nunquam sine gravi necessitate jurandi, & similia, NB. quorum evitatio non est nimis ardua (secus, si ea esset valde ardua v. g. nunquam habendi distractionem in oratione, cogitationem otiosam &c.) *Ratio* est, quia illa possibilia sunt homini cum ordinaria Dei gratia; quamvis iis non expediat, talia vota edere, quibus nimis difficilia sunt.

558. 2. Ex parte materiæ requiritur, ut res promissa sit *moraliter bona*, & honesta vel absolute, & in se, vel ex fine voventis, vel ex circumstantiis. Comprehenduntur hic actus positive boni v. g. actus variarum virtutum, omissiones actuum malorum, item actus circa consilia evangelica, imo etiam actiones vel omissiones, quæ sunt de præcepto. *Ratio est*, quia necessitas præcepti observandi non est, nisi sub conditione finis; si homo peccatum evitare, & salutem consequi velit; ergo voluntas manet simpliciter libera ad opus præceptum faciendum vel omittendum; ergo homo prudenter potest se magis determinare per votum ad observationem præcepti, ut duplici obligationis vinculo adstrictus non nisi bene agat, & intra terminos honestatis contineatur. Nec implicat, debitorem ex diversis titulis ad idem obligari. Porro qui vovet Deo rem indifferentem, ita ut maneat indifferens, nec ex motivo alicujus virtutis fiat honesta, & bona; venialiter peccat (ipsum autem votum nullum est) quia res indifferens non est Deo positive ingrata, sed tantum non grata. Qui vovet rem mortaliter malam, vel propter finem mortaliter malum, peccat graviter (& ipsum votum pariter irritum est.) quia est gravis irreverentia, offerre Deo id, quod ipsi summe displicet. Ex eadem ratione non pauci affirmant, illum peccare graviter, qui Deo vovet rem venialiter malam; quia vovens ipso facto videtur dicere, ideo se hanc rem promittere, quia Deus eam approbat tanquam sibi gratam, si quis vere ita cogitaret promittendo, non videtur excusandus a gravi peccato; plerumque tamen Tò *voveo* in re vel

fine turpi non significat votum, sed juramentum: hac ratione si materia sit levis, peccatum erit leve. *La Croix hic n.* 424.

559. 3. Id quod promittitur debet esse *de meliore bono*: h. e. actio, quæ promittitur, debet esse melior per se loquendo, Deoque gratior, quam ejus omissio, item id, quod vovetur, debet esse melius per se loquendo, quam ejus oppositum. *Ratio est*; quia, cum Deo magis placeat majus bonum, quam oppositum minus bonum, illi acceptum non erit, si homo se obliget ad minus bonum, hoc ipso enim se obligaret ad omittendum majus bonum, quod Deo acceptum non est: ergo nec censeri potest, ejusmodi promissionem tanquam validam & prudentem acceptare. Intelligitur autem melius bonum non absolute, & simpliciter: alias votum semper deberet esse de re perfectissima, sed de meliore comparative ad oppositum. Ideo, quia per se melius est servare consilia Evangelica, quam non servare, non valent vota his opposita v. g. de non danda eleemosyna, de non ingrediendo religionem, de ineundo matrimonio etiam cum paupere sub titulo pietatis; quia per se melior, Deoque gratior est cœlibatus cum castitate. Validum tamen esset hoc votum conditionatum; si matrimonium inire voluero, contraham cum hac paupere; quia supposita voluntate nubendi, Deo gratius est nubere pauperi, quam alteri. Ita *Schmalzgr. l.* 3. *t.* 34. *n.* 30. *Dixi, per se loquendo*: quia per accidens res de melior, quam ejus omissio, aut oppositum potest ex circumstantiis esse minus bona: sic vovere eleemosynam, vel ingressum religionis minus bonum est, si tenearis prius solvere debita, aut alere parentes pauperes. Ita *Jansen. de voto n.* 5. cum *Sanch.* & communiori.

560. *Principium III.* Omne votum validum obligat ex virtute Religionis ad præstandum id, quod Deo promissum est, ideoque transgressio voti est peccatum ex genere suo mortale. *Primum est de fide*, juxta illud *Psal.* 75. *v.* 12. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Et Deut. 23. 22. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis.* Sic definitur ab *Innoc.* III. *c. licet* 6. *de voto. Ratio secundi est*, quia obligatio voti oritur ex virtute Religionis, & fidelitatis Deo præstandæ; ergo ex se gravis est, ejusque transgressio ex genere suo potest esse mortalis.

561. *Principium IV.* Pro Interpretatione voti, an graviter vel leviter obliget? observa sequentes regulas: *Prima: Votum obligat secundum intentionem voventis. Ratio est*, quia votum est lex privata a vovente sibi voluntarie imposita; ergo sicut lex non obligat ultra intentionem legislatoris, ita nec votum ultra intentionem voventis. *Exipe vota solemnia, & simplicia Societatis Jesu*, quæ cum non a solo vovente, sed simul a constitutione Ecclesiæ dependeant, non est in potestate voventis, illorum obligationem mutare, ideoque hæc in materia gravi obligant

ligant graviter, in levi leviter. Ubi excipe iterum votum castitatis, in quo non datur parvitas materiæ. In reliquis vero votis simplicibus vovens se potest obligare tantum sub veniali, vel etiam sub sola pœna ad materiam gravem: ad materiam autem *simpliciter* levem non potest se obligare graviter; disp. est: tum quia Deus non acceptat materiam levem ad obligationem gravem, non enim conduceret ad salutem, sed ad periculum animæ, adeoque Deo gratum esse nequit: tum quia materia levis non est capax obligationis gravis: materia autem gravis gravem obligationem sustinet, ergo etiam levem. *La Croix hic n.* 429.

562. *Secunda. Si de intentione voventis non constet, attendendum est ad materiam: si illa gravis sit, votum obligat sub mortali; si levis, sub veniali: ea autem materia censetur gravis, quæ sub peccato gravi a lege divina, vel Ecclesiastica præcipi solet*, v. g. jejunium unius diei, confessio, communio, auditio missæ &c. *Laym. l. c. c.* 3. Materia autem levis respectu legis, etiam est levis respectu voti v. g. 3. Pater; & Ave, Litaniæ B. V. &c. quia quilibet promittens censetur eo modo se voluisse obligare, sicut rei promissæ natura postulat. *Laym. l. c. n.* 3. cum *Soto*, *Navarr.* & Comm. contra Card. *Cajetanum* & *Toletum*, qui defendunt, quod votum etiam de re levi obliget graviter, ex ea ratione, quod infidelem esse Deo, semper sit grave.

563. *Tertia*. Si nec ex intentione, nec ex materia dubium resolvi queat, obligatio secundum verborum, quibus vovens usus est, proprietatem, & usitatam acceptionem, interpretanda est. *Laym. l. c. n.* 3. *Vide dicta Tr.* 1. *n.* 62. & 63.

564. *Quarta*. Si nec ex intentione, nec ex materia, nec ex verbis dubium resolvi queat, votum & juramentum benigne h. e. in favorem voventis est interpretandum; ita ut possit eligere, quod minus est: quia libertas est in possessione. *Confirm. ex L. quidquid adstringendæ 99. ff. de verb. oblig.*

565. *Quinta*. Si vovens certum tempus non designaverit, debet implere votum, quamprimum (moraliter loquendo) congrue & commode, h. e. sine notabili incommodo, obligationi satisfacere potest, juxta illud *Deuter.* 23. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Quamdiu autem sine peccato differi possit executio voti, ex circumstantiis, & prudenti judicio determinandum est. Sufficiens causa differendi tale votum est, si spes sit, fore ut votum postea commodius, utilius, & devotius impleatur; id enim cedit ad majorem Dei honorem, & beneplacitum, quo tendit votum. *Sporer l. c. n.* 112. Quando autem vovens certum tempus determinavit præcise ob peculiarem connexionem cum tali die, vel tempore, obligatio est pro determinato tempore, ita ut peccet tunc non implendo promissum; obligatio tamen

extinguitur cum die, ut postea non teneatur implere. *Sanch. c. 4. mor. C. 14. n. 25. Ratio est*, quia hoc votum per modum unius copulatim comprehendit rem promissam, æque principaliter ac circumstantiam temporis tanquam voto intrinsecam; ergo cum illo tempore transacto impossibile sit votum observare cum hac intrinseca circumstantia, tota obligatio cessat. V. g. Vovisti sacram communionem festo S. Apolloniæ ob devotionem contra dolores dentium, vel vovisti anno sancto peregrinationem ad limina Apostolorum, transacto illo die, vel anno cessat obligatio voti; si voto culpabiliter non satisfeceris, peccasti mortaliter. *Spor. l. c. n. 102. & 103.* Si vero obligatio non fuerit affixa diei ob specialem aliquam rationem, & connexionem cum determinato tempore, tunc obligatio cum die non extinguitur; quia determinatio temporis non fuit finis æque principalis Voti, sed secundarius tantum, ne nimis diu differatur executio, ideo juxta *Laym.* & *Sanch.* ejusmodi votum non comprehendit circumstantiam temporis, & rem promissam per modum unius, sed virtualiter sunt duo vota, scil. de hac re facienda, & non differenda: ergo quando non impletur hoc tempore, peccatur, ita tamen ut res debeat adhuc præstari. Juxta *Jansen. de Voto n. 15.* dilatio executionis voti probabiliter non excedit veniale, nisi ea, quæ fit usque ad periculum oblivionis vel impotentiæ implendi.

566. *Sexta*. Si voto nullus finis, vel nullum certum tempus præfixum sit, v. g. voveo deinceps castitatem, abstinere a vino &c. censetur votum perpetuum. *Palao hic p. 12. n. 22.*

§. III.

Resolvuntur Casus.

Beatrix se accusat, quod votum violaverit: quærit confessarius; quodnam illud? respondet Beatrix: nuper ægrota dixi: O Domine, redde sanitatem, & vivam caste. Item coram imagine B. V. dixi: O purissima Virgo, promitto tibi meam virginitatem in perpetuum. Hucusque autem seducta fui ab Adolescente valde divite, cui etiam libenter nuberem.

567. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si pœnitens absolute dicat, quod votum violaverit? *R.* Cum simplices, & juniores frequenter erronee existiment, serium propositum esse votum; ad cognoscendum, an pœnitens vere votum emiserit, necesse est, ut inquirat: 1. Quibus verbis usa fuerit Beatrix? 2. Qua intentione verba protulerit, an videlicet vere se obligare voluerit. 3. Spectatis verbis, & intentione an votum ex alio capite invalidum sit. Pro memoria sequens compendium observet, scil. *Nullum esse votum* 1. *sine voluntate aut potestate se obligandi.* 2. Si *involuntarium*, vel alio ex errore circa substantiam, ut probabi-

habitur infra. 3. Si *indeliberatum* v. g. ex motibus primoprimis. 4. *Ex ignorantia*: quid sit votum, & quod obliget. 5. Si *promissio nec expresse, nec implicite facta sit Deo*. 6. Si *de re mala*, vel *indifferente* ut tali, vel *bona quatenus impeditiva melioris*. His adde sequentes regulas: Votum *dubium* non obligat. *Certum* obligat secundum proportionem materiæ convenienter dictis n. 561.

568. *Q.* II. An Beatrix vere voverit dicendo: o Domine, redde sanitatem, & vivam caste? &c. Resolutio pendet ex intentione Beatricis. Juxta *Sanch. L. 4. mor. c. 1. n. 35.* quantum verba sonant, videtur esse votum, quia pactum continent non secus, ac si dicerem: faciam hoc, si feceris illud, vel promitto me facturum, si feceris; adeoque si sit dubium, an utens hisce verbis habuerit intentionem se obligandi, præsumendum est habuisse, quia dixit verba, quæ de se pactum significant. *Confirm.* ex communi sensu fidelium; qui si quid in gravi necessitate constituti facere decreverunt, postea e periculo erepti conscientiæ sibi ducunt, non solvere promissum, etsi expresse non dixerint, promitto, voveo, me obligo &c. Negari tamen non potest, quod plurimi nesciant, hæc, aliave similia verba continere pactum: hi si dubitent, an intentionem se obligandi habuerint, censeri possunt, non voviisse. Sic facile conciliantur diversi AA.

569. *Q.* III. An secunda promissio Beatricis sit verum votum? &c. cum *Gobat Alph. quadrupl. p. 1. de voto, casu 10. n. 237.* & *Sanch.* in hoc frequenti casu pœnitens debet reflexe interrogari, an ejusmodi verba proferendo tantum cogitaverit de B. V. vel alio Sancto, & non de Deo: si ita affirmet, non fuit votum proprie dictum, ergo nec reservatum summo Pontifici, sed dispensabile ab Episcopo, vel Privilegiato, quia saltem est promissio sacra, & actus Hyperduliæ vel duliæ: si enim B. Virginem, & Sanctos licite possum colere cultu sacro in contestationem eorum excellentiæ supernaturalis, & gloriæ, cur non liceat eis aliquid promittere ad honorandam eorum excellentiam supernaturalem? ergo tale promissum sacrum etiam cadit in debitum sacrum. *Sporer hic n. 32.* Si vero pœnitens dicat, se quidem cogitasse de Deo, sed solum intendisse promittere B. Virgini, iterum non est votum proprie dictum juxta dicta; in dubio præsumendum est verum votum, quia secundum communem usum talia verba diriguntur ad Deum in honore Sancti.

570. Pro resolutione dubiorum circa intentionem promittendi Adverte I. Quando quis statim post prolata verba quæcunque dubitat, an voluerit vere promittere aliquid, an vero tantum proponere, potest probabilius judicare, se non voviisse; voluntatis enim deliberatæ se obligandi ad aliquid nemo tam facile, & cito obliviscitur; hanc regulam tradit *Sporer hic n. 19. ex Valentia in 2. 2. d. 6. q. 6. p. 1.*

571. II. Non requiritur ad votum validum semper actualis intentio, sed sufficit virtualis. Sic Novitius post Novitiatum illa die, qua ad emittenda vota religiosa admittitur, mane faciens intentionem actualem vovendi, valide vovet, etsi post actualem intentionem distrahatur, angatur, & coram superiore suo tam distracte verba votorum ex tabella legat, ut nullam amplius habeat actualem intentionem vovendi; quia actualis intentio, quam prius habuit, & non revocavit, virtute adhuc perseverat in effectu, scil. in accessu ad altare, & votorum lectione. Non autem valet votum indirecte tantum volitum in causa v. g. si quis sciat, quod soleat in ebrietate multa hominibus, vel Deo promittere, & nihilominus se inebriet; si ante ebrietatem non consentiat in obligationem; posito, quod in ebriete voveret, non tenetur voto. Quia tum nequidem adest virtualis intentio vovendi. Ita *Laym. de Vot. c. 1. n. 4.* addit *La Croix de Vot. n. 368.* cum *Gobat* & *Illsung*: Si vero ante ebrietatem jam consentiat in obligationem, tenetur voto; quia tum adest directa, licet virtualis tantum voluntas se obligandi.

Si dicas: Qui prævidet, se occisurum esse hominem in ebrietate, vere committit homicidium, si in ebrietate occidat hominem; ergo a pari. R. *N. Conf.* Quia ad peccatum sufficit, ut sit indirecte, & in causa voluntarium: Malum enim oritur ex quolibet defectu: bonum autem, quale est votum, debet esse tale ex integra causa. Hinc qui vult actum malum, cui prævidet annexum esse aliud malum, prudenter censetur velle utrumque; qui autem vult tantum promissionem verbalem, non propterea coram Deo censetur velle obligationem, neque per hoc habet intentionem vovendi; ita *Suarez*.

Casus II.

Benedictus religionem vovet ex metu mortis, quam intentavit ejus frater, nisi repudiata hæreditate religionem voveret: postea consulit Confessarium, an hoc voto teneatur; paulo post Benedictus in morbum lethalem incidit, iterumque ex metu mortis vovet ingredi ordinem Carthusianorum: morbo liberatus dum audit, in hoc ordine perpetuo abstinendum esse ab esu carnis, horret, inquiens: si hoc scivissem, nunquam vovissem.

572. *Q.* I. An Benedictus teneatur voto ingrediendi religionem, quod ex gravi metu emisit? R. Jure positivo Ecclesiastico est invalidum. Patet ex *c. perlatum 1. de his, quæ vi, metusve causa fiunt: Ratio est*. Quia si hoc votum esset validum, obligaret ad professionem invalidam; esset enim coacta, sicut votum; atqui ad invalidum actum non datur obligatio; ergo. Vide *Trid. Sess. 25. C. 18. de Regul.* ubi anathemati subjiciuntur illi, qui quomodocunque virginem, vel aliam mulierem injuste coegerint ad ingrediendum monasterium, vel ad emittenda pro-

professionem. *Ibid.* C. 19. statuitur, ut is, qui ex metu gravi injuste incusso, emisit professionem, & religionem iterum vult deserere, intra quinquennium a die professionis superiori suo & ordinario rite probet metum juste incussum, nec habitum sponte, ac inscio superiore deponat.

573. *Q.* II. An votum ex metu mortis ab ægroto Benedicto factum sit validum? R. *affirmative*, quia nec injuste, neque directe ad extorquendum votum est incussus ille metus; sed ipse ægrotus illud voluntarie ellegit, ergo. *Vide dicta n.* 227. Universim de metu observa 1. si quis metu adimente usum rationis, & necessariam discretionem ad vovendum coactus fuerit, jure etiam naturali irritum est votum, quod tamen facile præsumendum non est; quia raro tollitur sufficiens usus rationis. *Laym. l. c. n.* 3... 2. Si votum fiat ex metu ab intrinseco vel a causa naturali v. g. morbo, naufragio, valet; hinc si voveas religionem, vel castitatem extra religionem, ut evadas mortem, infernum, vel infamiam &c. teneris voto, utpote quod tibi est simpliciter voluntarium. Metus enim iste a propria apprehensione excitatus nec aufert libertatem, nec injuste, nec directe est incussus ad extorquendum votum. 3. Si votum fiat ex metu *ab extrinseco* incusso, ita tamen ut *directe* non extorqueatur votum, adhuc valet, v. g. si ad evadendum manus latronis, vel inimici mortem intentantis, Deo voveas perpetuam castitatem, validum erit votum; quia hic metus non fuit inculsus eo fine, ut voveas, sed occasione metus injuste incussi tu sponte elegisti votum, ut medium evadendi. 4. Nullus metus injuste & directe incussus ad extorquendum votum, illud reddit invalidum, spectato jure naturali, vel divino (ut docet probabilior sententia apud *Sanch. L.* 4. *in Decal. c.* 3. *n.* 9. contra probabilem *Soti ibi cit.*) quia metus quicumque actum voventis simpliciter relinquit voluntarium: vide *Pichler L.* 3. *Decret. t.* 3. 4. *n.* 4. Jure tamen positivo Ecclesiastico vota Religiosæ professionis ex metu injuste incusso irrita sunt juxta *dicta n.* 572. Probabiliter id non videtur extendendum ad alia vota, quia de iis ibi nulla fit mentio. Ita S. Antonin. Sotus, Palao, & alii. Nihilominus in praxi tuta videtur esse sententia, quod etiam reliqua vota ex metu injuste incusso facta sint irritta. Ita *Sanchez l. c. n.* 11. cum plurimis gravissimis AA. Non enim præsumendum videtur, quod Deus ejusmodi vota acceptet; alias vim daret injustæ coactioni.

574. *Q.* III. An Benedictus obligetur ingredi ordinem Carthusianorum? R. Non obligatur. Quia ignorantia & error versatur circa circumstantiam magni momenti, qua cognita (ut supponitur) ille non emisisset votum. *La Croix hic n.* 378. In similibus casibus attendendum est ad sequentes regulas: Invalidum est votum 1. si quis ignoret, aut erret etiam culpabiliter

ter circa substantiam voti, 2. vel circa circumstantias magni momenti, quas si nosset, non voveret (excipe votum professionis solemnis, quod instar matrimonii ob nullum errorem nisi ad substantiam rei promissæ pertinentem infirmatur, idem affirmat *Laym. l. c. n.* 8. cum *Sanch.* de votis simplicibus Societatis Jesu) 3. vel circa causam finalem, sive motivum vovendi, v. g. si voveas Paulo dare eleemosynam, quem erronee putas esse pauperem, cum tamen dives sit, irritum est votum; quia finis intrinsecus eleemosynæ est sublevatio miseriæ proximi: ergo cum in dato casu cesset finis eleemosynæ, etiam nullum est votum de danda eleemosyna. *Ratio* horum est: quia valor voti dependet a voluntate voventis, & quidem directa, atqui hunc tollit ignorantia vel error in dictis casibus, cum non relinquat nisi voluntarium indirectum, & in causa: ergo. *Filliuc. t. 26. c. 1. n. 21.* contra *Sanch.* Econtra valet votum ex errore vel ignorantia emissum, si error tantum versetur circa accidentalia rei promissæ, vel circumstantias exigui momenti (ex supposito, quod vovens suam intentionem iis non alliget expresse) vel circa causam mere impulsivam. V. g. Voves eleemosynam dare Petro, quem putas esse pium, sed postea experiris illum esse improbum, teneris voto: quia circumstantia improbitatis non afficit substantiam eleemosynæ, quæ dari potest probo æque ac improbo: aliud foret, si dixisses: Voveo Petro eleemosynam, si sit probus, quod votum conditionatum non subsistisset non subsistente conditione. *La Croix l. c. n.* 378. Porro illa circumstantia est tanti momenti, ut votum infirmet, juxta *La Croix hic n.* 377. *cum Gobat*, quæ homines paris conditionis soleat retrahere a vovendo; vel si vovens ex fine voti, aut aliunde vero similiter possit conjicere, se ita constitutum fuisse, quando promisit, ut promissurus non fuisset, si hæc vel illa circumstantia cognita fuisset. Recte tamen *Babenst. t. 5. d. 3. a. 3. n.* 24. ait cum *Suarez*, certam ac generalem regulam dari non posse, sed opus esse pro variis hominum conditionibus prudentis arbitrio.

Casus III.

Beda vovit jejunium integræ hebdomadis; at die Martis propter duros labores jejunare non potest: alias vovet jejunium in pane & aqua, quod tamen inadvertenter, bibendo vinum apud amicum, violat. Idem ante semestre vovit peregrinationem Walthuram, quam propter negotia hucusque distulit, cui voto nunc per alium satisfacere cogitat.

575. *Q.* I. An Beda contra votum peccaverit non jejunando propter graves labores? R. Si vere fuerint tales labores, qui per se a jejunio excusant, non peccavit; quia prudenter præsumitur votum jejunii non aliter fecisse, nisi ad modum, quo obligat jejunium Ecclesiasticum: atqui hoc non obligat eos,

qui

qui gravibus laboribus defatigantur: ergo. Ex eadem ratione, qui vovet singulis anni diebus jejunare, non obligatur ad jejunandum diebus Dominicis, nec die Nativitatis Christi, aut dum attigit annum sexagesimum; nisi expresse aliter se obligare intenderit: Ordinarie autem non censetur se voluisse obligare contra receptam Ecclesiæ consuetudinem. *La Croix hic nu.* 438. cum multis.

576. *Q.* II. An Beda hoc ipso, quod die Martis non poterit voto satisfacere, reliquis diebus liberetur ab obligatione? R. Beda tenetur diebus reliquis jejunare, quibus potest. Pro ratione tradit *Laym. l. c. c. 2. n. 3.* sequentem regulam ex *Suar.* & *Sanch.* si votum sit partim de possibili, partim de impossibili, attendendum est, an partes voti sint divisim promissæ, & sine dependentia inter se, ita ut partes singulæ v. g. singuli dies hebdomadæ in nostro casu, fuerint per se materia voti virtualiter multiplicis, tunc facta una parte impossibili, vel inepta v. g. jejunio pro die Martis; votum adhuc obligat secundum partem aptam & possibilem v. g. jejunium possibile pro reliquis diebus, quia juxta *reg. jur. 37. in 6. utile per inutile non debet vitiari.* Sic qui vovit recitare decem rosaria, si nequeat orare omnia, tenetur ad ea, quæ potest, nisi constet, aliam fuisse mentem voventis, quæ primario semper respici debet. Econtra si partes totius collective, & per modum unius fuerint promissæ (quod tunc censetur contingere, quando partes inter se vel ex natura rei, vel ex usu hominum ordinarie copulari solent) tunc facta una parte inepta, illicita, vel impossibili, cessat tota obligatio etiam quoad reliquas partes; quia non fuit intentio voventis observare unam partem absque altera. Sic, qui vovit ædificare Ecclesiam, postea superveniente paupertate non tenetur ad partem possibilem v. g. ad ædificandam capellam; qui vero vovit mille aureos dare ad pias causas, si postea non possit largiri totum, debet dare, quantum potest. *Laym.* l. c.

577. *Q.* III. An Beda peccaverit inadvertenter bibendo vinum contra votum? item an nihilominus teneatur adhuc jejunare? R. ad primum, non peccavit, quia ad quodlibet peccatum requiritur advertentia ad obligationem. R. *ad* 2. tenetur adhuc jejunare, quia abstinentia a vino est tantum accessorium ad jejunium, quod censetur esse principale respectu talis voti. Hinc in ejusmodi casibus observanda est sequens regula: si cesset principale, cessat & accessorium, nisi expresse alia fuerit mens voventis; econtra cessante accessorio non cessat principale, quia principale directe & primario præsumitur intendi a vovente. Ita *Jansen. de voto n.* 13. cum *Suarez*, *Sanch. Palao*, & *Laym.*

578. *Q.* IV. An Beda peccaverit mortaliter tamdiu differendo peregrinationem? item an possit per alium obligationi satisfacere? R. *ad* 1. Non peccavit graviter, ex dictis n. 565. nam qui-

quilibet vovens talia vota censetur sub conditione tacita emittere: hoc proxima occasione faciam; nisi aliunde rationabiliter ero impeditus. Aliud tamen est de votis perpetuis, quia hæc per dilationem minuuntur; tantum enim de opere promisso detrahitur, quantum differtur votum; hinc obstrictus voto religionis sine mortali non potest ad 7. vel 8. annos differre propria culpa, quia notabile tempus subtrahitur divino servitio. Qui autem jam est annorum 60. sine juxta causa non potest ultra annum differre executionem voti; imo brevius tempus sufficiet ad peccatum mortale, si adsit periculum omittendi votum. Vide *La Croix n.* 446. R. *ad* 2. Non satisfacit voto per alium: quia votum peregrinandi supponitur fuisse personale; adeoque, si non possit in persona propria peregrinari, non tenetur constituere alium: secus, si intentio expressa fuisset, quod in suo defectu vellet alium mittere peregrinaturum.

779. Porro observa I. Si quis gratis in se suscipiat votum reale alterius v. g. de alendo paupere, probabilius peccat graviter, non exequendo votum: Eruitur ex c. *licet 6. de voto*, & *Ratio est*: Quia suscipiens in se votum grave alterius, censetur hoc ipso totam obligationem suscipere, adeoque se velle obligare graviter, sicut alter graviter obligabatur. Ita *Jansen.* contra *Cajet.* & *Henriq.*

580. II. Votum reale transit quidem ad hæredes, ut patet ex c. *Si hæredes 6. de testam.* Hæres enim eo ipso, quod, acceptet hæreditatem, etiam cum commodis acceptat onera defuncti; ergo tacito ex pacto, & titulo justitiæ obligatur ad ea; non tamen tenetur hæres solvere vota defuncti, nisi ex eo, quod deductis aliis debitis, & expensis funebribus supereſt de hæreditate, quia de hoc solo potest defunctus disponere, vovendo vel distribuendo ad pias causas. Hæc rite exponit S. *Antonin.* P. 2. Summ. Theol. tit. 11. C. 2. §. 5. *Si est votum tantum reale, ut fundandi monasterium, vel dandi tantum pro Deo ..... tunc hæres tenetur, sicut in aliis debitis. Si autem est tantum personale ut jejunare .... hæres non tenetur, nisi sponte obligaverit se .... Si autem est simul reale & personale, & expressum utrumque, tunc tenetur ad reale, ut, si vovit ire ad S. Jacobum & ibi offerre unum equum, hæres non tenetur ire, sed offerre unum equum .... Si autem est personale & reale; sed personale est principaliter expressum, reale tantum accessorium; ut, ire ad S. Jacobum; non tenetur hæres expensas, quas feciſſet ille eundo, offerendo & redeundo, dare, sicut nec tenetur ire.*

581. III. Qui vovit peregrinari, potest id præstare eques vel pedes, quia utroque modo vere peregrinamur; imo satisfacit obligationi, quamvis simul peregrinetur ex curiositate aut ratione invisendi amicum, vel negotiorum causa, modo simul adsit voluntas invisendi locum sacrum, & revera devote visitet. *Palao* hic p. 12, n. 9.

Casus IV.

Bonosus vovet castitatem, quamvis ob consuetudinem luxuriæ judicet tutius sibi fore matrimonium: hinc postea dubitat de valore voti. Item plura vota circa materiam exiguam emisit, scil. quotidie orare De profundis, *visitare Venerabile Sacramentum, dare exiguam eleemosynam &c. quæ tamen aliquoties omnia neglexit. Denique ad evitandam ebrietatem & lusum, vovet: toties dabo pauperi ducatum, quoties me inebriavero; item voveo non amplius ludere, & si posthac lusero pictis foliis, altera die jejunabo.*

582. *Qu.* I. An primum votum Bonosi consuetudinarii in luxuria sit validum? Rs. *Affirmative:* quia castitas est absolute majus bonum etiam consuetudinario; potestque talis adhibere media, quæ abunde suppetunt ad refrænandam libidinem, & vovendo castitatem ad ista media adhibenda implicite se obligavit: ergo. Porro verba Apostoli 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quam uri*, intelligenda sunt conditionate: si quis non velit adhibere media, sicut potest ac debet. Ita *La Croix* hic n. 481. cum *Sanch. Palao*, *Moya* & aliis. Contrarium quidem resolvit *Burghaber* Cent. 1. Cas. 66. cum *Trullenchio*, *Ledesma*, *Bonac.* & aliis: nostram tamen resolutionem dicit esse communiorem & probabiliorem, additque, cautissime Confessarium procedere debere in declaranda nullitate talis voti, ne, dum unum vult juvare, plures in perniciem trahat: itaque tali suadendum est, ut petat dispensationem, quæ pro voto non solemni facile conceditur. *Confirm.* Si Adversariorum sententia in praxi teneret, ergo is, qui per culpam contraheret proclivitatem ad luxuriam, & quo magis fornicaretur, eo facilius deobligaretur a voto, quia ob consuetudinem relabendi votum desineret esse de meliori bono: atqui hoc videtur absurdum, daretur enim multis occasio & illicium luxuriandi, ut tandem excuterent votum.

583. *Q.* II. Quomodo peccaverit Bonosus negligendo vota plura circa materiam exiguam? Rs. Examinanda *primo* est intentio voventis, an compensare voluerit altero die, quod præcedente omiserat: sic non peccavit, sed tenetur adhuc satisfacere obligationi. 2. An vota parva uniantur in eodem voto per modum unius materiæ, v. g. si unico voto pro eodem die voviſſet 200. Pater & Ave, vel viginti pauperibus dare duos Imperiales, sic totum negligendo videtur peccasse mortaliter, nisi expresse aliam habuerit intentionem. 3. Si vero res parvæ promissæ sint disparatæ (uti in nostro casu sunt) aut diversis diebus annexæ, adeoque nec unibiles, non peccavit mortaliter, sed venialiter. In dubio præsumitur, quod tantum sub veniali se voluerit obligare, etiamsi levia disparata longo tempore omitteret. Ita *Jansen.* de voto n. 11.

584. *Q.* III. Quid observandum sit de voto pœnali? Rs. Vo-

tum

tum pœnale potest 1. obligare vel *ad pœnam tantum*, v. g. voveo dare florenum, quoties me inebriavero; ex his præcise verbis Bonosus censetur simplici voto se obligare voluisse ad pœnam; adeoque se inebriando non peccavit contra votum; peccat autem non dando pauperi florenum. 2. Vel *simul ad rem & pœnam*. Tale fuit votum Bonosi de non ludendo; ideoque peccat ludendo, & non jejunando post lusum, quia est duplex votum. *Quæres*. Quid? si Bonosus immemor voti, & præter intentionem se inebriasset, an obligaretur ad pœnam? R. *Negative*: quia non peccasset formaliter contra votum; ita *Sanchez* L. 4. Decal. c. 22. n. 20. juxta *Tamb.* universaliter, quando quis excusatur a voto, etiam excusatur a pœna. Si memor fuisset voti, at immemor pœnæ? Respondet *Laym.* de voto c. 5. n. 3. talem ad pœnam obligari; sicut qui novit legem latam, licet ignoret vel obliviscatur pœnam, eam tamen incurrit. Deinde quomodo quis potest esse memor voti pœnalis, & non cognoscere pœnam? Contrarium resolvunt *Diana*, *Illsung* & alii. Quid, si se inebriasset non plene, sed tantum sub levi culpa? R. Non teneretur ad pœnam, quia gravis pœna non censetur volita pro levi culpa. *La Croix* hic n. 472.

585. *Qu.* IV. An Bonosus teneatur tantum jejunare prima vice, quando pictis foliis lusit, an vero toties, quoties? R. Quod toties, quoties luserit, obligetur ad jejunium; quia sicut votum principale Bonosi de non ludendo ad omne tempus refertur; ita & votum accessorium de solvenda pœna videtur intelligendum. Sic *Laym.* l. c. n. 4. de duplicibus ejusmodi votis universaliter respondet. De simplicibus vero, & mere pœnalibus, si dubia sit intentio voventis, an se obligaverit toties, quoties, vel tantum pro prima vice, *Sanchez* l. c. n. 21. contra *Emman. Sà* tradit hanc regulam: Si pœna statuta a vovente sit gravissima, quæ iterari non solet, v. g. peregrinatio transmarina, censetur tantum pro prima vice ad eam se obligasse. Si vero pœna sit moderata, quæ iterari consuevit, v. g. jejunium, eleemosyna ordinaria, tenetur toties, quoties; sic enim communiter vovent homines, ut se efficacius a delicto præservent, id quod præcipue intendunt; ex communiter autem contingentibus est prudens præsumptio. Ita etiam *Palao* & *Illsung*.

586. Ad plurimos alios casus resolvendos *observa* I. Qui vovit absolute non ludere, non cogitando, an lusu tantum immoderato, an vero etiam moderato velit abstinere, non tenetur abstinere a moderato; quia votum in dubio in favorem voventis explicari potest, ut docet communis cum *Bonac.* *Tamb.* *Diana*, *Laymann*; secus, si expresse intellexerit lusum etiam moderatum, quia etiam ab hoc abstinere perfectius est propter mortificationem, aliosque fines honestos. *La Croix* loc. cit. n. 453.

587. II.

587. II. Circa dubia varia de obligatione voti observa, quæ dicta sunt de Consc. dubia, præsertim Principia *n.* 36. & *n.* 40. quando sit melior conditio possidentis, ex quibus 1. resolves, quod is, qui scit, se vovisse, dubitat autem, an voto satisfecerit, teneatur adhuc satisfacere: qui dubitat, an possit satisfacere, debet tentare, aut relaxationem petere; quia votum est in possessione. 2. Ut sæpe dictum, & in confessionibus rudiorum semper observandum: qui dubitat, an voverit, vel tantum proposuerit, non obligatur, quia libertas est in possessione. Plura vide num. 55. & seq.

588. III. Circa dubium commune, si quis voverit abstinere a vino, quænam portio vel quantitas vini censenda sit gravis, ut constituat peccatum mortale, respondet *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 349. cum *Palao* & *Sanch.* & assignat eam quantitatem, quæ moderate bibentibus vinum sufficit pro prandio, determinate assignat mediam mensuram (si intellexerit Franconicam, consentio) ita ut, quidquid notabiliter infra hanc quantitatem est, non excedat peccatum veniale.

589. IV. Votum conditionale non obligat prius, quam conditio posita impleatur: si conditio unice pendeat a voventis arbitrio, potest ea non poni absque peccato, nisi aliunde præcepta sit, v. g. qui vovet religionem, si per totum annum se non inebriaverit, non tenetur voto, si se inebriaverit; peccat tamen se inebriando, quia hoc aliunde prohibitum est. Si vero positio conditionis alterius arbitrio commissa sit, adhuc impediri potest, modo vis, fraus, dolus aut metus non interveniat, v. g. qui vovit Religionem, si Pater non contradixerit, poterit bonis artibus, v. g. precibus non importunis impedire consensum. Ita *Stoz* l. c. n. 352. Aliqui cum *Suarez* L. 4. de vot. c. 17. a n. 20. affirmant, votum non valere, etiamsi consensus, vel alia conditio posita a vovente per fraudem impediatur, tum quia conditio non est impleta, ergo non exsurgit obligatio voti: tum quia ipse non vovit, quod non velit ejusmodi fraude impedire consensum. Sed præferenda prima responsio: quia prudentius præsumitur, quod quilibet sub conditione voveat: si penes ipsum fuerit, nec justa causa adfuerit impediendi, ne penes ipsum sit. Vide *Laym.* circa finem c. 6. de vot. Si Pater moriatur, mors habetur pro consensu. *La Croix* hic n. 469. Denique si conditio non pendeat a voluntate, vovens debet exspectare, quamdiu conditio est probabiliter futura. *Jansen.* l. c. n. 18.

590. V. Anxiis, junioribus, & rudioribus suadendum est, ne unquam votum emittant, nisi prius consuluerint Confessarium, vel alium Virum prudentem: sic omittentur multæ infideles & stultæ promissiones, quæ displicent Deo, uti innuitur Psal. 49.

§. IV.

§. IV.

Quibus modis tollatur obligatio voti.

Nota. Obligatio voti dupliciter tolli potest: 1. nulla authoritate humana intervenienre, 2. interveniente tali authoritate, per irritationem, commutationem, vel dispensationem.

591. *Principium I.* Obligatio voti extinguitur *ob notabilem mutationem materiæ*, v. g. si ex possibili fiat impossibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens, aut majoris boni impeditiva: *nam obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, a quo incipere non potest.* L. *pluribus.* §. *Etsi placeat. ff. de verb. oblig.* v. g. vovisti peregrinari pedes; non amplius obligaris, si factus sis claudus, vel ob ætatem decrepitam iter conficere nequeas. *NB.* Si major difficultas vel periculum non oriatur ex ipsa re, sed ex malitiosa voluntate voventis, non cessat obligatio voti. Sic nova & major difficultas post emissum votum castitatis ex frequentibus lasciviæ actibus orta non excusat a voto, quia hæc se non tenet ex parte materiæ promissæ, scil. castitatis, sed ex parte habitus vitiosi, & voluntatis perversæ, quam quilibet debet corrigere. *Jansen.* cas. 70. n. 1. Vide dicta nu. 582.... Aliud est, si tua culpa materia, sive res promissa facta sit impossibilis, vel plane inutilis, tunc adhuc cessat obligatio, & sufficit dolere de culpa. *Busemb.* de vot. dub. 5.... 2. extinguitur obligatio voti per cessationem finis sive motivi principalis: sic mater, quæ vovit peregrinationem pro impetranda sanitate filii, si is ante peregrinationem moriatur, voto non amplius obligatur. *Laym.* l. c. c. 8. n. 2...., 3. Quotiescunque tanta intercedit mutatio, novum impedimentum, aut inopinatus casus, qui si ab initio occurrisset, voti valorem impediviſſet: vel si rationabiliter præsumi possit, voventis intentionem ad hunc specialem eventum se non extendisse, tunc cessat obligatio voti. Ita *Suarez* L. 4. de vot. c. 19 n. 4., *Laym.* l. c. Sic is, qui vovit peregrinari ad locum aliquem votivum: si postea experiatur, viam esse infestam latronibus, durante hoc periculo, excusatur a voto, quia id non fuit præviſum: secus, si incommodum vel periculum rationabiliter potuit prævideri, v. g si quis voverit in nosocomio servire infirmis, tenetur exequi votum, licet sit periculum infectionis; hoc enim ejusmodi obsequia ordinarie comitari solet.

592. Principium II. *Irritatio est annullatio voti facta proprio nomine ab eo, a cujus potestate dominativa dependet vel voluntas voventis, vel res, de qua fit votum.* Eruitur ex S. *Thom.* 2. 2. q. 88. a. 8. & 9., ubi agit de iis, qui impediuntur a vovendo. Dicitur 1. *annullatio voti*, hoc est, ablatio obligationis alias ex voto implendæ. 2. *Proprio nomine*, sic differt irritatio

titatio a dispensatione, quæ fit nomine Dei, qui dedit potestatem jurisdictionis Ecclesiæ ad remittenda vota sibi facta, si causa subsit; irritatio autem fundatur in potestate dominativa, sive illius, cui vovens persona, vel res, quam promisit, ita subjecta est, ut sine consensu Domini firmiter obligari nequeat: ideoque omnia vota alicujus ab alterius potestate ita pendentis includunt hanc conditionem: *Si ille, cui subjectus sum, consentiat*. Ergo hoc ipso, quod ille non consentiat, tollitur voti vel juramenti obligatio, etsi votum factum esset in favorem tertii. *Laym.* l. c. c. 8. n. 21. secus est in dispensatione, ut dicemus. 3. Ex postremis verbis irritatio alia est *directa*, alia *indirecta*. *Directe* vota potest irritare is cujus potestati voventis voluntas subjecta est; sic filii impuberes pendent a potestate Patris. *Indirecte* autem is, cujus potestati non quidem alterius voluntas, sed materia voti subjecta est, in quantum hæc ipsius juri præjudicat, contra quod nemo potest aliquid promittere. Sic servi pendent a potestate Dominorum. Vide Cas. 1. infra.

593. *Principium III.* Dispensatio est totalis relaxatio obligationis ex voto contractæ, facta ex justa causa nomine Dei ab eo, qui in voventem habet jurisdictionem spiritualem. Dicitur 1. *relaxatio totalis*: sic differt a commutatione, per quam non tollitur tota obligatio, sed transfertur in aliam materiam. 2. Additur *ob justam causam*; unde iterum differt ab irritatione: dispensatio enim in votis sine causa, illicita & invalida est: quia potestas dispensandi in jure Superioris (scilicet Dei) Prælatis Ecclesiasticis, qui non sunt Domini, sed dispensatores, collata est in ædificationem, non vero in destructionem, ut ait *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. *Suarez* L. 6. de vot. c. 17. num. 2. Rescissio autem vel irritatio voti facta sine justa causa, illicita quidem est, sed valida; quia, qui irritat votum, proprium jus exercet; jure autem suo vel dominio valide quis uti potest etiam sine causa: ergo. Ut valida sit dispensatio, requiritur 1. justa causa, ut modo dictum est. 2. potestas vel ordinaria, vel delegata: *Ordinariam*, sive annexam officio aut dignitati habet *Papa*, & quidem universalem tum respectu omnium votorum, tum respectu omnium Fidelium, item *Episcopus* quoad vota suorum Diœcesanorum (præter ea, quæ summo Pontifici sunt reservata, de quibus num. seq.) item *Sede vacante Capitulum* (ut ait *Laym.* l. c. num. 61.) *Legatus Pontificius* in Provincia, ad quam missus est; Prælati Ordinum Exemptorum cum suis Regularibus etiam Novitiis, idque circa vota tum in sæculo, tum Novitiatu facta. Denique Superiores locales respectu suorum Religiosorum. *Ratio* est; quia hi omnes jure ordinario habent jurisdictionem spiritualem externam; econtra defectu hujus jurisdictionis in fo-

ro externo 1. Parochi non habent potestatem dispensandi aut commutandi vota, nec consuetudo eam illis concessit, uti circa festa & jejunia, ut ait *Stoz* l. c. n. 357. 2. Multo minus eam habet simplex Sacerdos. 3. Nec Abbatissæ respectu suarum Monialium. Superiores, qui habent potestatem ordinariam, probabilius mediate secum dispensare possunt, dando jurisdictionem Confessario suo. *Jansen.* de vot. disp. n. 4. cum *Sanch.* contra *Suar.*

594. *Delegatam* dispensandi potestatem habent Confessarii Ordinum Mendicantium in votis Sæcularium, in quibus dispensare possunt Episcopi, secundum concessionem & moderationem suorum Superiorum, ut ait *Busemb.* cum *Lessio*; quod privilegium Ordinibus Mendicantibus concessit *Innoc. VIII.* specialiter RR. PP. Benedictinis *Martinus V.* quo gaudet Societas Jesu, ut habetur in ejusdem Compendio Privil. V. *Dispensatio* §. 9. *Per facultatem Benedictinis concessam a Martino V. possunt nostri Confessores deputati dispensare in votis, etiam Episcopo reservatis.* Ibidem subjungitur: *Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confessariis, quibus ipsi eam commiserint.*

Concessum etiam est Provincialibus nostris, & iis Confessariis juxta normam Trid. approbatis, quibus ipsi vel per se, vel per alium concesserint privilegium dispensandi in petendo debito, a quo conjux ob votum castitatis non solemne impeditur; admonito pœnitente, ut, si conjugi supervivat, votum servet. ibid. §. 6.

595. *Quæres*: Quænam vota summo Pontifici sint reservata? R. Hæc quinque: 1. Votum castitatis perpetuæ, & integræ. 2. Votum ingrediendi Ordinem Religiosum ab Ecclesia approbatum. 3. Peregrinandi Hierosolymam ad S. Sepulchrum. 4. Peregrinandi Romam ad limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. 5. Peregrinandi Compostellam ad S. Jacobum. Vide *Laym.* l. c. n. 7.

596. *Principium* IV. Commutatio voti est substitutio alterius operis honesti in locum illius, quod promissum est, sub eadem obligatione. Hæc triplex est: *prima* est commutatio operis voto promissi in melius; hæc potest fieri propria authoritate voventis, nec præterea alia causa requiritur: v. g. Petrus cereum vovit offerre in Ecclesia; idem poterit hoc votum, nemine requisito, mutare in oblationem calicis; quia hoc opus manifeste melius, est Deo gratius: ergo prudenter præsumitur a Deo id acceptari loco alterius minus boni. *Confirm.* ex c. *Pervenit.* 3. de Jurejur.: *Non enim propositum aut promissum infringit, qui melius id commutat. Sanch.* L. 4. Decal. c. 49. num. 4. Excipe tamen vota summo Pontifici reservata, quorum objecta non licet mutare in meliora, præterquam in

ingres-

ingressum Religionis. *Babenst.* t. 5. d. 3. a. 4. n. 87. Item quando opus minus bonum cedit in utilitatem tertii, *isque per acceptationem jus acquisivit in promissum*, non licet illud mutare in melius propria authoritate: homines enim sæpe rem minus præstantem malunt; Deo vero semper gratius est id, quod est præstantius. *Sanch.* l. c. In dubio, an hoc vel illud sit melius, possessio est pro voto prius emisso. *Sporer* hic c. 3. num. 81.

Titius vovet, se daturum pauperi 20. *Ducatos, postea petit a Confessario commutationem hujus voti.* Quæritur, an possit hoc votum commutari? R. ut supra, si pauper acceptaverit promissionem, non potest fieri commutatio, quia pauper per acceptationem acquisivit jus, ergo commutatio non potest fieri salvo jure tertii. Si autem pauper nondum acceptaverit, potest commutari votum, quia pauper nondum habet jus, ergo commutatio fit nullius læsione juris.

Si dicas: Deus acceptat hoc votum. R. Acceptat pro se, & tanquam actum religionis, C. pro paupere, conferendo illi jus in promissum. N.; ideoque talis tantum obligatur ex titulo religionis, non autem ex titulo justitiæ, deficiente acceptatione.

597. *Secunda* commutatio fit in opus æquale. Probabilius hæc non potest fieri propria voventis authoritate; quia non potest aliud pro alio solvi, nisi constet de promissarii consensu; atqui non satis constat, Deum consentire in talem mutationem ergo. Accedit, quod commutatio sit actus jurisdictionis Ecclesiasticæ: ergo cum vovens nec ordinariam, nec delegatam habeat jurisdictionem in se ipsum, etiam non potest commutare hoc in aliud æquale. Adeoque requiritur ad hoc authoritas legitimi Superioris, ut n. seq. dicetur. *Laym.* l. c. num. 19. concl. 3. cum *Suar. Sanch.* & aliis. Contrariam sententiam *Sporer* l. c. n. 83. adhuc judicat certe probabilem. Placet prior sententia pro praxi: quia plerumque vovens nescit, an aliud opus sit vere æquale.

598. *Tertia* commutatio fit in opus minus bonum. Ut licite & valide fiat in æquale, vel minus bonum, requiritur 1. causa rationabilis; ad commutationem in opus æquale sufficit, si vovens existimet, quod opus substituendum majori cum fructu & alacritate Deus sit peracturus. *Babenst.* cum *Illsung.* l. c. n. 89. 2. Requiritur legitima potestas vel ordinaria, vel delegata in commutante. Porro observa 1. si opus substitutum sit notabiliter minus, quam antea promissum, tunc intervenit in commutatione dispensatio. *Filluc.* 2. Qui possunt dispensare, etiam possunt commutare vota: non tamen econtra; in novissimis etiam Jubilæis datur Confessariis approbatis potestas commutandi vota & juramenta, preter vota castitatis & religionis,

non vero dispensandi. *Laymann* l. c. n. 20. confirmat ex reg. 53. in 6.: *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*; atqui plus est dispensare, quam commutare minus: ergo. 3. Qui habet potestatem commutandi, & non dispensandi, debet commutare in æquale; quia si in minus mutetur, hoc ipso quoad partem dispensatur. *Laymann* l. c. n. 44. ubi monet, quod æqualitas non scrupulose & mathematice, sed moraliter accipi debeat, secundum prudens judicium Confessarii; nec parvus defectus pro culpa reputari poterit. 4. *Paulus III.* anno 1545. Confessariis Societatis Jesu concessit facultatem commutandi vota, exceptis quinque summo Pontifici reservatis. Vide Bullam: *Cum inter.* Eandem facultatem extendit *Gregorius XIII.* anno 1575. in Bulla: *Decet Romanum*, ad vota jurata; dummodo commutatio hujusmodi in alterius præjudicium non fiat. Vide *Compend. Privileg. S. J.* V. *Commutatio.* 5. Probabiliter dispensatio & commutatio fieri potest etiam extra confessionem: quia nullibi præscribitur, ut tantum fiat in confessione. *Nec obstat*, quod in quibusdam Bullis Jubilæi soleat addi; *Confessionibus auditis valeat absolvere* a peccatis, & *commutare vota*; nam τὸ *confessionibus auditis* pertinet ad *absolvere*, quod immediate sequitur, non vero ad τὸ *commutare vota*. Vide *La Croix* de voto n. 507. cum *Suarez*, *Sanch. Vasq. Palao. Laym.* &c.

Casus I.

De Irritatione Voti.

Bonaventura Paterfamilias advertit, quod filiæ quotidie toto tempore matutino hæreant in templo, filii vero frequentes peregrinationes instituant: item quod famuli & ancillæ, neglecto servitio domestico, varia pia opera exerceant. Denique scicitatur originem insolitarum devotionum; respondet Basilissa uxor: Ego ex voto omnes induxi, ut & ipsi sub voto se obligaverint ad hæc pietatis exercitia; placide subridens Bonaventura reponit: Amodo scitote, quod nulla sint vota vestra.

599. *Quæres*. An Bonaventura potuerit irritare vota uxoris, prolium & famulorum, famularumque? R. *Affirmative*. *Ratio* patebit ex seqq.

600. I. Maritus potest irritare ea vota uxoris, quæ juri conjugali, educationi prolium, vel gubernationi domus præjudicat. Ita *Communis*; juxta alios quidem directe, juxta *Suarez* cum multis L. 6. de voto c. 4. n. 3. indirecte tantum fit talis irritatio, ita ut alia vota, quæ dicto modo non præjudicant, probabilius non possint irritari a marito. *Suarez* l. c. n. 4., *Sylv.*, *Nav.*, *Laym.* cum *S. Antonino*. *Ratio* est: quia tota subjectio uxoris fundatur in contractu matrimonii; atqui

hic

hic contractus tamen obligat, ut aliter alteri conjugii jura tribuat, & mulier viro tanquam capiti subdita sit in vitæ societate, librorum educatione, ac familiæ administratione, non vero ut uxor subjecta sit simpliciter in omnibus actionibus alioquin liberis: ergo. Hinc uxor potest vovere eleemosynam de bonis paraphernis, moderatam orationem, S. Communionem, unius diei jejunium &c. quia hæc non afferunt præjudicium juri maritali. Si tamen maritus etiam hæc ferat iniquo animo; desinunt obligare, quia tunc majus bonum pacis impediunt. *Laym.* l. c. num. 12. ubi etiam solvit argumenta Adversariorum *Soti*, *Rosellæ*, *Sanchezii* L. 4. Mor. c. 34. num. 2. qui docent, uxorem subditam esse non tantum quoad materiam voti: sed etiam quoad voluntatem gubernandam, adeoque a marito irritari posse omnia vota uxoris.

601. II. Observa sequentia: 1. Pariter uxor vota mariti irritare potest; quæ matrimonio præjudicant, *personalia* quidem, quæ juri suo derogant, quod habet in corpus mariti, v. g. ne abstinentia immoderata affligatur, aut ne longa peregrinatione abstrahatur: excipe *peregrinationem Hierosolymitanam in subsidium Terræ Sanctæ*, ut patet ex c. ex multa 9. de voto §. in tanta. *Realia* vero, si cedant in detrimentum dotis, vel aliorum bonorum suorum, quæ administrat maritus. *Laym.* ibid. 2. Vota indirecte irrita vel potius suspensa, iterum reviviscunt, quando desinunt alteri præjudicare. 3. Votum uxoris non petendi debitum a marito irritari non potest, quia conjux non tenetur petere, sed reddere debitum; quamvis ejusmodi votum hic & nunc actu non obliget, quando discordiæ causam præbet, sic enim esset impeditivum majoris boni. *Laym.* l. c. n. 16. Merito ejusmodi vota tanquam indiscreta conjugibus, nisi senes sint, sunt dissuadenda. 4. Si conjuges mutuo consensu voveant castitatem, ipsi postea propria authoritate hoc votum irritare non possunt, quia ambo renuntiarunt juri suo. *S. Anton.* p. 3. tit. 1. c. 22. §. 3. *Sylv. Nav.* & alii. Denique si conjux conjugi absolute dederit licentiam vovendi castitatem, postea consensum revocare non licet, nec petere debitum, quia cessit juri suo. Vide c. *Manifestum*. C. 33. q. 5. *cum glossa Gratiani*. Secus, si pure permiserit, reservando sibi jus suum. *Laym.* l. c. n. 15. Irritationis leges in V. T. latas vide *Numerorum* 30.

602. III. Omnia vota tam realia quam personalia etiam alias reservata quoad dispensationem Summo Pontifici, & facta in favorem tertii a prolibus emissa ante pubertatem (h. e. a masculis ante decimumquartum, a fœminis vero ante decimumsecundum ætatis annum completum) potest directe irritare Pater, Tutor, Curator, deficiente vel longe absente Patre avus ex parte Patris, non matris, denique Mater. *S. Th.* 2. 2. q.

88. a. 9. in ☉ *S. Anton.* & *Comm. Ratio* S. Th. est, *tum quiæ patiuntur rationis defectum, ut in pluribus, & sunt naturaliter sub cura parentum*, scil. non tantum secundum materiam promissam, sed etiam secundum personam. In defectum horum probabiliter quidem eandem potestatem irritandi *Lessius*, *Laym.* l. c. num. 10. concedunt Magistris, aliisque, sub quorum gubernatione impubes existit, contrarium tamen videtur probabilius, quia hæc potestas ex nullo jure ostendi potest. Vota ab impubere facta non tantum durante impubertate, sed etiam postea irritari possunt, *nisi puber factus vel ipse pater ea confirmarit*; quia votum impuberis non tantum ab dominium paternum, sed etiam ob immaturitatem judicii & imperfectionem ætatis dependebat ab initio a consensu patris: ergo nisi accedat nova confirmatio habita pubertate, conditio consensus paterni tractu temporis non aufertur. *Suar.* Tr. 6. de vit. & statu Relig. L. 6. C. 6. n. 8. hanc sententiam vocat probabiliorem.

Quid? si constet, impuberem jam doli capacem cum perfecta deliberatione emisisse votum perpetuæ castitatis: an nihilominus pater tale votum poterit irritare? Respondet *Hugo*, tunc votum non esse irritabile: *Vivalda* in Candelab. 3. p. c. 4. n. 99. ait, patrem posse quidem irritare omnia vota realia filii impuberis, non tamen omnia personalia, sed illa tantum, quæ patri vel matri præjudicant. Contra hos *Suar.* l. c. n. 5. resolvit, quod hæc sententia ab omnibus reprobetur, & statim num. 6. diserte asserit, quod Pater possit irritare omnia vota filii impuberis sine ulla exceptione; & quod hæc irritatio non fundetur in conditione materiæ, sed in dependentia voluntatis voventis a patris potestate; infert: ergo cum hæc dependentia reperiatur in omni materia, etiam in omni voto impuberis includitur illa conditio, nisi patet repugnaverit; ergo ex ea parte irritabile est votum. *Confirmat* suam assertionem 1. ex eo, tum quia jura juxta c. *Ad nostram*, de Regular., & juxta c. *Postulasti*, eod. tit. simpliciter subdunt voluntatem filii impuberis voluntati Patris in negotio se obligandi: Addit ibid. licet dicta jura loquantur de voto solemni, inde tamen sumi optimum argumentum, ad simplicia vota. 2. Ex eo probat, quia deficiente ratione legis in particulari non cessat concessio legis, quæ absolute disponit. Idem satis clare docet *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 9. in ⊖.: *Est ergo dicendum, quod, si puer vel puella ante annos pubertatis nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si vero ante annos pubertatis attingit usum rationis: potest quidem, quantum in ipso est, obligare, sed votum ejus potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subjectus .... post annos autem pubertatis possunt se voto Religionis obligare, vel simplici vel solemni absque volun-*

voluntate parentum. Idem sentit *Laym.* l. c. de *Tutore*. 3. Vota a pubere emissa, si sint realia, possunt irritari a patre, secus, si sint personalia, v. g. Petrus quindecim annorum vovit eleemosynam ex bonis patri subjectis, & ingressum Religionis; Pater poterit votum primum de eleemosyna irritare, non secundum: *Ratio* est: quia filius post pubertatem quoad suam personam est sui juris, reliqua vero bona, exceptis castrensibus vel quasi castrensibus, subjacent potestati patris usque ad emancipationem, vel curatoris usque ad annum vigesimum quintum completum.

603. IV. Dominus indirecte tantum potest irritare vota servi vel ancillæ, quatenus aut impeditiva debiti servitii; hinc etiam finita servitute denuo obligant. Ita *Comm.* Ideo dominus etiam non potest irritare votum castitatis, quod emisit famulus.

604. V. Superiores regulares possunt directe irritare vota suorum Religiosorum (exceptis votis essentialibus Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, & voto transeundi ad Religionem strictiorem, in quo tamen Prælatus vel superior potest dispensare, quia non est reservatum Papæ. *Laym.* l. c. n. 6.) *Ratio* est: quia quilibet Religiosus ita dependet a voluntate Superioris, ut reliqua vota omnia tacitam hanc conditionem contineant, *nisi Superior re cognita contradixerit*. Vide *S. Th.* l. c. a. 8. ad 3.

Casus II.

De dispensatione.

Brigitta vovit virginitatem, postea graviter ægrota ex metu mortis ita vovet: si restituatur integra valetudo, promitto, me ingressuram ordinem Monialium ad S. Claram: admissa ad parthenonem; e Novitiatu egreditur, & paulo post sponsalia contrahit, petita prius a Confessario dispensatione.

605. Q. I. An primum votum de virginitate servanda sit reservatum Summo Pontifici? R. Examinanda est intentio voventis: si intenderit abstinere perpetuo ab omni delectatione venerea tam in-quam externa, quam in-quam extra matrimonium, tunc esset reservatum; quia sic foret perfectum & absolutum votum omnimodæ castitatis. Si vero tantum intendisset abstinere ab actu externo venereo, quod perditur virginitas, non esset reservatum: quia sic non voveretur castitas perfecta & integra; hinc *Moya* t. 2. D. 1. q. 2. n. 7. recte addit, si vovens cognovit differentiam inter virginitatem & castitatem, ac dixerit: voveo virginitatem: non erit reservatum; si vero non cognoverit, uti communiter non cognoscunt illiterati, plerumque est reservatum, quia sub nomine virginitatis castitatem intelligunt. Qui vero dubitat, an emiserit votum par-

tiale castitatis, sive solam virginitatem, an totale, potest resolvere in favorem suæ libertatis, quod voverit id, quod minus est, adeoque non habet votum reservatum: quia certitudo tantum est pro hoc vel illo voto: atqui votum ita disjunctivum relinquit possessionem pro libertate eligendi, quod vovens voluerit: ergo. *La Croix* hic n. 548. & n. 561. Addit *Burgh.* Cent. 1. cas. 59. verba legum proprie sunt accipienda: ergo cum votum sit lex particularis, & virgo proprie tantum illam significet, quæ carnis integritatem non amisit, vovens virginitatem ad hanc solum carnis integritatem se obligasse censenda est. Contrarium vide apud *Palao*.

606. *Q.* II. An votum secundum ex metu & sub conditione emissum sit reservatum? R. probabiliter non est reservatum. *Ratio* est: quia reservatio est odiosa: ergo non est intelligenda, nisi de iis votis, quæ sunt omnino libera, perfecta, plene obligantia, & certo valida. Atqui votum in nostro casu fuit ex metu factum: ergo non est perfecte liberum. Idem est conditionatum, ita quidem, ut vovens non intenderit directe ingressum religionis, sed liberationem a morbo, qui si abfuisset, votum non fuisset factum; ergo res promissa non fuit directe volita: accidit, quod tale votum non contineat consensum absolutum, nec pariat obligationem absolutam, sed suspensam ex impletione conditionis adhuc futura: ergo ex triplici capite est imperfectum. Ex iisdem rationibus *Laym.* L. 4. t. 4. c. 18. n. 10. idem sentit, quod hujusmodi votum ante impletam conditionem non sit reservatum, affirmat tamen, esse reservatum post impletam conditionem, quia tunc fit absolutum: ergo etiam tunc parit omnes obligationes non secus, ac omnes promissiones, & contractus conditionati impleta conditione. At R. Fit absolutum, & parit omnes obligationes, quæ per se conjunctæ sunt cum voto C. quæ tantum per accidens essent conjunctæ etiam tunc, quando ab initio fuisset absolutum N. Reservatio non oritur ex ipsa natura voti, sicut obligatio ad id, quod promittitur: ergo paritur quidem post impletam conditionem obligatio ingrediendi religionem, reservatio autem prudenter non censetur esse conjuncta cum tali voto, quod nunc quidem absolutum est, sed antecedenter fuit conditionatum. Sicut votum conditionatum pœnale impleta conditione fit absolutum, nec tamen est reservatum: ut *Suarez* & *Laym.* l. c. n. 9. fatentur. Vide *Sanch.* L. 4. Mor. c. 40. n. 99. ubi ait, quod ad cognoscendam reservationem votum debeat spectari, quale sit in radice, & ab initio: atqui votum conditionatum sub initio scil. ex imperfecto consensu est imperfectum, ergo. Aliud foret, si post impletam conditionem nova voluntas absoluta se de novo obligandi accederet. *Gomez* in Bullam Crutiatæ clausula 10. vocat nostram sententiam frequentissima

tissima praxi receptam. Vide *Reiffenst.* L. 3. tit. 34. n. 33. P. II. n. 1361.

607. Q. III. Quænam vota reservatis similia, communiter tamen non sunt reservata summo Pontifici: ita ut ab Episcopo, vel ab alio habente privilegium, dispensari possint? R. cum *Laym.* l. c. n. 8. & seq. I. Non est reservatum votum castitatis tantum ad certum tempus v. g. ad biennium emissum: votum non nubendi: non petendi debitum conjugale: non fornicandi &c. II. Nec votum suscipiendi sacros ordines, aut vovendi aliquando castitatem. III. Votum ingrediendi Religionem strictiorem potest relaxari per dispensationem ab Episcopo, vel alio habente privilegium, ut vovens possit ingredi minus strictam, quia sic non dispensatur in voto Religionis secundum se, sed tantum secundum circumstantiam; universaliter enim reservatæ non sunt qualitates & circumstantiæ votorum alias reservatorum. IV. Nec reservatum est votum pœnale, v. g. si inebriatus fuero, voveo ingredi Religionem. V. Nec votum alternativum, aut disjunctivum, v. g. castitatem, vel pro quolibet peccato contra castitatem pauperi dabo tres ducatos: quia tale votum non est determinate factum de re reservata, neque ad illam simpliciter obligat. VI. Nec votum metu injusto etiam levi extortum. Item quotiescunque est prudens dubium de valore voti. VII. Non est reservatum votum castitatis a conjugibus emissum *revocabiliter*, si alteruter sibi jus suum reservet. Secus, si *irrevocabiliter*: item esset reservatum Summo Pontifici, si uxor ex consensu conjugis jure suo perpetuo renuntiantis, continentiam simpliciter & in perpetuum voveret; quia est perfectum votum castitatis integræ & perpetuæ. *Laym.* Tom. 2. L. 4. tr. 4. c. 18. n. 15. contra *Rodriq.* & *Vera Crux*. VIII. An votum v. g. perpetuæ castitatis ab impubere doli capace, & cum sufficienti deliberatione & notitia obligationis emissum, sit reservatum Summo Pontifici, non conveniunt AA. *Gattierez* L. 2. quæst. canon. c. 22. n. 49. asserit, tale votum non esse reservatum, eo quod non sit votum perfectum & firmum; cum possit irritari a parente. *Suarez* vero L. 6. de voto c. 26. n. 3. dicit si pater nolit irritare ejusmodi votum castitatis vel religionis: non propterea Episcopus poterit dispensare, quia tunc est votum validum & simpliciter perfectum, ideoque reservatum. Ibidem contra regulam *Guttier.* ait, ex eo, quod pater possit irritare tale votum, non sequi, quod dispensare possit, vel commutare alius, præter Pontificem; quia reservatio non opponitur irritationi, cum illa non tollat potestatem dominativam, sed opponitur jurisdictioni, quam tollit vel limitat. Ideoque vel talis impubes debet remitti a Confessario ad patrem, ut ipse irritet votum: vel si nolit irritare, examinet Confessarius,

an

an non in parvulo deprehendat defectum rationis, an adfuerit sufficiens deliberatio & cognitio obligationis ex voto: si enim dubium prudens subsit, non est reservatum; secus, si constet de voti perfectione. Vide etiam c. *Venientis* 2. de voto & voti redempt. L. 1. tit. 33. *Alex. III.* commutat votum a parvulo emissum. Vota trium peregrinationum non sunt reservata, nisi sint emissa devotionis causa. *La Croix* l. c. n. 560. cum *Tamb.* & *Illsung*. Plurimos casus circa hanc Q. vide apud *Th. Sanch.* in Opere Mor. de Præc. L. 4. c. 40.

608. *Q.* IV. An Episcopus possit dispensare in votis vere reservatis, si sit urgens necessitas, & difficilis accessus ad Summ. Pontificem? R. *Affirm.* Quia tunc rationabiliter præsumitur, quod in ejusmodi circumstantiis S. Pontifex velit, ut ad proprium Episcopum devolvatur potestas dispensandi. *Laym.* l. c. n. 16. ibidem negat id posse fieri ab aliis privilegiatis, quia hi non sunt ordinarii Pastores post Papam, sicut Episcopi. Contrarium vide apud *Reiffenst.* L. 3. tit. 34. n. 40.

Casus III.

De Modo & Causis dispensandi.

Benignus Neo-Sacerdos rogatur a pœnitente, ut vel ipse, si haheat facultatem, dispenset in vota ingrediendi certum Religiosum ordinem, vel Romæ procuret dispensationem, eo quod parentibus in gravi necessitate constitutis debeat succurrere. Benignus anxius hæret, cum ipse nesciret modum petendi dispensationem Romæ; denique jubet redire pœnitentem post 9. vel 14. dies.

609. *Q.* I. An Benignus, habens privilegium dispensandi, potuerit dispensare circa hoc votum? R. Huic pœnitenti non opus erat dispensatione ad remanendum in sæculo; si fuerit probabilis spes, fore, ut in sæculo manens parentibus subvenire valeat, nec eis aliter subveniri possit. Ita *S. Th.* 2. 2. q. ult. a. 6. *Dicendum est, quod parentibus in necessitate constitutis, ita quod eis commode aliter, quam per obsequium filiorum subveniri non possit, non licet filiis, prætermisso parentum obsequio, religionem intrare. Si vero non sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt, prætermisso parentum obsequio, filii religionem intrare, etiam contra præceptum parentum; quia post annos pubertatis quilibet ingenuus habet, quantum ad ea, quæ pertinent ad dispositionem sui status, præsertim in his, quæ sunt divini obsequii.*

Confirm. 1. Ex *Conc. Gangrensi* a *Leone IV.* approbato, quod anathematizat filios, qui deserunt suos parentes necessitate pressos occasione divini cultus. 2. Quia nefas est negligere præcepta propter consilia.

610.

610. *Porro adverte* I. Si sit dubium, an adsit gravis necessitas parentum, licet filio ingredi religionem, quia tunc ejus libertas manet in possessione. II. Si filius extra religionem vivere nequeat absque certo peccandi periculo, liceret prætermisso parentum in necessitate constitutorum obsequio ingredi religionem; quia tunc ordo charitatis exigit propriam salutem animæ præferre necessitati temporali parentum. Tanta non est obligatio succurrendi fratribus aut sororibus, quanta est erga parentes. III. Qui vovit *primario* ingredi Religionem *determinatam*, si ad hanc post diligentem supplicationem non admittatur, non obligatur ad aliam: Si quis se obligasset principaliter ad ingressum religionis, postea autem eligisset hanc religionem vel locum, si non recipiatur ibi, tenetur aliam religionem intrare. *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. Qui vero indeterminate vovit religionem, satisfecit voto, si in eodem regno quinque vel sex monasteria aderit, nec fuerit admissus; quia sic moraliter summam diligentiam adhibuit, & rationabiliter conjicere potest, se etiam ab aliis non admissum iri; ad exteras autem omnino nationes juxta voventium consuetudinem pro admissione confugere probabilius non tenetur. Vide *Sanch.* l. c. c. 16. n. 44. IV. Non satisfacit voto, qui ingreditur religionem promissam, animo iterum statim egrediendi, quia hoc vovendo non præsumitur intendisse, ideoque tenetur saltem experiri, an si expediat remanere, & dare operam, ut Deus immutet cor, *S. Th.* 2. 2. qu. ult. a. 4. ad 3. Si vero adhibita morali diligentia egreditur cum justa causa, satisfacit voto, secus si absque justa causa, h. e. tali, quæ non excusat a levitate, v. g. si ex sola displicentia egrediatur. Nec justa causa est culpa, ob quam dimittitur, nisi saltem mediocrem diligentiam adhibuisset ad eam evitandam.

611. *Q.* II. Quænam sint legitimæ causæ dispensandi in voto? R. 1. est imperfecta deliberatio voventis, aut dubium de illa, quod solet oriri ex defectu ætatis, turbatione mentis, ob metum, dolum vel errorem accidentalem. 2. Damnum spirituale vel corporale, v. g. si voto castitatis obstrictus ob nimiam proclivitatem in venerem sit in continuo periculo peccatorum &c. 3. Notabilis difficultas exequendi id, quod promissum est. 4. Majus bonum ex dispensatione oriturum. In dubio, an adsit sufficiens causa, conjungenda est commutatio in aliud opus pium. Si quis dispensando bona fide judicasset, hanc vel illam causam esse legitimam, postea autem resciat, non fuisse sufficientem, tunc præsumere licet de bonitate Dei, quod dispensationem suo nomine bona fide factam acceptet. Ita *Sporer* cum *Sanchez* & *Lessio*.

612. *Q.* III. Quid a Confessario sit observandum circa executionem litterarum ad dispensationem a S. Pœnitentiaria obtinendam?

Bx. I. Diligenter debet inquirere in qualitatem casus, vel voti circumstantias, item in causas commutationis, vel dispensationis, ut vel pœnitens, vel Confessarius pro pœnitente casum cum his adjunctis & causis bene exponat: caveat autem, ne quod occultum est, publicum faciat, præsertim impedimenta occulta matrimoniorum, publica autem vel ad publicam redacta non pertinent ad S. Pœnitentiariam. Modus scribendi literas talis servetur secundum Instructionem 1707. Moguntiæ impressam juxta exemplar Romanum. Intus inchoatur supplicatio sic:

Eminentissime & Reverendissime.

DOMINE.

Barbara (vel Cajus) *e Diœcesi Herbipolensi, emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat* (si alia foret causa petendi dispensationem, illi fideliter hic debet exprimi) *supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium, ut debitum conjugale sibi & exigere, & reddere liceat. Quam gratiam studebit suis ad Deum precibus pro possibili demereri. Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N.* v. g. *Petrum Muller, ad oppidam N., per civitatem N.* (juxta stylum Curiæ Romanæ civitas tantum vacatur ille locus, ubi residet Episcopus) *& dirigere Breve Confessario Doctori Theologiæ, vel Ss. Canonum*, NB. Si in loco non sit Doctor Theologiæ, vel Ss. Canonum, nec alius privilegiatus, sic scribendum; *Et quia in Oratricis* (vel Oratoris) *loco nullus reperitur Confessarius in Theologia Magister, vel Ss. Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia Vestra providere, & disponere ut etiam Parochus, cui pœnitens suam conscientiam aperuit*, vel alius approbatus Sacerdos *exequi valeat*. Si ipse scribens sit Confessarius Oratoris, sic deberet scribere: *Et quia Oratrix* (vel Orator) *ad me tanquam Confessarium, cui conscientiam suam aperuit, specialem habet confidentiam, dignetur Eminentia Vestra disponere, ut concessam gratiam liceat mihi infra scripto exequi*. Postea subscribitur modo epistolari: *Eminentiæ Vestræ servorum infimus Petrus Muller in dicto oppido Sacerdos curatus*, vel Soc. Jesu approbatus Sacerdos, vel Magister in Theologia. *Herbipoli 3. Julii* 1764. Extra inscribitur Epistola: *Eminentissimo & Reverendissimo Domino D. Cardinali Majori Pœnitentiario*. Infra. *Romæ*.

613. Bx. II. Impetrata dispensatione hæc observanda sunt 1. Literæ S. Penitentiariæ mittuntur ad petentem (qui solet dici Orator) quæ ab eo non debent aperiri, sed extradi Confessori, cui inscribuntur, qui illis resignatis, & lectis secundum commissionem dispenset: si tamen forte ab illo referentur,

tur, literæ suo effectu non carent, ut ait *Herzig* p. 2. n. 263. cum *Sanch.* & aliis. 2. Confessor vel executor, cui dispensandi potestas committitur, debet esse approbatus ab Ordinario territorii, ubi dispensaturus est: idem debet esse Magister vel Doctor Theologiæ, aut juris Canonici promotus in Academia, & non tantum Magister Ordinis, vel Doctor Juris Cæsarei, vel Professor, aut Licentiatus. *Excipe* Religiosos habentes speciale privilegium, quale concessit *Greg. XIII.* anno 1582. 3. Aprilis in Bulla: *Exponi nobis*, Confessariis Soc. Jesu; quos Generalis, vel alius Superior de ejus licentia ad id designarit; dictæ conditiones necessario requiruntur ad hoc, ut valida sit dispensatio. *Sanch.* L. 8. de matrim. D. 34. a n. 10. Denique ad exercitium dispensandi debet esse ab Oratore electus. 3. Confessor ad dispensandum electus debet inquirere, an causa, quæ in Brevi exigitur, subsistat, nec tamen opus est testibus, aut juramento, sed credendum est pœnitenti eam alleganti. *Sanch.* l. c. n. 19. ..... 4. Causa diligenter cognita, manifestanda sunt opera in Brevi præscripta; quæ non condonare, sed temperare potest, si id exigat major pœnitentis fructus, ut ait *Herzig* l. c. n. 264. ..... 5. Licet specialis verborum forma non sit de essentia dispensationis, conveniens tamen est, ut servetur sequens præscripta in Rituali Rom. post injuncta opera pia loco voti, & post injunctam sacramentalem pœnitentiam. Dicit? *Dominus noster Jesus Christus* .... Deinde: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris* .... *Item Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi votum* v. g. Religionis vel Castitatis, *quod emisisti, ad effectum, ut matrimonium legitime contrahere, & in eo debitum conjugale reddere, & exigere licite valeas: in opera pietatis, quæ tibi præscripsi, dispensando commuto. In nomine Patris* ....

614. R. III. Post dispensationem instruendus est pœnitens, literas dispensatorias omnino gratis esse concessas; nec licet dispensanti aliquid admittere. 2. Ut constat ex clausula literarum, eæ debent lacerari, præsertim sigillum, præstat eas comburere integras, ne serviant pro foro externo; ideoque non præstat eas tradere pœnitenti; imo nec de facta dispensatione testimonium dandum est, ne gratia pro foro tantum conscientiæ concessa suffragetur in foro externo. *Trid.* Sess. 22. c. 5. de reform. intelligendum tantum est de dispensationibus pro foro externo concessis, quod præsentandæ sint Ordinario, non vero de iis, quæ a Curia Romana pro foro tantum interno committuntur.

„ Quod spectat ad votum defendendi *Immaculatam Conce-*
„ *ptionem B. V.* quod Ludov. Muratorius sub nomine *Lamindi*
„ *Pritanii*, *Lampridii*, *aut Valdesii* votum sanguinarium voci-
„ tat, est illud validum, & pium, licet materia illius non

„ sit

„ sit articulus fidei; neque intelligi potest aut *conceptio causa-*
„ *lis*, in quantum B. V. generando Christum fuit initium no-
„ strae sanctitatis; aut *materialis*, quae est commixtio seminum
„ in Anna Matre; aut *spiritualis*, quae foret sanctificatio ani-
„ mae Marianae, sed die nobis incerto facta, atque ideo ad
„ diem conceptionis celebrata; aut *formalis* quidem, seu ipsa
„ infusio animae in materiam, non tamen pro tunc sancta, sed
„ relate ad futuram sanctitatem honorata; Sed *conceptio forma-*
„ *lis tunc*, *& pro tunc sancta*, ut Theologi probant multis,
„ & Alex. VII. in Bulla *Solicitudo omnium* 1661. satis decla-
„ ravit, ubi ait; veterem esse fidelium opinionem, animam B.
„ V. *in primo instanti creationis*, *& infusionis in corpus fuisse*
„ *peccato Originali immunem &c.* prohibetque libros hunc cul-
„ tum in dubium revocantes: Sixtus autem IV. Constit. *Cum*
„ *praecelsa* 1467. & *Grave nimis* 1481. festum, officium, &
„ Missam instituit sub nomine *Conceptionis*, abolita voce *San-*
„ *ctificationis*, qua nullibi utebantur; quod ipsum postea Gre-
„ gorius XV. renovavit, prohibens non tantum libros, con-
„ ciones publicas &c. sed etiam *privatos sermones* contra Im-
„ maculatam Deiparae conceptionem. Vid. lib. cujusdam e Soc.
„ J. sub nomine *Candidi Parthenotimi*, anno 1741. de duplici
„ voto hujusmodi editum; item P. Bened. Plazza: *Causa Im-*
„ *mac. &c.*

„ *Dices*: Votum hoc non est *pium*; sicut enim SS. Innocen-
„ tibus parum nocet eorum conceptio, poenitentibus eorum
„ lapsus &c. ita Deiparae alias Sanctissimae parum obest, quod
„ ex 38. millionibus minutorum, quibus juxta Vericelli ejus
„ vita concluditur, unum habuerit maculatum. 2. *Non ratio-*
„ *nabile*; quia est opinio dumtaxat illius originalis innocentiae,
„ orta denique ex chronico Flavii Dextri, Laminis Granaten-
„ sibus, apparitione a S. Thoma facta Dominico a Jesu Ma-
„ ria &c. 3. *Non licitum*, cum illicitum sit prodigere vitam,
„ cujus jus certum habemus, pro re incerta, non definita per
„ Ecclesiam, quae tantum silentium indixit uni parti ob pacem
„ publicam.

„ R. *Ad* 1. N. A. Sicut magnum mali genus est esse filiam
„ irae, servam peccati &c. ita magna prærogativa immunitas
„ &c. quae in negativis potest esse summa sine processu in in-
„ finitum. *Ad* 2. N. A. Non est opinio tantum, sed *senten-*
„ *tia*, eaque Ecclesiae, ac definibilis; certe eam Alex. VII. octies
„ vocat sententiam, bis piam. Rationes sententiae hujus du-
„ cuntur ex traditione, quam per cuncta saecula deduxit Sala-
„ zar; ex consensu Accademiarum & Regnorum, quem Ray-
„ naudus in *pietate Lugd.* collegit ex argumentis, quae post
„ Scotum Thyrs. Gonzalez & alii coacervarunt. *Ad* 3. N. A.
„ Cum hic actus Religionis voluntatis potissimum sit negotium,

„ tium, ejus naturam declaro his propositionibus 1. Vovens „ non moritur pro *testimonio veritatis* hujus sententiæ, sed pro „ exercendo actu virtutis mortalis. 2. hic actus fundatur im„ mediate in *pia affectione*, cujus objectum est *honor*, qui re„ dundat in Deiparam ex hac pia *sententia*, modo hæc sit pru„ denter credibilis, sicut in adoratione determinatæ hostiæ, mor„ te militis pro Rege in bello probabilius justo &c. 3. Judi„ cium formatur sic: juxta D. Thom. Cajetanum & DD. pas„ sim licet mori pro actu virtutis: votum defendendi Imma„ culatam Conceptionem usque ad sanguinem est actus virtu„ tis, utpote pertinens ad speciem Religionis, honorificus Dei„ paræ, & supponens eam certitudinem sententiæ, ut pruden„ ter hodie de ea dubitari nequeat: ergo &c.

CAPUT III.

De Tertio Præcepto Decalogi.

§. I.

Prænotanda.

PRæceptum tertium: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices* Exod. 20. 8. prout præcipit tempus aliquod impendi cultui divino, est naturale, quatenus vero determinate designat diem septimum, est cæremoniale, & in Novo Testamento abrogatum; pro die Sabbati designatus est dies Dominicus, & festivus. Nos hic agemus de hoc præcepto, quatenus est negativum, sive prout prohibet opera servilia; de audictione Missæ agemus in P. II. Tract. II. C. 3. A. 3.

§. II.

Principia practica de Sanctificatione Diei Dominicæ.

615. *Principium 1.* Tertium præceptum, ut modo determinatum est ab Ecclesia, obligat omnes fideles vacare integro die Dominico & Festo ab omnibus operibus servilibus, 1. dixi: *obligat omnes fideles*, scilicet septennio majores, & rationis capaces, & quidem sub mortali. Vide propos. 52. ab *Innoc. XI.* damn. Et *Ratio* est: quia hæc obligatio ex virtute Religionis ad debitum Dei, Sanctorumque cultum est imposita: ergo gravis est ex genere suo. Juxta *Trid.* Sess. 25. C. 12. de Regul. Regulares conformare se tenentur sæcularibus in observatione Festorum dierum, qui servantur per diœcesim: *Dies etiam Festi, quos in diœcesi suo servandos .... Episcopus præceperit, ab exem-*

exemptis omnibus etiam Regularibus, ſerventur. 2. dixi, *vacari integro die Feſto vel Dominico*, hoc eſt, toto die naturali viginti quatuor horarum ab hora duodecima nocturna Dominici vel Feſti uſque ad duodecimam noctis ſequentis. Ita conſuetudo & praxis Fidelium docet obſervari feſta quoad vacationem a laboribus ſervilibus. Vide *Laym.* L. 4. t. 7. c. 2. num. 1..... Hic admittitur parvitas materiæ & temporis, unde juxta *Suar.* T. 2. de Relig. l. 2. de feſtis c. 31. venialiter tantum peccat, qui unica hora ſerviliter laborat die Dominica, ſi abſit ſcandalum, quod adeſſet, ſi foret labor tumultuoſus. Imo qui per duas horas juxta *Tambur.* L. 4. in Decal. c. 3. §. 2. quia ſpatium duarum horarum comparatione 24. horarum non cenſetur eſſe pars notabilis. Ultra duas horas laborans ſerviliter abſque juſta cauſa non videtur excuſandus a gravi peccato. Vide *Sporer* t. 3. in 3. præcept. c. 4. n. 38. *Stoz*, & alios. 3. Dixi: *ab omnibus operibus ſervilibus*, hoc eſt, iis, quæ & verſantur circa materiam externam, & vel mechanica & illiberalia ſunt, ut ſuere, fabricare &c. vel requirunt tantum laborem corporis, atque a mercenariis, & ſervis fieri ſolent, ut fodere, arare, vineta colere, metere &c. de quibus expreſſe ait *Concil. Sueſſionenſe*. Opera vero liberalia, quæ ad animum excolendum primario pertinent, non ſunt prohibita, qualia ſunt legere, ſcribere, docere &c. neque prohibita ſunt opera media inter ſervilia, & non ſervilia, v. g. iter facere pedibus, equo, curru, vel navi, quia hæc non tantum ad ſervos pertinent, ſed omnibus ſunt communia, ut ait *Laym.* l. c. n. 5. Nec ſervile cenſetur, ducere jumenta ſine onere, cum id ſit iter facere; ſervile autem eſt, ducere jumentis currus, vel navigium mercibus onuſtum; ſi tamen ante Feſtum iter ſit receptum, continuatio illius permittitur, maxime ſi id exigat publica utilitas, vel damnum, quod alias oriretur. *Suarez* de feſt. C. 27.

616. *Princip. II.* Licita ſunt ipſo jure ac conſuetudine opera, quæ videntur ſervilia, ſed requiruntur ad quotidianum uſum, victum, neceſſitatem, & diſpoſitionem corporis, veſtium, & domus, v. g. coquere cibos, ſternere lectos, verrere conclave &c. Hæc enim tanquam illicita reputare die feſto, *ad Judaicam magis, quam ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur*, ut habetur in *Concilio Aurelianenſi III.* Cæterum illa opera ſervilia diebus Dominicis manent prohibita, quæ commode poſſunt, ac ſolent differri, quamvis ad quotidianam neceſſitatem pertineant, v. g. veſtes, vel calceos conſuere, & ſarcire &c. quia horum confectio non eſt neceſſario quotidiana, ſed confectorum uſus, ita *Marchant.*

617. *Principium III.* Præter opera ſervilia etiam diebus Dominicis & feſtis prohibentur 1. actiones judiciales, quæ ſpectant ad deciſiones cauſarum tam civilium, quam criminalium, tam

tam sæcularium, quam Ecclesiasticarum, & fiunt cum strepitu judiciali. Sicut autem judicium constat tribus potissimum partibus, scilicet *Inchoatione causæ* per citationem Rei, *Processu* per cognitionem causæ examinatis, & juratis testibus, ac *Termino* per sententiæ prolationem; ita non licet die festo citare reum; examinare testes, exigere juramentum judiciale, proferre, aut exequi sententiam, quæ si feratur, est irrita. *Laym.* l. c. n. 7. .... 2. prohibetur mercatus, & negotiatio, quæ fit cum strepitu, vide c. 1. & ult. de feriis. Et *ratio* est: quia ista valde distrahunt animum & avocant hominem a cultu divino, & sanctificatione diei. Permittitur tamen distractio quarundam rerum necessariarum ad victum quotidianum. Consuetudo etiam licitas facit quibusdam in locis solemnes nundinas festis & dominicis diebus, eas tamen moderari convenit, quantum fieri potest, ne saltem fiant ante rem divinam peractam. *Suarez* de fest. c. 19. Denique die festo licet excommunicare, dispensare, absolvere a censuris, exercere alios actus voluntariæ jurisdictionis, item Judicem privatim informare, Advocatum consulere &c.

618. *Principium* IV. Causæ excusantes, per quas sunt licita opera alias diebus Dominicis prohibita, sunt sequentes septem: I. *Dispensatio* legitima Episcopi, Superioris pro subditis Religiosis, non pro famulis sæcularibus, ut ait *La Croix* L. 3. p. 1. num. 584. Parochi, præsertim quando non datur facilis accessus ad Episcopum, vel consuetudo hanc facultatem iis tribuit. II. *Consuetudo a Prælatis cognita & tolerata*, ut dictum est de solemnibus nundinis, emptionibus rerum parvi momenti &c., sic per consuetudinem quibusdam in locis licitum est molere, non tamen advehere frumenta, vel avehere farinam, tempore messis sub vesperum Dominicæ parare necessaria pro labore sequentis diei, acuere falces &c. *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. num. 272. III. *Pietas in Deum*: per quam licita sunt opera, quæ proxime (non quæ remote tantum) pertinent ad Dei cultum, v. g. pulsare campanas, circumferre imagines vel cruces, vexilla in supplicatione: ornare autem altaria, verrere templum &c. debent anticipari, si tamen differantur in festum, sunt tantum venialia peccata. *Filliuc. Bonac.* IV. *Charitas erga proximum*, per quam licet expedire causas pauperum, orphanorum, & miserabilium personarum; similiter licet festo die succurrere pauperibus & infirmis, fodere sepulchrum die festo pro mortuo eodem adhuc die sepeliendo. V. *Necessitas* publica vel privata, propria vel aliena; hac ratione sæpe excusantur, qui debent reficere fontes, pontes, vias publicas; item qui parant illa, quæ pertinent ad communem populi festivitatem, v. g. in adventu vel electione Principis; monet hic *Suarez* & *Bonac.*, præstare in his casi-

casibus petere veniam a Parochis. *Laym.* l. c. c. 4. n. 2. Huc pertinet regula *S. Th.* 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. *Opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat sabbatum.* Sic excusantur rustici, qui die festo, tempore messis fœnum aut fruges jam messas domum vehunt, quando alias ob tempestatem, & pluviam probabile damnum paterentur. VI. Item Chirurgi, & Pharmocopolæ laborantes pro ægrotis; pariter conflatores vitri, coctores calcis, laterum &c., quorum opus semel cœptum sine damno interrumpi nequit. VII. Denique excusat saltem a gravi peccato parvitas operis, seu temporis, ut dictum est n. 615.

§. III.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

Baldomerus Sartor se accusat, quod diem festum non sanctificaverit: urget Confessarius, ut rem clarius explicet, reponit pœnitens, quod sæpe post medium noctis usque ad horam sextam vel septimam festi laboraverit, sed absque scandalo, ut promissas vestes perficeret.

619. *Quæres* I. Quid agendum, si pœnitens in genere se accuser; non sanctificavi diem festum? R. Quærendum est, an omiserit Sacrum, an laboraverit serviliter, & absque causa excusante: sæpius enim rudiores non audiendo concionem, sæpe laborando ex necessitate erronee putant, se peccasse.

620. *Quæres* II. An Baldomerus graviter peccaverit, laborando per mediam noctem diei festi? R. Si culpa sua per incuriam, vel desidiam, vel alios labores non necessarios se in eam necessitatem conjecerit, peccavit graviter. Ita *Herzig* l. c. n. 279.; si vero bona fide putaverit, vestem ante diem festum adhuc posse perfici, nec se commode excusare potuerit, non peccavit graviter. *Ratio* est: quia non perficiendo vestes excitant ejusmodi opifices magnam offensam, & inde notabile damnum incurrunt, eo quod ii, quibus laborant, vel subtrahant notabilem partem mercedis, vel postea ad alios res suas conficiendas deportent. *Laym.* l. c. n. 2. *La Croix* hic n. 592. Hæc incommoda si absint, non facile excusandi sunt tales opifices. Certo excusantur, si vestes sint necessariæ pro funere, pro instantibus nuptiis &c. In his enim circumstantiis ob urgentem necessitatem non obligat lex.

621. *Quæres* III. An labor alias prohibitus die festo præcise excusetur per hoc, quod fiat sine scandalo? R. *Negative*. Vide prop. 52. ab *Innoc. XI.* damnatam. *Ratio* est: quia lex Ecclesiastica, quæ ordinatur ad animarum salutem, per se obligat sub mortali, si contineat materiam gravem ad bonum animarum con-

conducentem; sed lex Ecclesiastica præcipiens observantiam Festorum, continet talem materiam: ergo: *Duarte* V. *Jejunium* n. 314.

Casus II.

Berda ancilla sæpe diebus Dominicis vestes sibi solet reficere, alias etiam cum domicella sua laborante ob vitandum otium solet acu pingere discendi, & se exercendi gratia, non raro etiam per plures horas in vicino hospitio saltare.

622. *Quæres* I. An Berda reficiendo vestes diebus Dominicis graviter peccet? R. Si aliis diebus id ei per negotia, & voluntatem Domini sui non liceat, non peccat; quia sic excusat necessitas privata. *Laym. Stoz.* l. c. Idem est de aliis mulieribus, quæ alieno labore pro necessaria sustentatione sua per hebdomadam occupantur. *Herzig* l. c. n. 378.

623. *Quæres* II. An Berda peccaverit acu pingendo? R. Juxta *Tannerum* & *Dianam* excusatur quidem ancilla a gravi peccato, dum exercitii tantum causa acu pingit die festo, quia, cum id alio tempore non liceat, grave pateretur damnum ob neglectum exercitium, unde plane oblivisceretur, quod antea didicerat; nihilominus prædicti Authores videntur supponere, quod talis labor non duret notabili tempore.

624. *Quæres* III. An liceat domicellis die festo acu pingere, nere &c. otii vitandi causa? R. *Probabilius* non licet, nisi vinci, & vitari aliter non posset gravis tentatio; alias etiam liceret laborare quibusvis opificibus, ne otiosi essent, aut ne ad popinas, aut alias pravas occasiones irent. *La Croix*, l. c. n. 587. cum *Suar. Steph.*, & aliis. Quid? quod otium aliis honestis occupationibus, v.g. adeundo templum, ubi occasio est, legendo librum spiritualem &c. satis vitari possit. Contrarium resolvit *Burgh.* Cent. 1. Casu 77.

625. *Quæres* IV. An specialiter in confessione debeat exprimere Berda, quod die festo saltaverit? R. per se loquendo, non est speciale peccatum, cum saltus non recensetur inter opera servilia. Dixi: *per se*; quia si fieret expresse cum contemptu Festi vel Dominicæ, utique deberet id exprimere in confessione. Raro tamen sine peccato talis saltus succedit; ideoque monendæ sunt, & objurgandæ istæ saltatrices. Aliud est de honesta recreatione inter bonos amicos. *Herzig* l. c. n. 281.

626. Porro ex his resolves I. Famuli & ancillæ non peccant, si jubeantur ab Hero diebus festis laborare, dum absque gravi incommodo imperium detrectare nequeunt; si tamen id sæpius fiat, debent Dominum deserere potius, si alium habere possint. *Laym.* l. c.

627. II. Dominus, qui famulis die festo laborem injungit, peccat graviter vel leviter pro ratione notabilis vel exigui temporis, quo durat labor; quia, quod quis facit per alium, per se censetur fecisse. Nec refert, quod famulus sit hæreticus; hic

enim cum sit subditus Ecclesiæ, etiam tenetur ejusdem legibus, imo respectu famulorum hæreticorum sæpe majus est peccatum propter scandalum, dum Herus Catholicus nulla habita ratione festi de laboribus servilibus magis solicitus est, quam de cultu divino. Famulis quidem infidelibus juxta probabilem sententiam *Dianæ* injungere licet die festo labores, quia Ecclesiæ non sunt subditi: in praxi tamen suadenda est contraria *Tamburini*, quod id non liceat, quia Domino jubenti moraliter imputatur labor, & inhonoratio diei. Vide dicta n. 209. & *La Croix* hic n. 579. Ibidem n. 581. contra *Sanch. Bonac. Palao* cum *Arsdekin* ait, a mortali non esse excusandum Dominum, qui die Dominica sex famulis mandat, ut singuli una hora laborent. Si sex horis successivis perficeretur labor, utique non videtur excusandus Dominus a gravi peccato; quia mandando faceret, ut dies Dominica notabiliter inhonoretur: si vero una, eademque hora a sex famulis perficeretur, probabiliter nonnisi venialiter peccaret.

628. III. Præter ea, quæ ex dictis requiruntur ad hoc, ut labor alias servilis sit licitus die festo, tria adhuc sunt observanda: 1. Ut peragatur sine scandalo. 2. Ut, si fieri possit, peragatur pridie, aut differatur. 3. Si causa excusationis manifesta sit, non opus est dispensatione: secus si dubia sit excusatio. Denique opus, quod die festo licitum est, v. g. scribere, studere, musico instrumento ludere, juxta *Sylv. Cajet.* &c. per hoc non fit illicitum, quod fiat lucri, aut recreationis causa; quia lucrum non facit opus esse servile, sicut e contrario opera servilia propterea non cessant esse talia, si fiant sine lucro, aut mercede.

629. IV. Pingere probabilius non est servile, adeoque nec prohibitum die festo, ut ait *Laym.* l. c. cum *Medina*: *Lopez* & aliis; quia pingere perinde ac scribere tantum consistit in ducendis lineis, ac figuris. Etsi vellemus probabilem contrariam sententiam *Suarezii*, *Bonac. Palao* suadere, consuetudine obfirmata praxis resisteret: colores vero ad pingendum necessarios terere servile est, adeoque die festo illicitum. Idem judicat *Laymann* de Typographis, quod licitum sit characteres ordinare, illicitum vero imprimere chartæ, quod mere servile censetur.

630. V. Saltem per consuetudinem licitum est, die festo venari, aucupari, piscari; si fiat sine magno strepitu, & apparatu, quo retia; aliaque necessaria aptantur, & ad sylvas, vel picinas deportantur. *Laym.* l. c. n. 6. Pariter consuetudine passim tolerata, Barbitonsores excusantur a peccato, barbam radendo, & venam secando diebus festis. Nihilominus pessima consuetudine introducitur, ut toto tempore, matutino diei Dominicæ laborent Barbitonsores, Laniones, Pistores, & præcipue capillamentorum fictorum concinnatores, quibus

bus vel unicum sacrum nimis longum videtur, quin per totum annum vel unicæ interſint concioni.

CAPUT IV.

De Quarto Præcepto Decalogi.

§. I.

Prænotanda.

HActenus egimus de iis, quæ pertinent ad dilectionem Dei; nunc agemus de præceptis ſecundæ Tabulæ, continentibus, quæ ſpectant dilectionem proximi, inter quæ primum locum tenet ſecundum ordinatam charitatem illud Exodi 20. v. 12. *Honora Patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Parentum nomine primario hic intelliguntur ii, ex quibus aliquis ſecundum carnem eſt genitus, ſecundario Eccleſiæ Præſides & Paſtores. 3. Magiſtratus ſæcularis. 4. Omnes illi, qui aliorum curam gerunt, quales ſunt Tutores, Curatores Heri, Magiſtri, & Inſtructores.

§. II.

Principia generalia de Quarto Præcepto.

631. Principium I. *Vi Præcepti quarti Liberi tenentur exhibere Parentibus amorem, obedientiam, & reverentiam*, ita ut, ſi notabilis horum ſit defectus in re gravi, mortaliter peccetur. 1. Tenentur *amare* Parentes amore tum interno, hoc eſt, iis bene velle, eos non odiſſe: tum externo, omne malum, & injuriam notabilem a parentibus propulſando, etiam externa benevolentiæ ſigna eis exhibendo, in neceſſitate conſtitutis ſubveniendo &c. idque non tantum ex charitate omnibus debita, ſed ex juſtitia ſpeciali, quæ vocatur pietas. Hæc obligatio lumine naturæ nota eſt; ideoque graviter peccant liberi, qui *deliberate & ſerio* atque in *materia notabili* quovis affectu pravo, v. g. odio, malevolentia, gravi indignatione feruntur in Parentes. Hinc Exodi 21. v. 16. *Qui maledixerit Patri ſuo, vel Matri, morte moriatur.* Peccant quoque graviter, ſi parentibus in gravi neceſſitate ſive corporali, ſive ſpirituali exiſtentibus non ſubveniant: ſi non impleant eorum teſtamenta, & legata, ex ſuppoſito, quod hæredes ſint: ſi grave malum, v. g. mortem optent. Vide propoſ. 14. & 15. ab *Innoc. XI. damnatas. Navar. Regin. Babenſt.* T. 5. d. 5. a. 1.

632. 2. Tenentur filii obedire Parentibus in omnibus licitis, & honeſtis ad eorum curam pertinentibus, adeo ut omnis inobedientia, & contumacia contra *expreſſa, ſeria* ac juſta mandata Parentum ſit peccatum grave ex genere ſuo, v. g. ſi filius non obediat, Parentibus præcipientibus, ut vitet hanc

vel illam pravam conversationem, ludum prohibitum &c. *Sporer* t. 3. in 4. præcept. c. 5. n. 12. cum *Toleto*, *Marchant.* & *Commun.* Hanc obedientiam inculcat Apostolus ad Ephes. 6.: *Filii obedite Parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* Obligationem gravem indicat Ecclesiasticus c. 3. v. 2.: *Judicium Patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis.* Gravitas inobedientiæ exprimitur ad Rom. c. 1. v. 30. item 2. ad Timoth. 3. v. 2. Vide Deut. 21. a v. 20. Excusat a gravi peccato *levitas materiæ*; nam præceptum in re levi, vel indifferenti communiter non obligat graviter: idem dicendum de consilio tantum, secluso contemptu formali Parentis; sæpe etiam excusat inadvertentia, & juvenilis quædam incuria, quæ caret malitia formali, & contemptu, si tamen ordinarie, & sæpissime filius agat contra præceptum Patris, tunc accederet virtualis contemptus, & pertinacia, quam sub gravi obligatione tenetur corrigere. *Marchant.* Dixi: *in omnibus licitis, & honestis*; sicut enim Pater inhonesta, & a Deo prohibita non potest præcipere; ita nec filius talia præcipienti potest obedire: *Obedire enim oportet Deo magis, quam hominibus.* Act. 5. v. 29. Sic debent filii odisse Parentes juxta præceptum Christi Matth. 10. v. 37. *Lucæ* 14. *v.* 26. Hinc Patri præcipienti, ut filius furetur, obediendum non est.

633. *Tertio.* Tenentur liberi parentibus exhibere reverentiam tum in-tum externam. *Reverentia interna* in eo consistit, ut filius cognoscat parentes tanquam superiores, & inde timorem reverentialem erga eos habeat: *Externa* sita est in verbis, signis & factis. Hinc *Eccli.* 7. *v.* 9. *In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum.* Contra hanc obligationem graviter, vel leviter pro ratione materiæ quatuor modis peccant filii, 1. *Verbo* qui duris, asperis, inurbanis verbis, contumeliis, maledictionibus parentes præsentes vel absentes afficiunt: 2. *Signo*, qui iis illudunt risu, subsannatione: Juxta illud *Prov.* 30. *v.* 17. *Oculum, qui subsannat patrem... effodiant eum corvi de torrentibus & comedant eum filii aquilæ* Juxta *Nav. Tol. Filliuc.* graviter peccant ii, qui evecti ad dignitates, vel divites facti, parentes *ex superbia* despiciunt, abnegant, nosse recusant, vel erubescunt &c. Secus, si id fiat non ex contemptu, ac superbia, sed ob justam causam, v. g. ad vitandum grave incommodum, quod filius incurreret ex eo, si parentes noscerentur; nihilominus deberet in corde retineri debitus reverentiæ & amoris affectus. 3. *Facto* peccant graviter filii, qui parentes deliberate, & cum sufficienti advertentia etiam leviter verberant, *Exodi* 21. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* Imo qui levant brachium, vel instrumentum ad percutiendum, percussione etiam non secuta, nisi forte brachium suum filius attollat ictus declinandi causa,

ut

ut ait *Gobat. vide p. 2. de caſ. reſervatis*. Item peccat graviter, qui patrem accuſat in judicio ſive criminaliter, ſive civiliter, hoc enim omni lege prohibetur, ſicut & teſtem agere contra eos: Excipe caſum læſæ Majeſtatis divinæ per Hæreſin, vel humanæ per conjurationem in Principem, vel per proditionem: licet tamen filio ſimpliciter implorare officium Judicis, ſi a Patre injuſte ſit læſus v. g. alimentis privatus. *Babenſt. l. c. n.* 14. cum *Sayr. Filliuc.* & *Comm.* 4. *Defectu* peccatur, quando filius conſuera juxta morem patriæ reverentiæ ſigna *ſtudio* non exhibet, v. g. non aſſurgit, non ſalutat, caput non detegit. In his ſæpe inadvertentia ſecluſo pravo affectu excuſat a peccato gravi: ideoque Confeſſarius pœnitentem examinare debet, utrum ejuſmodi defectus proceſſerit ex maligno affectu, odio, vel contemptu, ſic enim foret grave peccatum. Verbo: *Maledictus, qui non honorat patrem ſuum, & matrem, & dicet omnis populus: Amen Eccli.* 3. *v.* 16. Huc pertinent illi filii vel filiæ, quæ invitis parentibus, abſque juſta cauſa, ex malitia parentes deſerunt, & malunt ſervire alienis, quam ſubditi eſſe parentibus. *Quam malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem, & eſt maledictus a Deo, qui exaſperat matrem*. Eccl. 3. v. 18. Denique huc pertinent filii fures: nam *qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo, & a matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt*. Prov. 28. v. 24.

634. *Principium* II. Jure divino & naturali tenentur parentes filios amare & educare. Utrumque natura docet bruta ipſa, quæ fœtus ſuos diligunt, eiſque neceſſaria conquirunt ad vitam conſervandam. *Amor* debitus obligat parentes, ut filiis bene velint. Idem excludit omne odium, averſionem, rancorem &c. Hinc parentes peccant graviter, qui Liberos gravi & injuſto odio proſequuntur, iis *ſerio* (ut eveniant) gravia mala imprecantur, in gravi neceſſitate non ſuccurrunt. *Educatio* duplex eſt, corporalis & ſpiritualis. *Educatio corporalis* exigit triplicem providentiam a parentibus, ſcil. providentiam *vitæ, victus, & ſtatus:* h. e. *primo*. Tenentur parentes ab ipſo conceptu ſedulam prolium curam gerere & avertere id, quod prolis vitæ obeſſe poſſit; 2. procurare ea, etiam ſpuriis, quæ neceſſaria ſunt ad victum, & veſtitum ſtatui & conditioni ſuæ congruum. 3. Ita educare eos, ut honeſte ſecundum ſtatum ſuum aliquando vivere poſſint. *Ad educationem ſpiritualem* requiritur *primo Doctrina*, ut parentes vel per ſe, vel per inſtructores erudiant filios in bonis moribus, obſervationem mandatorum Dei, in fide & omnibus ad ſalutem neceſſariis. *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos a puritia illorum. Eccli.* 7. *v.* 25. *Secundo*. Requiritur *Exemplum*, ſcil. ut parentes filiis bono exemplo præeant, & caveant pravo exemplo eis occaſionem præbere ruinæ. Recte *S. Hier.*

in Epist. ad Lætam ait: *Mementote vos parentes magis exemplo docere filios, quam voce.* 3. *Requiritur* Correptio, ut Parentes *serio* sed *discrete* & *prudenter* sive fortiter & suaviter emendent peccata liberorum. Unde monet Apostolus *ad Ephes.* 6. *Et vos Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina & correptione Domini. Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. Prov.* 23. *v.* 14. NB. virga corrigendi sunt filii, non blasphemiis, & imprecationibus. Præsertim autem *super filiam luxuriosam confirma custodiam: ne quando faciat te in opprobium venire inimicis. Eccli.* 42. *v.* 11. Unde ratione sui officii illi parentes peccant graviter, qui filios in necessariis ad salutem nec ipsi per se instruunt, nec ab aliis instrui curant: item qui ex indulgentia nimia vitia prolium corrigere notabiliter negligunt, aut permittunt, filios vel filias frequentare suspecta consortia. Pariter peccant graviter parentes, qui nimia severitate urguntur, minimos errores gravissimis verberibus, & imprecationibus frequenter puniunt; unde filios stupidos reddunt, variis morbis per totam vitam subjectos. Addit *Sporer* l. c. n. 46. omnium consensu illos peccare graviter, qui filios vel filias contra voluntatem cogunt vel ad ingrediendam religionem, cum vellent nubere, vel ad matrimonium ineundum, cum vellent religionem ingredi, &c. vide *Trid. Sess* 25. *c.* 18. de Regular.

§. III.

Casus I.

De Obligatione Liberorum erga Parentes.

Benno filius discolus se accusat 1. *odio habui parentes, irreverens erga illos fui quotidie.* 2. *Aliquoties eos ad gravem iram commovi.* 3. *Rixas seminavi inter eos, revelando ea, quæ Mater de Patre absente ignominiose dixerat.* 4. *Denique matrimonium contraxi invitis Parentibus.*

635. *Q.* I. Quid judicandum Confessario, si pœnitens in genere se accusat odii, irreverentiæ vel inhobedientiæ erga Parentes? R. Observanda est ætas, & indoles pœnitentis; de parvulis plerumque supponi potest, eos non graviter deliquisse ex defectu advertentiæ, plerumque tamen peccant venialiter; si vero notabilem ætatem attigerint, & audacioris sint indolis, interrogandi sunt de modo irreverentiæ, & de materia, quæ a parentibus imperata fuit, an fuerit leve tantum opus præceptum? tunc leviter deliquerunt; an vero materia gravis, vel actio gubernationi domesticæ valde utilis aut necessaria?

& tunc

& tunc graviter deliquissent. De odio inquirendum, an fuerit levis tantum, & brevis aversio animi, quod esset peccatum veniale: an vero deliberate vel animo, vel verbis gravia mala imprecati sint; sic foret grave peccatum *Herzig* c. 4. a. 10. n. 295. *vide dicta* n. 633. sub finem.

636. *Q.* II. Quid judicandum de eo, quod Benno ad iram commoverit parentes? R. Si id factum sit præter voluntatem Bennonis, ob errorem vel delictum ex levitate tantum commissum; leviter tantum peccavit: si vero studiose ad iram provocarit, pertinaciter, & deliberate resistendo, verbis asperis, & contumeliosis parentes afficiendo, peccavit graviter, quia hoc directe est contra debitam reverentiam, & juste parentes inde se graviter offensos fuisse conqueruntur, ac valde contristantur.

637. *Q.* III. Quomodo Benno peccaverit rixas seminando inter parentes? R. Si factum fuerit ex levitate puerili, nec intenderit secuturas rixas, a gravi peccato excusari potest. Secus, si vel positive rixas intenderit, vel eas facile præviderit; hoc enim officium diaboli, non Christiani, multo minus probi filii est erga parentes.

638. *Qu.* IV. An Benno graviter peccaverit contrahens matrimonium invitis parentibus? R. Si contraxerit cum indigna, item si præviderit præter dissensionem parentum alia gravia mala sequi v. g. publica scandala, grave dedecus familiæ; item quod connubium sibi damnosum sit corporaliter vel spiritualiter &c. peccavit mortaliter. Ita *Sporer* l. c. n. 26. cum *Nav. Soto*, *Corduba*, *Sanch. Bellarm.* tum quia in re gravi & justa non obedivit parentibus, & eos offendit absque justa causa; tum quia saltem ex Charitate tenebatur avertere ista mala. Sic graviter censetur peccasse Esau, dum quadragenarius cum gravi offensione Isaac & Rebeccæ accepit uxores de filiabus Chanaan *Genes.* 26. Si vero nullum sequatur grave incommodum, præter indignationem parentum, & ipse contraxerit cum persona digna, & quidem petita prius facultate a parentibus, etiamsi eam non impetraverit, non peccavit. Ita *Kugler P.* 1. *de Matrim. cap.* 2. *n.* 133. ubi affirmat cum *Sanch. Coninck. Filliuc.* & aliis, filium teneri sub gravi culpa in hoc negotio a parentibus petere consilium; eo quod amor, pietas, reverentia, & subjectio parentibus jure naturæ debita, apud omnes gentes recepta, & ipsa rei gravitas pro totius vitæ statu id exigat, quamvis non teneatur (secluso scandalo, vel nisi parentum multum interesset) consilium illud sequi: *Ratio est.* Quia in electione status filii non subjiciuntur parentibus, sed jure naturæ liberi sunt: ergo parentes immerito se reputant offensos, si filii hac in re non obediant. Ex eadem ratione *Sporer* l. c. n. 27. idem respondet de eo, qui ducit indignam: supponit autem:

autem: si absint incommoda prædicta, quæ in tali casu rarissime absunt. Addit *Burgh.* Cent. 3. cas. 55. filium teneri consulere partem, saltem si commode fieri possit & non longe absit; aut si non timeat impedimentum malitiose a parentibus ponendum.

639. Eodem modo si filius animadvertat, se vocari a Deo ad Clericatum, vel statum Religiosum, & prudenter timeat, ne directe vel indirecte a parentibus sit impediendus, potest etiam invitis & inconsultis parentibus Deum vocantem sequi; secus, si non sit, cur id timeat; tum reverentia exigit, ut consulantur parentes. De primo casu intelligendus *S. Hier. ad Heliod. Per calcatum perge Patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis evola.* Vide tamen dicta *n.* 609.

Casus II.

De obligatione Parentum erga liberos.

Barbara nimis benigna Mater, quoties Pater filias liberiori conversationi deditas reprehendit, rixas movet, inclamans, eum esse Tyrannum, nescire modum educandi filias, eas nolle fieri moniales, unde plus libertatis iis concedendum esse: quid juvat, ait, eas esse pulchras, & eloquentes, nisi videantur & audiantur a procis?

640. *Q.* An Barbara graviter peccet, perorando rixose pro libertate periculosa filiarum? R. *affirm.* Et quidem ex duplici capite, tum quia defendendo filias, eas reddit audaciores, ut sine rubore quibusvis periculis liberrime se exponant, cum ingenti scandalo plurimorum, id quod quotidiana experientia testatur; tum quia pertinaciter resistendo justissimis monitis, & correctionibus paternis, filiabus animum addit, ut etiam ipsæ non sine gravi irreverentia Patris monita spernant &c. &c. Unde tanquam certum judico, ejusmodi matrem, si aliquoties a Confessario monita errorem non corrigat, sine absolutione dimittendam esse.

641. Porro *Adverte* I. Matres, quæ infantes in lecto proxime lateri suo admovent, si præviderint periculum oppressionis, peccati gravis reæ sunt, etsi in somno infantem opprimant. *Sporer* l. c. n. 40. Imo probabiliter peccant graviter, quæ scientes hoc periculum, quod frequentissimum est, nihilominus infantes secum in eodem lecto retinent. II. Patres peccant graviter, qui uxores prægnantes dure tractant, percutiunt &c. quia hoc cedit in manifestum damnum fœtus in utero existentis. *Idem* l. c. ubi addit, quod parentes graviter peccent, quando tempore menstrui exercent impuras commixtiones cum evidenti periculo abortus, aut prolis monstrosæ, infirmæ, fatuæ &c. concipiendæ. III. A peccato gravi excusari nequeunt negligentes parentes, qui dissipant bona temporalia, qui causa

sunt

sunt paupertatis, qua filii post mortem parentum prementur, & multorum inde consequentium malorum. Unde ait Apostolus 2. *Cor.* 12. *v.* 14. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, scil. quantum potest fieri salva justitia. IV. Graviter peccat mater, quæ prolem infantem ante templum, hospitale, vel in platea exponit, excipe gravissimam causam, v. g. si absolute non posset eam alere, vel si eam non posset retinere sine gravissimo damno famæ: tum quia pietati naturali repugnat deserere propriam sobolem: tum quia hoc proli probrosum & graviter ignominiosum reputatur. In gravi necessitate adhuc tenetur mater in expositione infantis curare, ne frigore pereat, aliove modo damnum salutis sive corporalis, sive spiritualis patiatur. V. Matrem per se loquendo tenetur infantem alere per triennium; si absque justa causa tradat eum nutrici bonæ, non nisi venialiter peccat, secus si tali, unde probabile damnum grave imminet proli. *Sayr.* L. 7. C. 7. n. 5.

Casus III.

De obligatione Tutorum erga pupillos, & viciſſim.

Barnabas Tutor pupilli sui bona valde negligenter curat; non modicam partem eorum sua culpa sinit perire. Quoties acerbius exposcit pecuniam, eam liberrime concedit ad usus minime necessarios, nec utiles, dicens: quid ad me? prodigat pecuniam suam: sic liber ero a cura.

642. *Q.* I. An Barnabas peccet graviter negligendo bona pupilli, & concedendo pecuniam ad usus non necessarios, nec utiles? R. Si ea negligentia tanta sit, ut damnum grave inde patiatur pupillus, peccat graviter, & tenetur ad restitutionem; quia Tutor ex officio, & omni jure tenetur administrare bona pupilli tali diligentia, qualem gnavus Pater solet adhibere in propriis bonis. *Confirm.* ex L. *Tutori* 20. Cod. *de negotiis gestis*, ubi statuitur, quod Tutor & Curator etiam culpam sive negligentiam levem præstare teneantur. *Laym.* T. 1. L. 3. t. 4. C. 7. n. 5. Ex eadem ratione graviter peccat quoad secundum.

643. *Q.* II. Ad quid in genere obligentur Tutores respectu pupillorum, & viciſſim? R. Tutores tenentur amare pupillos, & curam illorum gerere tum in corporalibus, tum in spiritualibus; ut bona eorum juste, & fideliter administrent, & ipsi in fide, & bonis moribus rite instruantur. Pupilli vero tenentur tutoribus exhibere amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, quæ pertinent ad tutelam, adeo, ut peccent graviter, si in re notabili deliberate non obediant jussis tutorum. *Ratio est*: Quia Tutores ex officio suo succedunt parentibus; adeoque ex omni jure eandem, quam parentes, obligationem contrahunt. *Sporer* l. c. n. 63.

Casus IV.

De obligatione famulorum erga Heros, & viciſſim.

Bajulus ſervus ſe accuſat, quod herum ſuum graviſſimis ſæpe calumniis offenderit, & præcipienti juſta obſequia tergum obverterit: Item quod per integros ſæpe dies abſente Domino nihil laboraverit in vindictam, eo quod Dominus partem mercedis ſubtraxerit, cum nuper per anni quadrantem ægrotaverit. Denique addit: nunc ad lucrandam Domini benevolentiam obedio in omnibus, heri modo adjuvi, ut potuerit grave flagitium patrare.

644. *Q.* I. Quid famuli vel ancillæ teneantur præſtare Dominis ſuis? R. 1. *Reverentiam* juxta illud 1. *Timoth. 6. v. 1. Quicunque ſunt ſub jugo ſervi, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur.* 2. *Obedientiam*, hinc monet Apoſt. *ad Epheſ. 6. v. 5. Servi obedite dominis carnalibus, cum timore, & ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto.* 3. *Fidele obſequium*, juxta illud *ad Titum 2. v. 9. & 10. Hortare Servos Dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem* (fidelitatem) *bonam oſtendentes.* Ideoque peccant ſervi *pro ratione materiæ* graviter vel leviter, quando irreverentes ſunt erga Dominos, illos contemnunt, ad iracundiam provocant, vel ad blaſphemias, quando eis non obediunt in rebus licitis & pertinentibus ad debitum ſervitium: quando otiantur, non laborant fideliter, defraudant, damnum inferunt, vel inferri patiuntur, cum poſſint impedire: ſi abſque graviſſima cauſa famulatum deſerant ante terminum elapſum. *Filliuc.* t. 28. C. 3. q. 10. *Sayr.* L. 7. c. 8. n. 12.

645. *Q.* II. Quomodo Bajulus in ſingulis punctis peccaverit? R. *Quoad* 1. Si deliberate gravibus calumniis offenderit dominum, mortaliter peccavit contra debitam reverentiam. *Quoad* 2. Si juſſa cum levi aliqua averſione, & tergiverſatione excepterit, leviter deliquit: ſi vero in rebus magni momenti non obediverit, graviter peccavit. *Quoad* 3. Menſura gravitatis peccati propter otium, & neglectum laborem deſumi debet a damno inde exorto: vindicta illa probabilius eſt injuſta; quia herus non tenetur ex juſtitia dare famulo mercedem, qui ſive ex culpa, ſive citra culpam per notabile tempus debitum non præſtat obſequium. *Babenſt.* l. c. n. 17. cum *Filliuc.* l. c. num. 84. De reparatione damni a ſervis illati vide in præcepto 7. *Quoad* 4. Poſitive concurrendo ad perpetrandum grave peccatum peccavit graviter, vide *propoſ.* 51. *ab Innocent. XI. damnat.*

646. Porro circa propoſitionem hanc damnatam *Cardenas* notandum recte aſſerit 1. *ad ſcienter*: famulus enim, qui fœminæ ingredienti aperit, & tantum dubitat de flagitio perpetrando

do cum Domino, non debet præsumere illius ingressum tendere in malum finem. 2. Licet actiones ibi expressæ de se sint indifferentes, proxime tamen in iis circumstantiis adjuvant herum ad turpitudinem exercendam. 3. In verbis illis in propositione damnata expressis: *aut quid simile cooperando*, intelliguntur actiones, quæ defacto adjuvant herum ad exercendam luxuriam, quamvis in aliis circumstantiis de se sint indifferentes, cujusmodi sunt: ferre, vel scribere literas ad cocubinam, eamque invitare &c. eam ducere ad locum constitutum &c. Denique in propos. damn. triplex metus non excusans a peccato exprimitur, an vero talis cooperatio famuli ad flagitium Domini licita sit, si ab eo iracundo timeret famulus gravissimum malum, v. g. lethale vulnus, mutilationem, mortem, &c. *Cardenas* non audet ibid. decidere; probabilius tamen illicita videtur, ut ait *La Croix* L. 2. n. 254. quæ resolutio conformior est propositioni damnatæ. Contrarium tenet *Illsung.* t. 3. n. 114.

647. *Q.* III. Quænam sit obligatio Dominorum erga famulos? R. 1. Domini tenentur justam mercedem, & sustentationem congruam præbere servis: *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet: fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. *Timoth.* 5. *v.* 8. *Domini, quod justum est, & æquum, servis præstate, scientes, quod & vos Dominum habetis in cælo, ad Coloss.* 4. *v.* 1. 2. Debent iis amorem, & convenientem benevolentiam. Hinc peccata Dominorum, pro ratione materiæ gravia vel levia sunt: iracundia, nimia austeritas, percussio gravis, & injuriosa, subtractio injusta mercedis, omissio correctionis &c. &c. audiant Domini verba *Eccli. c.* 4. *v.* 35. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.*

Casus V.

De obligatione Præpositorum spiritualium.

Ludolphus de Saxonia refert, fuisse Religiosum, qui postridie ad Prælatos Ecclesiæ, & Parochos verba facturus præcedente nocte ad dicendum sollicite se præparabat: pia meditanti apparuit dæmon jussu Dei dicens: hæc solum dices, & præterea nihil: Princeps inferni Ecclesiæ Principes salvere jubet: gratias illis agimus, quod propter eorum incuriam fere totus orbis ad nos confluat; dixit, & disparuit.

648. *Q.* I. Quæ sit obligatio Superiorum Spiritualium erga subditos? R. Episcopi, Prælati, & Sacerdotes animarum curam gerentes tanquam Patres Spirituales tenentur subditis tanquam Filiis Spiritualibus exhibere 1. *paternum amorem*: Juxta illud *Joann.* 10. *v.* 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

suis. 2. *Curam*, ne animæ ex pastoris negligentia pereant: Juxta illud *Act.* 20. *v.* 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Item 1. *Petri* 5. *v.* 2. 3. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie*. 3. *Doctrinam*, juxta Apost. 2. *Timoth.* 4. *v.* 2. *Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. 4. *Bonum exemplum*, ut monet idem 1. *Tim.* 4. *v.* 12. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in Charitate, in fide, in castitate*. Et 2. *Cor.* 6. 3. *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*. Ideoque Pastores peccant mortaliter negligendo animas in cura; & administratione sacramentorum, præsertim in necessitate eis non succurendo, Conciones & Catecheses diu omittendo, scandala non tollendo, nimium connivendo, maxime vero scandala præbendo. *Sporer* t. 3. C. 5. n. 73.

649. *Q.* II. Quænam sit obligatio subditorum respectu superiorum spiritualium? *R.* Tenentur iis exhibere 1. *reverentiam: In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica*. *Eccl.* 7. *v.* 21. .... 2. *amorem: Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in Charitate propter opus illorum*. 1. *Thessal.* 5. *v.* 12. ... 3. *obedientiam: Obedite Præpositis vestris, & subjacete illis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. *Hebr.* 13. *v.* 17. .. 4. *subsidium necessarium: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina* ... *dignus est operarius mercede sua*. 1. *Tim.* 5. *v.* 17. Ideoque peccant graviter vel leviter secundum rationem materiæ subditi, qui Præpositos Spirituales odio habent, contemnunt, injuria afficiunt; aut illis non obediunt in iis, quæ pertinent ad animarum curam: subsidium de jure vel consuetudine debitum subtrahunt &c.

650. Ex his porro inferes sequentia 1. Superior regularis tenetur 1. tanquam Pater subditis suis regularibus cum amore providere de spiritualibus, & corporalibus: Religiosi enim propter Deum actu heroico patrem & matrem, & omnia bona temporalia reliquerunt; justum proinde est, ut Superiorem, quem Dei loco habent subditi, experiantur esse sollicitum Patrem: 2. tenetur Religiosam disciplinam cum *fortitudine* ac *suavitate* urgere, delinquentes paterne monere, ac corrigere; ideoque Superior posset peccare graviter, si non ex amore, sed inordinata passione minimos defectus eorum, quos aversatur, gravissime semper, & acerbe puniret; gravissimos vero defectus eorum, quos benevole amat, & cæco amore prosequitur, vel impu-

impunitos non corrigeret, vel per conniventiam foveret. Præterquam enim quod hic modus sit contra finem omnium Ordinum Religiosorum; maximorum etiam malorum causa & origo esse solet. II. Pariter subditi Regulares tenentur suos superiores amare, revereri, iisque in honestis, & licitis obedire secundum regularum, & institutionem. Ideoque subditus juxta pleraque statuta Ordinum Religiosorum peccaret graviter, qui Superiori justa præcipienti sub obedientia, resisteret, nolletque obedire: qui diuturno odio Superiorem haberet: item qui data opera negligendo regularem disciplinam causa esset, ut sensim in aliis amor disciplinæ regularis extinguatur. III. Præceptores, sive Instructores 1. tenentur sollicite promovere profectum discipulorum in literis. Hinc absolute necessarium est, ut & ipsi bene periti sint eorum, quæ alios volunt docere. 2. Tenentur *prudenter* corrigere peccata discipulorum. 3. Iis præ-lucere bono exemplo. Hinc pejores diabolo sunt illi, qui animas sibi commissas verbis, opere, vel exemplo corrumpunt. IV. Discipuli debent Instructoribus amorem, reverentiam, & obedientiam. Quamvis in his discipuli non tamen facile peccent graviter, sicut filii, ut supra dictum: nihilominus discipuli jam adultiores a peccato gravi non excusantur, si crassis dicteriis, & contumeliis reverentiam violant.

„ *Appendix de Beneficiis Ecclesiasticis, & Beneficiatorum, necnon*
„ *Religiosorum obligationibus.*

„ *Quæritur* I. Quid sit Beneficium Ecclesiasticum?
„ R. Proprie tale ut *Jus perpetuum percipiendi fructus Eccle-*
„ *siasticos propter ministerium spirituale, authoritate Ecclesiæ con-*
„ *stitutum*, ut adeo hoc jus spiritualizetur per bona Ecclesiæ,
„ personas Ecclesiasticas, & maxime per ministerium ad cul-
„ tum Dei immediate deputatum, sicque a Laico acquiri, &
„ præscribi nequeat. Quare 1. *beneficium manuale* ad nutum
„ dantis revocabile non est proprie Beneficium, eo quod careat
„ perpetuitate tituli, qui solum ab Episcopo tolli posset, &
„ Beneficiati, qui solum amoveri ob causas in jure expressas de-
„ bet. 2. *Sub distinctione tantum* Beneficia sunt *Vicaria*, si sit
„ perpetua, stabiliter curam animarum exercens, *Cappellania*,
„ si sit collativa, auctoritate Episcopi erecta, & ab hoc con-
„ ferenda; *Commenda*, si sit præceptoria Equitum Teutoni-
„ corum aut Melitensium, qui licet stricte Clerici non sint,
„ eo quod Tonsura & Ordinibus careant, sunt tamen Re-
„ ligiosi; *Hospitalia*, si ab Episcopo solis Clericis, & ob spi-
„ rituale officium concedi soleant, aut alteri Beneficio acceso-
„ riæ unita sint: *& Præstimonia*, si sint proventus annui de bo-
„ nis Ecclesiasticis detracti cum obligatione ad horas Canonicas.

„ 3.

„ 3. *Absolute* vero Beneficia sunt *Dignitates Ecclesiasticæ*, quæ „ Jurisdictionem habent in foro externo, qualem habet Epis„ copus, Archidiaconus, qui hodie passim Vicarius generalis „ est, Archipresbyter, qualis hodie censetur Decanus urbicus, „ & ruralis &c. *Personatus*, qui solam habet præeminentiam „ in Choro, sessione, suffragiis &c. ut Senior &c. *Officium*, „ qui solam administrationem, ut Primicerius seu primus in „ tabula cerata olim scriptus, hodie Scholasticus, Cantor, „ Thesaurarius. *Curatia*, quæ Jurisdictionem in foro interno „ exercet, & *Beneficium simplex*, quod præter privatam, aut „ publicam recitationem Horarum, vel Sacri celebrationem ni„ hil requirit, sive dein hoc sit *Sæculare*, quod solis Clericis „ Sæcularibus, sive *Regulare*, quod Regularibus, sive *Patrimo„ niale*, quod solum alicui ex certa familia, parochia, aut pa„ tria conferri debet. Ita *Palao*, *Biner* &c.

„ Q. 2. Quæ via acquirendi Beneficium?

„ R. Triplex, vel *Electionis*, qua Clericus a toto Capitulo, „ vel uno ex Capitularibus per turnum seu ordinem eligitur, „ ab Episcopo confirmatur, & ab hoc, aut deputato corpo„ raliter investitur, vel *Præsentationis*, qua a Patrono laico „ aut Ecclesiastico nominatur aut præsentatur, ab Ordinario „ instituitur, ab aliquo corporaliter investitur; vel *Collationis*, „ qua libere ab Ordinario alicui confertur beneficium, & ab „ aliquo corporaliter investitur e. g. introducendo Beneficiatum „ in templum, aut stallum Chori, porrigendo illi claves Ec„ clesiæ, annulum, librum &c. ut adeo triplex distingui Be„ neficii species possit, *Electivum*, ubi electio dat Beneficiato „ jus ad rem, confirmatio jus in re, investitura corporalis a„ ctualem possessionem; *Patronatum*, ubi rursus præsentatio „ tribuit jus ad rem, institutio jus in re, investitura actualem „ possessionem; & *Collativum*, ubi libera Episcopi collatio „ immediate transfert jus in re, installatio possessionem. In his „ tamen promotionibus *debet Beneficium vacare*, & quidem „ ita, ut promissio Beneficii nondum vacantis, aut proxime „ vacaturi sive certi, sive incerti ipso jure sit nulla cum du„ plici pœna annexa, ut Trid. S. 24. c. 19. titul. *de conces. præbendæ non vac.* Regulæ Cancel. 21. & 31. atque ipsa ra„ tio docet, ne detur ansa captandæ mortis, & non foveantur „ importunæ extorsiones Beneficiorum.

„ *Dices* 1. Praxis habet, *Episcopos* promittere passim bene„ ficium proxime vacaturum. 2. Gratiæ *expectativæ* sunt pas„ sim in usu. R. *Ad* 1. Non esse proprie promissionem, sed „ tantum expressionem factæ spei ad beneficium aliquod inde„ terminatum quoad tempus & locum. *Ad* 2. Has gratias a so„ lo Papa concedi hodie posse, quia *Trid. S.* 25. *c.* 21. *de ref.* „ dicit, decreta ita sumi, *ut salva semper auctoritas Sedis A-*

„ *posto-*

„ *postolicæ sit*. Papa enim potest 4. modis conferre Beneficia: „ *Jure concursus* cum Episcopis, quod raro facit, ne inferiores „ collatores præcipitent suas collationes, provisi litigent: *Jure* „ *præventionis*, dando expectativam, aut mandatum de provi- „ dendo: *Jure devolutionis*, quando ordinarii provisores indi- „ gnum postulant, aut elabi sinunt tempus providendi, 6. men- „ ses pro Beneficio simplici aut Præpositura Collegiatæ, 3. „ menses pro electione Abbatis aut Episcopi: Et *Jure reserva-* „ *tionis* quod triplici loco continetur; in Corpore juris ob Si- „ moniam confidentialem, in regulis Cancellariæ ob promotio- „ nem Papalem alicujus, prius habentis Beneficium, ad Epi- „ scopatum vel Abbatiam, & in Concordatis Germaniæ in- „ ter Nicolaum V. & Fridericum III. Imp. ubi reservantur „ Papæ prima dignitas post Episcopum, Canonicatus alterna- „ tive mensibus Jan. Martio, Majo &c.

„ *Q.* 3. Quæ requisita in Beneficiando?

„ *R.* Ex *Trid. S.* 24. *c.* 12. *& Lessio* octo colligo. 1. *To-* „ *rus legitimus*, pro ordinibus minoribus, & beneficio simpli- „ ci, cui nullus ordo sacer annexus, dispensat Episcopus. 2. „ *Cœlibatus* adeo, ut per matrimonium ipso facto vacet be- „ neficium. *Amort* vult, illum peccare graviter, qui acceptat „ beneficium, minores solum ordines exigens sine animo ma- „ nendi perpetuo in Clericatu; *Laymann* cum multis negat. „ 3. *Ætas*, ad Beneficium simplex annus saltem 14. ad di- „ gnitatem vel personatum annus 22. completus, ad curatum „ 24. completus, ad Episcopatum 30. completus; Papatus „ tempus certum non habet. 4. *Clericatus*, ut pro præsenti „ omnis Beneficiatus habeat tonsuram, & animum intra an- „ num suscipiendi ordinem requisitum, Episcopus autem pro „ præsenti habeat Subdiaconatum, & animum intra 6. men- „ ses recipiendi consecrationem: datur nempe Episcopo electo „ mensis ad deliberandum, an acceptare electionem velit, ab „ acceptatione 3. menses ad petendam confirmationem, ab hac „ rursus 3. ad consecrationem. 5. *Scientia debita* adeo, ut tunc „ invalida censeatur promotio, quando præter defectum scien- „ tiæ adest etiam defectus capacitatis ad scientiam. 6. 7. 8. „ *Absentia Irregularitatis*, *Censuræ*, *& Beneficii alterius in-* „ *compatibilis*: quando enim Beneficiatus tantum habet cor- „ poris, aut probitatis defectum, ut propterea contrahat irre- „ gularitatem ex defectu, vel delicto, vel infamia; quando „ irretitus est Censura majore, aut habeat beneficium ex na- „ tura sua incompatibile, promotio ipso facto est *irrita*; cum „ jura passim his conditionibus destitutos dicant *Inhabiles*, si- „ cut Sponsos impedimentis dirimentibus ligatos in ordine ad „ matrimonium; nisi statuant illico petere dispensationem, „ aut sub titulo cessionis recedere a Beneficio &c. hæc tamen

„ promotio est solum *irritanda*, si Beneficiandus habeat dun-
„ taxat Excommunicationem minorem, aut Beneficium in-
„ compatibile tantum ex dispositione Juris, seu secundi gene-
„ ris.

„ *Dices*: Non est *discrimen* inter incompatibilitatem ex na-
„ tura, & dispositione juris. 2. Si aliqua Beneficia sunt incom-
„ patibilia ex natura, sunt hoc ipso *indispensabilia*. 3. Si in
„ Beneficiando deficeret una ex his conditionibus, juxta nos
„ deberet *restituere fructus*, quos interea reciperet, cum pro-
„ motio esset nulla. R. *Ad* 1. N. Incompatibilia primi
„ generis, seu ex natura differunt *in causa*, quia sunt talia
„ propter ministerium, aut residentiam incompossibilem e. g.
„ duo uniformia Beneficia sub eodem tecto, duæ Vicariæ per-
„ petuæ, duæ Abbatiæ &c., & *in effectu*; quia dispensatio
„ requirit majorem causam, est rarior, & per assecutionem
„ secundi ipso jure vacat primum. At incompatibilia ex dis-
„ positione juris sunt talia ob sufficientiam utriusque seorsim
„ ad sustentationem, sunt facilius dispensabilia, & acceden-
„ te secundo cessare incipit alterutrum, vel per sententiam
„ judicis, vel per arbitrium Beneficiati, cui liberum est, qua-
„ le velit admittere. *Ad* 2. N. quia sunt tantum incompati-
„ bilia naturaliter ex Hypothesi, quod non sint affecta dispen-
„ satione illius, qui habet potestatem disponendi de Beneficiis
„ pro bono Ecclesiæ; neque enim hic attenditur sola natura
„ secundum se. *Ad* 3. debet restituere fructus nisi conditio ta-
„ lis *ab Ecclesia* acceptetur ut sufficiens; acceptatur autem e.
„ g. intentio ordinem requisitum acceptandi conditionata, nisi
„ nova circumstantia, vel causa notabilis accesserit mutandi
„ intentionem; *item* si quis initio non haberet hanc inten-
„ tionem, superadderet eam tamen intra annum & accepta-
„ ret ordinem, retro traheretur hæc suppletio ad primam col-
„ lationem &c.

„ *Coroll.* 1. Si alterutrum, vel utrumque est *seorsim insuffi-*
„ *ciens* ad congruam sustentationem, non opus est dispensatio-
„ ne. 2. Invalide provisus habet remedium *triennalis possessio-*
„ *nis* ex Reg. 36. Cancell. quæ tribuit Beneficiando Jus Be-
„ neficii retinendi, si accedat hæc quadruplex *conditio*: bona
„ fides, titulus coloratus sine Simonia, aut violenta intrusio-
„ ne acquisitus, possessio pacifica per triennium, & benefi-
„ cium non sit reservatum Papæ reservatione generali in cor-
„ pore juris, ut docet Sanchez *in Consil. Moral.* quid au-
„ tem sit Intrusio, deducit Haunoldus *P.* 1. *tr.* 5. *c.* 7. *de*
„ *jure*.

„ *Q.* 4. Quomodo cessent Beneficia?

„ R. Quoad Beneficiatum cessant 3. modis. 1. *Per senten-*
„ *tiam judicis*, quam fert ob crimina quædam, non tamen

„ sum-

„ ſumme enormia e. g. Sacrilegium, perjurium, adulterium,
„ homicidium ſimplex &c. 2. *Per diſpoſitionem Juris* ipſo facto
„ ob crimina quædam magis enormia, quæ ſunt Hæreſis, Si-
„ monia, aſſaſſinium, & falſificatio literarum Apoſtolicarum;
„ ob initum matrimonium, Profeſſionem in Religionem e-
„ miſſam, aſſumptam militiam ſæcularem, & acquiſitum Be-
„ neficium ex natura ſua incompatibile; ob poſſeſſionem Be-
„ neficii vi aditam, adminiſtrationem cœptam ante confirma-
„ tionem, dilationem petendæ confirmationis, aut conſecratio-
„ nis ultra tempus, & alienationem bonorum Eccleſiæ ſine ſo-
„ lemnitatibus. 3. *Per dimiſſionem ſpontaneam Beneficii*, quæ 5.
„ viis peragitur, vel *commutatione* cum alio Beneficio, ubi ſuf-
„ ficit & requiritur conſenſus Ordinarii utriuſque Beneficii;
„ vel *reſignatione pura* in manus Epiſcopi, monito tamen prius
„ Electore, aut Præſentatore, quamvis ſupplicari poſſit pro
„ penſione Succeſſori imponenda ad tempus; vel reſignatione
„ *cum reſervatione penſionis* tanquam conditione ſine qua non,
„ ad quam requiritur conſenſus Papæ, cujus ſolius eſt confer-
„ re Beneficia cum diminutione ſic petita, vel reſignatione *in*
„ *favorem tertii*, ſeu cum clauſula, *non aliter*, quam ut
„ e. g. Nepoti conferatur; ubi motus proprius Pii V. *Quan-*
„ *ta Eccleſiæ*, neceſſario exigit conſenſum Papæ, cum
„ ſubeſſe ſæpe ſoleat affectus Simoniacus, ſpecies ſucceſſio-
„ nis hæreditariæ, reſtrictio libertatis in conferendis Bene-
„ neficiis, excluſio perſonarum utiliorum &c. vel denique
„ reſignatione *cum reſervatione acceſſus, ingreſſus, aut re-*
„ *greſſus*; Acceſſus quidem fit, quando *deſtinatur* Benefi-
„ cium reſignatum alicui *nondum habenti jus* ullum ad Be-
„ neficium e. g. Petrus reſignat beneficium ſuum Paulo,
„ ut hic ſuo tempore reſignet Joanni conſaguineo Petri,
„ nondum habenti debitam ætatem: ingreſſus vero fit,
„ quando *repetitur* beneficium, *collatum* quidem, ſed non-
„ dum poſſeſſum ſuo tempore rurſus reſignandum e. g. Pe-
„ trus Beneficium ſibi nunc collatum reſignat Paulo, ut
„ hic id denuo ſuo tempore reſignet Petro: & regreſſus
„ contingit, quando *repetitur* rurſus Beneficium *jam poſ-*
„ *ſeſſum* ſuo tempore reſignandum e. g. Petrus reſignat Pau-
„ lo ſuum Beneficium per plures jam annos habitum cum
„ omnibus fructibus, ut hic id rurſus Petro priori poſ-
„ ſeſſori reſignet: ad quam reſignationem duplicatam vel ma-
„ xime requiritur conſenſus Pontificis, iſque difficulter ob-
„ tinendus.

„ NB. Incapaces Beneficiorum his verſibus continentur:
„ Debilis, ignarus, male conſcius, irregularis.
„ Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

„ Q. 5. Quæ obligatio Curatorum?

„ R. Cum inter Personas sacras recenseantur Curati, Beneficiati simplices, & Religiosi, tenetur Parochus 1. vi Bullæ „ Benedicti XIV. *Cum semper*. 1744. & Trid. S. 23. c. 1. ref. „ singulis diebus Dominicis, & festis *pro Parochianis suis applicare Sacrum*, cum gemina tamen limitatione, scil. ut prospiciatur Vicario Ecclesiæ de congrua sustentatione, & si illi „ die festo offeratur stipendium pro Sacro faciendo, poterit intra hebdomadam supplere Missam pro parochianis. 2. Tenetur *verbum Dei prædicare* sub gravi, adeo, ut si per mensem integrum, aut per decursum anni duobus tribusve mensibus discontinuatim omittat, juxta Bonacinam vi Tridentini peccet mortaliter; sub quo tamen maxime continetur obligatio catechizandi. 3. Tenetur *administrare Sacramenta* suis „ in quatuor Casibus; nempe quoties in communi urget præceptum recipiendi Sacramentum, aut necessitas alicujus privata, aut utilitas, aut subditus id postulet jure suo. 4. Si „ simul habeat *administrationem bonorum temporalium Ecclesiæ*, „ nec valide, nec licite alienare potest bona Ecclesiæ immobilia, aut mobilia pretiosa sine justa causa, & solemnitatibus „ debitis, quæ sunt, ut fiat tractatus prævius Prælati cum Capitulo collegialiter congregato, consensus partis majoris & sanioris capituli, hujus subscriptio, & authoritas Superioris „ immediati. Ita Gregorius X. in *c. hac consultissima. 2. de Reb. Eccl. non alien. in 6.* & Paulus II. *in Extrav. ambitiosæ*, & Bulla Urbani VIII. 1624. 7. Sept. *Excipitur* tamen „ elocatio ad triennium, concessio in Hypothecam generalem, „ & res ab annis 40. alienari solita, modo adsit necessitas e. g. „ ad solvenda debita, vel utilitas e. g. lucrum, vel pietas e. g. „ redemptio captivorum, sic *Biner cum aliis* etiam defendit, repudiationem hæreditatis, Ecclesiæ delatæ, sine solemnitatibus „ esse penitus nullam. Officium Parochi his versibus continetur:

„ *Assideat doceatque, roget, Sacramenta ministret.*
„ *Succurrat, servet tradita quæque sibi*

„ *Q.* 6. Quæ obligatio Beneficiati simplicis?

„ R. 1. Si Beneficiatus vi fundationis teneatur quotidie *pro „ fundatore beneficii* celebrare, aut tempore, ac loco certo, „ potest sine mortali aliquoties per annum pro se, aut amico „ valde conjuncto gratis applicare Sacrum; neque enim fundator præsumitur esse graviter invitus, nec quantitas materiæ „ est gravis respectu totius anni. *La Croix cum aliis*. 2. Si „ Literæ fundationis nil exprimant de applicatione Sacri, tenetur illud pro fundatore, & ejus familia applicare Beneficiatus, quando in perpetuo beneficio similia præscribuntur: „ *Beneficiatus ter celebret in Septimana: fundo Missam pro omni*

„ *die*

„ *die Veneris*. Nisi contraria mens fundatoris colligi queat vel „ ex eo, quod Missas solum petat pro commodo audientium, „ vel quod certum Missarum numerum pro se petat, de reli„ quo numero taceat, ut declaravit S. Congregatio. 3. Si be„ neficio tenui *per Benefactores facta est accessio reddituum*, si de „ mente Benefactorum non constet, nulla datur specialis obli„ gatio applicandi pro Benefactoribus, sed sufficit eorum fre„ quentius meminisse: cum jura non eodem modo de Bene„ factoribus, quo de fundatoribus loquantur. *Gobat & La „ Croix n.* 834... 4. Si fundatio exigat sacrum *in festis celebrio„ ribus*, intelliguntur festa ex præcepto etiam in foro. *Ita „ praxis*. 5. Si Beneficiatus deprehendat, hactenus contra fun„ dationem lecta esse *pauciora Sacra*, si per tempus immemo„ riale hoc factum sit, pergit licite in incœpto; si vero de„ prehendat justo *plura* esse lecta, fundator autem statim ini„ tio sit mortuus, non tenetur pergere; cum fundator non „ vivens non habeat possessionem requisitam ad præscribendum. „ *Ita Notæ in Reiffenstuel*.

„ *Q.* 7. Quæ obligatio residendi?

„ R. 1. *In genere*: aliqua præsentia in loco beneficii vel „ personalis per se, vel Vicaria per alium idoneum est in o„ mnibus beneficiis curatis Jure naturali & divino necessaria, „ ita Palao in hac re insignis cum 9. aliis ex Trident. S. 6. *c.* „ 1. & S. 23. *c.* 1. *ref.* Curatus enim, nisi resideat, pascere „ oves nequit & exequi fideliter suum officium: unde residen„ tia determinate personalis probabilius est jure duntaxat Ec„ clesiastico præcepta, ut *Biner cum aliis*; cum alias dispensa„ ri in ea, aut illi præscribi non posset. 2. Pro ordinaria ab„ sentia personali conceduntur Episcopo ad summum tres, Pa„ rocho autem duo menses ex causa rationabili e. g. relaxa„ tionis &c. ut adeo Parochus *pro extraordinaria absentia* ul„ tra 2. menses debeat habere causam gravem, facultatem E„ piscopi scripto obtentam, & Vicarium idoneum ab eodem „ approbandum; pro *ordinaria* causam minus gravem, proba„ tam tamen, saltem pro securitate, ab Episcopo oretenus, „ *pro brevi* aliquot dierum, causam levem sine approbatione „ Episcopi: ita *Schmalzgr.* ubi Vicarius ita semper necessarius „ est, vel adjutor, ut si periculum probabile adsit, operam il„ lius requiri, etiam modica absentia possit esse mortalis, ut„ pote quæ non tam a tempore, quam necessitate ponderetur. „ 3. *Canonici* vi Trid. tenentur 9. mensibus residere; pro con„ suetudine locorum quandoque sufficiunt tres aut duo &c. „ habentur tamen pro præsentibus quoad *fructus grossos*, si ab„ sint ex privilegio, vel causa justa; quoad *distributiones quoti„ dianas* etiam, si absint ob utilitatem Ecclesiæ suæ, gravem:

„ infirmitatem, aut neceſſitatem, modo abſentiam ſignificent „ Superiori, & alias intereſſe choro conſueverint.

„ *Dices*: 1. In Beneficiato cenſetur electa *induſtria perſonæ*: „ ergo non ſufficit præſentia per alium. 2. Conſuetudo pro „ abſentia a Trid. vocatur *corruptela*.

„ R. *ad* 1. C. A. D. C. ſine diſpenſatione, & niſi ſubſtitutus ſit æque induſtrius, & ſæpe plus profit C. C. ſecus N. „ C. tenetur tamen Principalis ſemper ſupremam curam de o„ vibus, & ipſo ſubſtituto gerere, ne in mero otio reditus „ conſumat. *Ad* 2. eſt corruptela, ſi per abſentiam Eccleſia „ patiatur damnum.

„ *Q.* 8. Quæ obligatio Religioſorum?

„ R. Cum ſtatus Religioſus ſit *fidelium per tria vota pauper„ tatis, caſtitatis & obedientiæ ad perfectionem tendentium ſtabi„ lis vivendi modus ab Eccleſia approbatus*, quam approbatio„ nem Innocentius III. *c. ne nimia. 9. de Relig. dom.* ſoli „ deinceps Sedi Apoſtolicæ propriam fecit, ſequitur 1. Reli„ gioſum *peccare graviter*, ſi haberet animum non tendendi ad „ perfectionem per obſervationem 3. Votorum ſubſtantialium. „ 2. In ſpecie *contra paupertatem* peccare graviter, ſi indepen„ denter a voluntate Superioris uſurpet, aut alienet &c. eam „ quantitatem, quæ gravis foret contra juſtitiam *in materia „ furti abſolute ſpectata e. g.* ablata familiæ mediocriter divi„ ti, ita *Schmalzgr. in conſil.* &c. certe abſurdum eſſet, metiri „ gravitatem in paupertate reſpective ad divitias Monaſterii: „ cum idem Religioſus in hoc domicilio plus, in alio minus „ uſurpare ſine mortali poſſet &c. 3. *Contra Caſtitatem* Reli„ gioſus etiam Votis duntaxat ſimplicibus ordini mancipatus, „ committit Sacrilegium per actum tam internum, quam ex„ ternum *luxuriæ*; eſtque ſtante Voto inhabilis ad matrimo„ nium valide contrahendum, ut etiam de Voto Scolaſtico„ rum Societatis diſpoſuit & declaravit Eccleſia. 4. *Contra O„ bedientiam* tunc peccatur graviter, quando non obtempera„ tur Superiori legitime, & per vim plenam obedientiæ aliquid „ præcipienti, quod plerumque fit per verba: *præcipio ſub „ obedientia*: *in virtute S. Obedientiæ*. Caſus autem reſervatos „ ſuadente Bellarmino Clemens VIII. reduxit ad 11. ut non „ poſſit Superior Religioſos novos inducere ſine conſenſu Capi„ tuli generalis vel provincialis. Vid. P. II. n. 785.

„ *Coroll.* 1. Poſſe Religioſum peccare ſimpliciter, aut etiam „ graviter *contra juſtitiam*, quin ita peccet contra paupertatem, & viciſſim e. g. ſi uſurpet rem furto ablatam alteri „ cum licentia Superioris id ignorantis, aut furetur acum ſartori ſumme indigenti, aut re a ſæculari permiſſa utatur ſine „ facultate Superioris, aut Regi furetur duos florenos. Neque

„ etiam

„ etiam est paritas Religiosi usurpantis *cum filiofamilias*, cu-
„ jus erunt aliquando bona patris; cum Monasterium potissi-
„ mum curet damnum disciplinæ Religiosæ, habeatque plures
„ Religiosos, quam pater filios.

„ 2. *Novitios* per se non obligari reservatione casuum Reli-
„ gionis, nec statutis, aut regulis, quamvis per accidens pec-
„ cent, si sua non observantia inducant scandalum, laxitatem,
„ turbationem &c. possunt tamen semper puniri ob transgres-
„ sionem, cum hæc pœnæ tolerantia sit una ex probationi-
„ bus.

„ *Q.* 9. Quæ facultas Superioris requiratur?

„ R. In materia paupertatis ad vitandam *proprietatem* non
„ est semper necessaria *licentia expressa*, quam Superior verbo
„ vel scripto in specie concedit; neque *tacita* quæ vel ut pars
„ aut connexum continetur in generali, vel datur tunc, cum
„ Superior videt aliquid fieri & nec interius nec exterius dis-
„ sentit; sed sufficit etiam *rationabiliter præsumpta*, quæ pru-
„ denter credit, Superiorem, licet ignorantem, non habere a-
„ ctu voluntatem contrariam, sed habere propensionem interpre-
„ tativam, quod daret licentiam, si sciret, & rogaretur; ita
„ S. *Thom. Palao cum* 6. *aliis*: nam sic usus rei non jam est
„ independens a voluntate Superioris, sed subordinatus; quod
„ sufficit ad evitandam speciem proprietatis. Quare sufficit a
„ fortiori *Consuetudo* aliquid acceptandi, quæ ab aliquibus ad
„ tacitam, ab aliis ad præsumptam facultatem revocatur, imo
„ universim si superior commode adiri possit, & non acce-
„ datur, fere semper intercedet peccatum veniale propter mo-
„ dum observantiæ Religiosæ contrarium juxta Suarez & Pa-
„ lao *tr.* 16. *dist.* 3. *pu.* 23. Juxta Lugo & Illsung vero Su-
„ perior erit invitus etiam quoad substantiam rei usurpatæ.
„ *Tr.* 4. *dist.* 2. *n.* 199. *& seqq.* aliter tamen non nihil lo-
„ quendum de Societate Jesu.

„ *Dices*: 1. Licentia præsumpta non est *actualis*; quia in
„ Superiore non datur. 2. Superior est certe *invitus*, quod non
„ petatur licentia, cum posset. 3. Non sufficit *ad jurisdictio-*
„ *nem* obtinendam pro Confessionali: ergo neque &c. 4. Est
„ origo *laxitatis*. R. *Ad* 1. Non est actualis expressa, est ta-
„ men actualis præsumpta, & datur actu moraliter in judi-
„ cio subditi. *Ad* 2. Est invitus quoad modum fortassis, non
„ quoad substantiam. *Ad* 3. Potestas jus dicendi concernit va-
„ lorem Sacramenti, & est difficilioris acquisitionis. *Ad* 4. N.
„ si prudenter præsumatur. Regulæ prudenter præsumendi sunt,
„ 1. Ubi Superior passim sine dificultate dat licentiam, in
„ hac specie rationabiliter præsumitur. 2. Major est præsum-
„ ptio pro subdicto bene merito, Sene, Officiali, quam pro a-
„ lio. 3. Facilius præsumitur pro accipienda re sacra, quam

„ profana; facilius pro esculentis, quam pecuniis. 4. Quo stri-
„ ctior est Religio, eo minor est locus præsumptioni. Vid.
„ Mangionium, *de paupertate Rel.*

„ *Q.* 10. Quid requiratur ad ingressum Religionis?

„ R. Ut detur *ætas debita*, & non detur *impedimentum* ratio-
„ ne parentum, vel matrimonii, vel servitutis, vel officii pu-
„ blici ad ratiocinia obligati, vel speciale respectu Religionis
„ e. g. morbi caduci, in aliquibus descendentia a Judæis &c.
„ Itaque 1. *ad inchoationem Novitiatus per se sufficit tempus pu-*
„ *bertatis acquisitæ*; quamvis usu hodierno exspectetur annus
„ 15. completus: ita teste Lessio *opusc. de statu vitæ*: docet
„ praxis Ecclesiæ per plures quam 1000. annos, quæ a Spiri-
„ tu S. regitur, nec legitur a Tridentino quidquam immuta-
„ tum; tunc enim homo fit sui juris in negotio concernente
„ statum vitæ, & curam proprie salutis. 2. Filius non pot-
„ est ingredi Religionem, aut in Novitiatu permanere, *quan-*
„ *do parentes illius sunt in magna, hoc est gravi, aut valde gra-*
„ *vi aut extrema necessitate*: ita Antoine *c.* 4. *de obligation.* &
„ Sanchez *L.* 4. *c.* 20. *op. Mor.* cum 23. aliis; quia præceptum
„ charitatis & pietatis prævalet consilio, quale est ingredi, vel
„ manere in Novitiatu adhuc sine votis; nec procedit hic or-
„ do ille charitatis, vi cujus Novitius possit bonum spirituale
„ proprium præferre alieno corporali: aliter in gravi necessita-
„ te loquendum de professo, in quo non est res amplius con-
„ silii. 3. *Ratione Matrimonii* res ita se habet: Sponsi de fu-
„ turo possunt ingredi Religionem per se, cum sponsalia imbi-
„ bitam habeant conditionem: *nisi statum Religiosum elegero.*
„ Sponsi de præsenti in matrimonio rato possunt 2. mensibus
„ deliberare de ingressu Religionis, & invita etiam altera par-
„ te ingredi: Conjuges in consummato possunt ingredi, si al-
„ tera pars committat adulterium notorium, aut consentiat,
„ possitque vivere sine periculo incontinentiæ.

„ *Q.* 11. Quid ad valorem Professionis?

„ R. 1. Ex parte *admittentis* potestas, consensus majoris
„ partis capituli, & absentia metus gravis juxta Lessium. 2.
„ Ex parte *ipsius professionis*, ut fiat in Religione approbata
„ & ejusdem sexus, ut complectatur omnia 3. vota, ut
„ præsupponat annum probationis mathematice completum a
„ susceptione habitus. 3. Ex parte *professentis*, ut sit liber a ser-
„ vitute, metu injusto gravi, & errore substantiali, ut annus
„ ætatis 16. sit completus in utroque sexu, ut apud fœminas
„ specialiter præcesserit geminum examen Episcopi: ita *Trid.*
„ S. 25. *c.* 15. *de Regul.* Quod si quid defecerit ex prædictis,
„ tenentur professi *intra quinquennium* reclamare, quamvis au-
„ tem interea censeantur ratificasse professionem suam initio
„ nulliter factam, si tamen causam legitimam allegent dilatæ re-

„ cla-

„ clamationis e. g. ignorantiam nullitatis, durationem metus „ &c. etiam post quinquennium audiendi sunt. Porro *privilegia* „ *Professionis* sunt 1. remissio omnium peccatorum, etiam quo- „ ad pœnam. Paulus V. *Romanus Pontifex*. 2. extinctio o- „ mnium votorum prius emissorum, nisi facta sint in favorem „ hominis, *c.* 4. *de voto*. 3. sublatio irregularitatis ob nata- „ les, sed solum ad ordines non ad Prælaturam. 4. dissolutio „ sponsalium, & matrimonii non consumati.

„ *Coroll.* 1. Differentia juris *antiqui cum novo* est triplex, „ quod olim licitum fuerit renuntiare anno probationis: quod „ professio valuerit anno ætatis 12. & 14. quod valida fuerit „ professio tacita, gestando nimirum habitum per triduum cum „ animo ibi vivendi, aut in habitu peragendo opus professis „ proprium e. g. suffragium dando in capitulo, ut Lessius *de* „ *statu vitæ*.

„ 2. Qui discontinuasset Novitiatum per dimissionem a Su- „ periore factam cum depositione habitus, aut per spontaneum „ egressum ex monasterio depositio habitu & animo manendi, „ vel una hora ante annum 16. completum emisisset vota, vel „ vir inter fœminas etiam occulte profiteretur, aut vicissim „ &c. *nulla* esset professio.

„ 3. *Praxis reclamandi* exigit 1. certitudinem de nullitate „ professionis; secus interpretandum pro valore actus. 2. Al- „ legationem rationis, cur post 5. annos reclametur. 3. Agi- „ tationem causæ simul coram Superiore Religionis, & ordi- „ nario loci, vel coram Pontifice. 4. Habitus retentionem in- „ terea, nisi cum illo ad legitimum Superiorem perveniri non „ posset. 5. Metus gravis probationem e. g. inclusionem ar- „ ctam, minas graves, &c. per testem saltem unum, per ju- „ ramentum, per conjecturas, quod parens alias severus &c. „ *V. Gobati Ebrios*.

„ *Q.* 12. Quis rigor Clausuræ?

„ R. Tantus, ut violatio excommunicationem post se tra- „ hat. *Locus* est monasterium, licet nondum ædificatum inte- „ gre, modo clausum sit, & ibi habitet Communitas Regula- „ rium; item officinæ, horti intra septa Monasterii; Sacristia „ tunc, quando solus in eam ingressus per Monasterium; non „ tamen domus, ubi pauci e. g. 4. habitant. Quæ sit *facultas* „ admittendi Personas Principes cum decenti comitatu, an ca- „ piat parvitatem materiæ ad 2. passus &c. videri potest Syl- „ vius Prof. Duaci & Pignatelli apud *La Croix*; item *c. un.* „ *de statu Regul. in* 6. Pius V. in Bulla data 1566. & 1570. „ Gregorius XIII. anno 1575. & 1581. & Benedictus XIV. „ *Regularis Discip.* ac *Salutare* 1742.

Casus VI.

De obligatione Magistratus sæcularis erga subditos.

Quidam jam tertii homicidii reus accessisse fertur ad Ludovicum XII. Regem Galliæ, veniam delicti rogans: Cui Rex: Tune, inquit, adhuc veniam sperare audes, qui tertium jam homicidium commisisti? Mox reposuit Morio aulicus: falleris, o Rex, nonnisi unicum hic commisit homicidium, reliqua duo Tu ipse: primum enim si pro tuo officio punivisses, duo reliqua commissa non fuissent.

651. *Q.* I. Ad quid obligetur Magistratus sæcularis respectu subditorum? R. Debet subditis exhibere benevolentiam & amorem, administrationem justitiæ, impedire communia damna & publica eorum scelera, ac scelerum occasiones, aliaque mala ab iis avertere pro viribus. Ubi non raro peccatur graviter per negligentiam, conniventiam, & maxime per injuriam, oppressionem innocentum, per tollerata publica scandala. *Sporer* l. c. n. 74. Peccat quoque graviter talis Superior, si ipse, dum potest, non gerat subditorum curam, sed eam relinquat solis ministris; præsertim si sciat, quod eorum dexteritati, prudentiæ, fidei, ac conscientiæ tuto, ac satis fidere non possit.

652. *Q.* II. An ejusmodi Superior semper graviter peccet, non puniendo reum gravis delicti, v. g. homicidii, ut in casu ponitur? R. Si advertat, ex impunitate delicti augeri audaciam, turbari rempublicam peccat graviter, fitque particeps peccati alieni. Si vero justa subsit causa, non peccat parcendo.

653. *Q.* III. Ad quid teneantur subditi? R. Magistratui legitimo debent amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, quæ spectant ad eorum officium, & quidem graviter vel leviter pro ratione materiæ præsertim accedente contemptu formali.

Quæ sit obligatio mariti erga uxorem & vicissim, vide de Matrimonio.

„ APPENDIX

„ *De Officiis, Judiciis civilibus & criminalibus, necnon de quibusdam aliis obligationibus Sæcularium.*

„ *Quær.* 1. An Officia debeant dari dignoribus?
„ *Nota: Acceptio Personarum* est respectus ad circumstan-
„ tias

„ tias personæ impertinentes ab eo, cui impositum est debi-
„ tum in distribuendo: ita Lessius & Lugo quoad substan-
„ tiam; quare qui solum libere distribuit sua *e. g.* opes, gra-
„ tias &c. non potest acceptione personarum delinquere.

„ R. Sicut in Beneficiis Ecclesiasticis est mortale confer-
„ re beneficium quodcunque *positive indigno*, aut confer-
„ re dignitates, vel beneficia curata *minus digno* præterito
„ digniore; ita peccat graviter administrator Reipublicæ,
„ qui officium sæculare dat positive indigno, vel officium
„ majus habens annexam jurisdictionem vel administratio-
„ nem justitiæ, vel functionem majoris momenti dat minus
„ digno. Tenenturque ad compensationem damni inde emer-
„ gentis, non quidem dignoribus prætermissis, sed Reipubli-
„ cæ; quia hæc sola habet jus rigorosum adversus admi-
„ nistratorem, non digniores: ita Lugo cum 13. aliis, &
„ plures apud Dianam *to.* 1. *p.* 2. *tr.* 1. *res.* 66. *& to.* 3.
„ *tr.* 4. *res.* 172. Ratio 1. Trid. S. 24. c. 1. & prop. 47. In-
„ noc. *Cum dixit Concilium, eos alienis peccatis communi-*
„ *cantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Eccleſiæ*
„ *utiliores ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent &c. & c.*
„ *un. de Eccles. Benef. sine dimin.* 2. Ab Officialibus & Be-
„ neficiatis hisce dependet status Reipublicæ, salus anima-
„ rum, gloria Dei &c. 3. Per acceptionem personarum lædi-
„ tur jus aliquod minus strictum in dignioribus, alienantur
„ animi subditorum, cessant membra Reipublicæ se apta face-
„ re: cum pro his avertendis jurent Principibus fidelitatem,
„ dent tributa &c.

„ *Dices*: 1. Ergo idem dicendum de Beneficiis *simplicibus*,
„ officiis *minoribus* &c. cum non fiat distinctio. 2. Non pot-
„ est sæpe determinari tam exacte, quis sit altero *dignior* ab-
„ solute. R. *Ad* 1. N. modo, qui assumitur, sit idoneus,
„ hoc est simpliciter dignus; idem sentiendum de *Resigna-*
„ *tis*, *& præsentatis a Laico*, cujus non est tam exacte di-
„ scernere inter Clericos; & ideo Præsentatori laico dantur
„ solum 4. menses a vacatura, Ecclesiastico 6. certe *Trid.*
„ loquitur de Episcopatu, Cardinalatu, & Curatis. *Propositio damnata* refert se ad Trid. & *cap. un.* de Cancellaria-
„ tu seu dignitate. *Ad* 2. N. si loquamur de notabili diffe-
„ rentia, cum parum etiam parum reputetur. *Deinde* aptitudo
„ non a sola scientia desumitur, sed sæpe a virtute, nobilitate,
„ aliisque prærogativis, quæ multum prodesse ad beneficia, &
„ officia possunt.

„ *Q.* 2. An liceat Officia sæcularia vendere?

„ R. Quamvis practice loquendo *officia majora* plerumque il-
„ licite vendantur, *ut Lessius cum aliis* docet, tamen specula-

„ tive

„ tive loquendo vendi possunt cum 4. conditionibus. 1. Ut „ vendens, sit vel Respublica quæ habet proprietatem in suis „ officiis, vel Supremus a Republica constitutus Administra- „ tor. 2. Ut vendantur uni ex dignoribus, aut his deficien- „ tibus, absolute digno. 3. Ut pretium sit moderatum; ne „ emptor malis artibus studeat sibi compensare pretium ex- „ pensum. 4. Ut adsit necessitas Reipublicæ *e. g.* ob æraria „ valde exhausta &c. vel utilitas: ita *S. Thom. Cajetanus cum* „ 24. *apud Lugo, & pluribus apud Dianam tom. 3. tr. 5. res.* „ 108. & praxis, quam semper peccati gravis arguere videtur „ difficile. Unde colligitur, faciliorem esse licentiam venden- „ di officia minora e. g. Belliducum inferiorum &c. item To- „ parcham posse pro sua Toparchia liberius agere circa præfe- „ cturas suas, quam administratorem Reipublicæ.

„ *Dices* 1. Ergo officia sunt *in patrimonio Principis*. 2. Non „ licet Judici vendere arbitria: ergo neque Principi officia. „ R. *Ad* 1. Neque esse proprie bona communia Reipublicæ; „ alias deberent tantum civibus dari, non extraneis: neque „ proprie in patrimonio Principis, immediate ad ejus susten- „ tationem deputato; sed intermedia. *Ad* 2. N. C. quia par- „ tes in Judicio habent jus rigorosum ad materiam litis, non „ item cives ad officia; & specialis est obligatio Judicis vi „ *quasi contractus* cum communitate.

„ *Q.* 3. An Judex licite accipiat munera?

„ R. 1. Vel Judex debet *sustentari ex stipendiis* suarum cau- „ sarum? & poterit recipere æquam laboris mercedem? 2. Vel „ habet *salarium fixum?* & quamvis res practice sit periculosa, „ theorice tamen poterit accipere sub his conditionibus. 1. „ Ut *gratis* offerantur e. g. non cogendo partes sua mora, aut „ signis intractabilis agendi modi &c. 2. Ut sint *modica*, quæ „ non sint apta ad pervertendum ejus animum. 3. Ut *non ab* „ *extrinseco prohibeantur* lege speciali, juramento, scandalo &c. „ quare non licet de quota litis cum litigante paciscí; nec Vi- „ sitatori Ecclesiastico aliquid muneris accipere ob specialem „ prohibitionem. Et universim loquendo: *ex pacto accipere* „ *munera propter actum ex justitia aliunde debitum, aut ut pre-* „ *tium talis actus, illicitum est*, & restitutioni obnoxium: a- „ liter de opere debito ex alia virtute; qui enim vendit ali- „ quid sive rei, sive actionis, alteri ex justitia debitum, ven- „ dit rem non suam e. g. Judex accipiens pecuniam, ut ferat „ sententiam justam; latro, ut non occidat; uxor, ut reddat „ debitum; depositarius, ut depositum &c. *aliter*, si accipias „ pecuniam, ut die præcepto jejunes, pauperi exhibeas mise- „ ricordiam, te non inebries &c.

„ *Q.* 4. Quomodo procedere possit Judex?

„ R. In

„ R. In cauſis civilibus poteſt 1. *motu proprio*, e. g. dando „ pupillis, furioſis, prodigis, miſerabilibus perſonis tutorem, „ Curatorem, Advocatum; ſequeſtrando poſſeſſionem litigio- „ ſam, exequendo ſententiam prius latam &c. 2. *Ad implora-* „ *tionem officii ſui nobilis* e. g. Minorem læſum reſtituendo „ in integrum; præcipiendo patri, ut alimenta det filio; ju- „ bendo adverſarium deſiſtere a gravamine inferendo alteri „ &c. 3. *Ad petitionem Actoris intentantis actionem ſtricte ta-* „ *lem*, qua ratione exercet Judex officium mercenarium. In „ criminalibus 1. *via inquiſitionis*, *ſive generalis*, ubi nec de „ crimine nec de perſona certo conſtat, nec requiritur infa- „ mia prævia; cum ſic nemo diffametur, & communitati ſit „ utile inquiri, an leges ſerventur, nec irrepant abuſus; ſive „ *ſpecialis*, ubi author & crimen determinantur, & requiri- „ tur infamia præcedens; ſive *mixtæ*, ubi vel ſolum crimen, „ vel ſolus author determinatur; & requiritur indicia præce- „ ſiſſe, aut infamiam. 2. *Via denuntiationis*, ubi illud obſer- „ vandum: ſi denuntiatur, denuntiatione etiam ſolum Evan- „ gelica, crimen publicum, & enorme e. g. læſio Majeſtatis, „ cuſio monetæ falſæ, tractatio cum hoſte, proditio conſilio- „ rum Principis &c. poteſt Judex qua Judex procedere, ac „ punire; aliter in delictis privatis, qualia ſtatuuntur a jure: „ furtum, rapina, damnum & injuria. Eſt autem juxta Man- „ zium *crimen publicum*, quod olim a populo judicabatur; „ hodie vero, quo directe publica utilitas læditur, & quilibet „ de populo agere poteſt in judicio, ac plerumque agitur ad „ vindictam publicam, ſicque a lege publicum effectum eſt *e.* „ *g. plagium*, quo quis hominem liberum, vel ſervum alie- „ num dolo malo ſupprimit, celat, vel abducit: *peculatus*, „ quo quis pecuniam ſacram, Religioſam, publicamve furtive „ aufert, ac in ſuam rem vertit: *crimen repetundarum*, quo „ quis in officio publico conſtitutus aliquid accipit, ut officio „ ſuo fungatur, plus vel minus ex officio faciat: *crimen falſi*, „ quo quis vendit rem adulterinam, vel mutat, fingit, ſup- „ primit publica inſtrumenta, vel privatas literas imitatur, a- „ ptat ſigilla, vel ſupponit partum alienum, vel cudit mone- „ tam &c. abradit aurum &c. 3. *Via accuſationis*, remedia ve- „ ro, quæ reus habet, ſunt præter alia 1. *Supplicatio*, in duo- „ bus ſupremis Imperii Dicaſteriis. 2. *Appellatio*, quæ eſt a „ minori Judice ad majorem provocatio, eſtque *illicita* ſi fiat „ præciſe ad moram trahendam a ſententia juſta, *licita* au- „ tem in criminalibus, quando adeſt ſpes clementiæ obtinen- „ dæ; in civilibus vero, quando novæ probationes emergunt, „ aut opiniones ſunt æque probabiles, adeoque ſpes alterius „ opinionis in Superiore prævalituræ.

„ *Q.* 5. Quomodo delinqui in judicio possit?

„ R. *Judex delinquit* 1. acceptando officium sine debita *scientia*, aut 2. non servando *juris ordinem*; condemnando non „ subditum &c. 3. inquirendo in crimen *inductive*, seu blanditiis, spe impunitatis, ficto vestitu e. g. Sacerdotis expiscando. 4. quærendo *suggestive*, seu proponendo quæstiones „ nimium particulares quoad locum, tempus &c. ut reo quodammodo suggeratur affirmatio. 5. infligendo *torturam* aut „ nimis inhumanam, aut personis exceptis e. g. impuberibus, „ senibus, Nobilibus, horumque filiis, aut antequam habeatur semiplena probatio per testem idoneum, aut semiplenæ „ æqualis, ideſt talis, quæ non habeat indicia solum *magna*, „ quæ factum redunt dumtaxat probabile, & sufficiunt tantum ad comprehensionem, neque etiam *maxima*, quæ factum plene probant, & sufficiunt ad sententiam; sed *majora*, quæ factum faciunt plus, quam probabile. *Cæterum* habet Judex jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, „ vel ex consensu alterius arbitrium, vel ratione domicilii, „ delicti aut contractus, rei sitæ, aut injuriæ, si subditus unius „ Principis acceperit injuriam a subdito alterius, qui interpellatus nolit punire suum subditum, vel denique prævention ne in casis mixti fori, quales sunt Sodomia, incestus, adulterium, blasphemia, & usuraria pravitas.

„ 2. *Delinquit Notarius* 1. Si secretum violet e. g. ante publicationem testium alteri parti eorum testimonia aperiendo: „ si testimonium aliquod unius rogatu, vel alterius damno non „ exhibeat; si acta & protocolla non fideliter inscribat, aut „ inscripta negligenter custodiat, aut transcribi ab altero cum „ periculo erroris permittat; si testamentum hominis ratione „ destituti scribat, aut solemnitates necessarias omittat, aut „ vero amisso aliud simile fingat. 2. *Delinquit Advocatus*, si „ sciens suam insufficientiam tale munus in se suscipiat; si „ causam improbabilem recipiat, aut non statim admoneat „ clientem; si agat animo vexandi alterum, aut noceat parti dilatione causæ, subornatione iniqua testium, rationibus „ fucatis; si utrique parti serviat, causamque sua incuria perdat &c. 3. *Delinquit Referendarius*, si per incuriam, aut inscitiam aliquid substantiale omittat in referendo; si studio „ partium actus unius partis fundamenta valde exaggeret, alterius deprimat; si ante evulgationem sententiam uni parti „ manifestet cum notabili incommodo alterius. 4. *Delinquit Accusator* triplici modo: calumnia, imponendo alteri crimen „ falsum ex malitia; prævaricatione, reticendo fraudulenter „ post accusationem cœptam probationes criminis; & tergiversatione, desistendo penitus sine causa ab accusatione; addi

„ potest

„ potest quartus modus, omissio scilicet accusationis, ubi cri-
„ men vergit in grave detrimentum Reipublicæ, nec adest cau-
„ sa excusans. 5. *Delinquit testis*, si nolit testari de innocentia
„ alterius, cum fine notabili incommodo possit; sive sua spon-
„ te, sive citatus, eludat exceptione aut fuga testimonium:
„ quamvis probabilius solum peccet contra charitatem, & obe-
„ dientiam, non autem contra justitiam ut docent *Cajetanus*,
„ *Sylvester*, *Molina*, *Lessius c. 3. dub.* 8. Requisita testium:

„ *Conditio*, *Sexus*, *ætas*, *discretio*, *fama*:
„ *Et fortuna*, *fides*, *in testibus illa requiras*.

„ 3. *Reus*, si non prius deposuit juramentum de permanen-
„ do, potest in causa capitali vel quasi capitali perrumpere car-
„ cerem, & vincula, ac fugere; neque enim traditur carce-
„ ri, ut sponte ibi sit &c. alii etiam possunt ad hoc illi dare
„ instrumenta, vel consilium (nisi sint ministri justitiæ) non
„ tamen effringere carcerem, aut vincula; cum alias nihil fo-
„ ret justitiæ satis firmum. 2. Potest accusatori criminali, sal-
„ tem non plene probanti, dicere, eum calumniari; potest, si
„ spes sit evadendi, ad excipiendum contra illum, manifestari
„ crimen illius occultum verum, non tamen affingere falsum,
„ *ut prop.* 44. *Innoc.*... 3. Si metu torturæ fassus est crimen
„ falsum, si de alio fassus est, tenetur in banco juris revocare;
„ si de seipso, probabilius *juxta Illsung*, non tenetur cum me-
„ tu novæ torturæ ante mortem revocare; quia tempus delicti
„ præteriit, & defacto nec tenetur ad revocationem ratione ju-
„ stitiæ erga Deum; cum Deus non exigat conservationem vi-
„ tæ cum tanta difficultate; nec ratione charitatis sui ipsius;
„ quia videtur ipsi infamatio sui, & mors minus malum; nec
„ ratione obedientiæ erga Judicem; hic enim non prohibet
„ confessionem &c. 4. Denique *si crimen capitale est tantum se-*
„ *miplene probatum*, *& spes adest evadendi*, *etiam sub juramento*
„ *juridice interrogatus*, *non tenetur fateri crimen*. Ita Haunol-
„ dus, Lugo, Cardenas cum 25. Auctoribus: 1. enim dicens:
„ *non commisi hoc delictum*, intelligendo: *ut publicum juridi-*
„ *ce*, *ut sufficienter probatum in foro externo ad necem inferen-*
„ *dam* &c. non mentitur, sed restringit sensibiliter: 2. præce-
„ ptum fatendi in hac spe vitæ conservandæ a Judice impos-
„ tum esset nimis difficile universim loquendo moraliter in-
„ observabile; *maxime* cum alias leges humanæ non obligent
„ cum periculo vitæ, & reus citatus in tali casu non tenere-
„ tur sponte comparere, aut incarceratus facta fugæ via ma-
„ nere &c.

„ *Dices* 1. Obligatio fatendi crimen hic oriretur *a jure Na-*

„ *turæ*,

„ *turæ*, ne ſcelera maneant impunita, licentia peccandi augea-
„ tur ſpe ſic evadendi &c. 2. Judex habet jus interrogandi,
„ hoc eſt: *exigendi reſponſum*: ergo & reus obligationem re-
„ ſpondendi; *neque enim dari poteſt bellum utrinque materialiter*
„ *juſtum*, ut unus armata manu poſſit petere ſatisfactionem,
„ alter tamen non teneatur eam reddere. 3. Judex poteſt reum
„ torturæ ſubjicere *in pœnam* non factæ confeſſionis: ergo jam
„ ante torturam dabatur obligatio, ut Illſung & Antoine &c.
„ R. *Ad* 1. N. quia hæc mala ſunt remota, & raro timen-
„ da, cum ſæpe adſit plena probatio, ut ſaltem reus ut con-
„ victus, ſi non confeſſus condemnari queat; & plerumque per
„ torturam eliciatur confeſſio: deinde datur naturalis inſtinctus
„ conſervandi vitam ſuam. *Ad* 2. Judex vel habet jus exigen-
„ di aliquod reſponſum, ne reus ſit contumax, vel exigendi reſ-
„ ponſum disjunctive, hoc eſt, vel torturam, vel reſponſum.
„ *Ad* 3. N. tortura non eſt pœna delicti, ſed remedium jure
„ gentium introductum ad inquirendam veritatem. Et *hoc pro-*
„ *babilius*, ſalva tamen probabilitate contrariæ ſententiæ.

„ *Q.* 6. Quid de aliis obligationibus dicendum?

„ R. *De Belliducibus*. 1. Cavere iſti debent, ne agant contra
„ jus Gentium, inficiendo puteos, farinam, arma &c. veneno
„ aut alia re mortifera e. g. calce viva, ut olim Græci &c. 2.
„ Sicut bellum ſolum licitum eſt propter neceſſitatem, ut Aug.
„ c. Noli q. 1. *pacem habere debet voluntas*, *bellum neceſſitas*;
„ ita captam civitatem ſine gravi neceſſitate militibus dare in
„ prædam propter ſcelera & mala ſecutura omnino vetitum.
„ 3. Poteſt miles uti inſidiis & ſtratagematibus; ſed quando ſa-
„ tisfactio offertur ab hoſtibus, finienda eſt hoſtilis molitio. 4.
„ Bona immobilia bello capta cedenda ſunt Principi, mobilia
„ vero dividenda inter milites (quamvis etiam Principi pars
„ e. g. caſſa, annona, tormenta &c. obveniant) tunc cum ſunt
„ in quieta poſſeſſione rapientis militis, & ex inſequentium
„ forte hoſtium manibus elapſi. 5. Peccant Officiales bellici
„ per ſe loquendo, ſi inſcio, non conſentiente Principe pau-
„ ciores habent Milites, quam in ſolutione exhibent. 6. Si
„ non dent ſtipendium; dent militi commeatum corruptum.
„ 7. Si in tranſitu accipiant pecunias a pagis, ne mili-
„ tes rapinas agant, vel iſtic pernoctent aut morentur, ut
„ ſic alii graventur. 8. Si vi pacti dimittere milites a militia
„ nolint.

„ *De Officialibus*, *& Opificibus univerſim*. 1. Tenentur offi-
„ cii & artis ſuæ peritiam habere. 2. Exercere functiones ſine
„ damno, fraude & negligentia, ne opera imperfecta ac vitio-
„ ſa efficiant.

„ *Medici ex Decreto Conc. Lat.* 4. Tenentur infirmos mone-

„ re

„ re de advocando Medico animarum, & ex Conſtit. Pii V.
„ ut tertio die periclitantem de vita non viſitent, niſi animæ
„ ſuæ conſulat: excipitur tamen, ſi Confeſſarius longius tem-
„ pus infirmo conceſſerit, & ſi morbus gravis ſit ita, ut ſine
„ Medico mors immineat, Medici autem ope ſpes ſit convale-
„ ſcentiæ, & reſcipiſcentiæ in Ægroto. Ita *Suarez*, *Antoine*
„ &c. quorum aliqua tamen etiam ad Juſtitiam commutativam
„ referri debent.

CAPUT V.

De Quinto Præcepto Decalogi.

§. I.

Prænotanda.

654. I. EXpreſſe præceptum quintum, *non occides*, prohibet homicidium, ſive injuſtam hominis occiſionem; *implicite* vero omnem injuſtam læſionem ſui ipſius, vel proximi in bonis corporis per mutilationem, bellum injuſtum, duellum &c. præterea prohibentur omnia illa, quæ proxime diſponunt ad injuſtam hujuſmodi læſionem, cujuſmodi ſunt odium, vindicta, ira, calumniæ, inimicitiæ, rixæ, diſſenſiones &c. *Reductive* huc pertinet ſcandalum; de quibus nunc agemus.

655. II. Homicidium hic ſumitur pro violenta & injuſta exanimatione hominis ab homine facta: occiſio enim hominis facta a bruto in jure vocatur *pauperies*: ſub termino *hominis* etiam comprehenditur homo nondum natus, ſive fœtus in utero materno animatus. *Primario* dividitur homicidium in voluntarium & caſuale. *Voluntarium* eſt, quod fit cum culpa aut dolo, ſive quod vel directe, vel ſaltem indirecte intenditur, ideoque homicidium voluntarium duplex eſt, 1. *directe tale*, quando ponitur aliqua actio, per quam directe intenditur, ut mors alterius vel ſui ipſius ſequatur, v. g. dum quis pugione transfodit alium ex intentione & animo illum occidendi. 2. *indirecte voluntarium*, quando ponitur actio vel cauſa adeo propinqua, ut ex ea mors certo ſecutura prævideri potuerit, quamvis illa directe non intendatur: v. g. ſi maritus uxorem prægnantem graviter percutiat, unde mors infantis ſequitur. *Caſuale* homicidium eſt, quod accidit ſine culpa, aut dolo, utpote quod nec in ſe, nec in cauſa fuit intentum, v. g. ſi venator volens occidere feram, occidat hominem, quem inculpabiliter neſcivit ibi eſſe.

656. III. *Homicidium voluntarium iterum* duplex est, simplex, & qualificatum: *simplex* dicitur, quod non habet conjunctam qualitatem vel circumstantiam specialis malitiæ. *Qualificatum* dicitur, quod circumstantiam specialis malitiæ habet conjunctam vel ratione personæ, vel ratione loci, vel modi, quo alter occiditur: cujusmodi sunt 1. *Homicidium proditorium*, quando quis alium nihil tale metuentem sub specie amicitiæ occidit. Sic *Joab* interfecit *Amasam* 2. *Reg.* 20. *v.* 10. . . 2. *Insidiosum*, dum quis alium ex improviso venientem, & securum aggreditur, atque occidit. *Assasinium*, quando quis alterum occidit per tertium pretio ad id conductum. Quo casu ipse conducens & conductus pretio committit Assasinium. 4. *Veneficum* committitur clam porrecto veneno. 5. *Maleficum* per artes magicas. 6. *Sacrilegum*, dum quis personam sacram, vel profanam quidem, sed in loco sacro occidit. 7. *Latrocinium*, quando quis alium perimit spolii gratia. 8. *Parricidium*, dum quis Patrem, aut matrem, vel prolem, aliumve ex as-vel descendentibus, imo etiam collateralibus usque ad quartum gradum inclusive vita injuste spoliat. 9. *Crimen læsæ Majestatis*, dum quis necat Papam, Imperatorem, Regem, Principem, aut custodem, qui actu latus Principis stipat.

657. IV. Certum, & de fide est contra Waldenses, quod Magistratus juste & licite per Justitiæ Ministros morte afficiat malefactores, de quorum delictis non mere civilibus, sed vere coram Deo gravibus sufficienter constat, hanc enim potestatem legitimo Magistratui supremus vitæ, & membrorum Dominus concessit, juxta illud *Exodi* 22. *Maleficos non patieris vivere*. Et *S. Paulus ad Rom.* 13. *v.* 4. de potestate publica loquens ait: *Non enim sine causa gladium portat; Dei enim Minister est* Idque exigit Reipublicæ status. *S. Th.* 2. 2. *q.* 64. *a.* 2. *& 3. in* ⊖. Ex eadem ratione Magistratus jus habet, subditos exponendi mortis periculo, e. g. in bello justo, si recta ratio ostendat, necessarium esse ad tuendam rempubl. *Laym. L. 3. t. 3. p. 3. C. 2.* Pariter Magistratus juste malefactores proscribit publico edicto, quod *Bannum* vocant, promisso stipendio illi, qui vel vivum apprehenderit, vel eum occiderit: hinc talis Bannitus, si expresse permittatur a potestate publica, a quolibet potest occidi. Ordinarie tamen observanda sunt 1. ut non occidatur extra territorium proscribentis, neque in loco asyli, nec pendente appellatione, neque a Clerico, qui fieret irregularis, neque a Patre, Filio, aut alio propinquo. *Dian.* t. 1. de immunit. Eccles. resol. 92. Secundo, ut ex zelo justitiæ, non ex odio privato talis proscriptus occidatur. Tertio. Juxta legem Charitatis, si possit fieri, potius capi debet, ut per viam juris puniatur, quia hoc modo saltem consulitur saluti animæ. *Pichler* in L. 5. Decret. tit. 12. n. 6.

§. II.

§. II.

Principia Generalia de Homicidio, & mutilatione.

658. *Princip.* I. Prohibetur hoc præcepto directa sui ipsius occisio, uti & mutilatio, utpote quæ primario est contra Charitatem sui ipsius; ita ut nunquam licitum sit *directe* hoc ex proposito, & intentione occidere se ipsum. *Excipe* unicum casum, quo Deus ipse hoc juberet. *S. Th. l. c. a.* 5. *Ratio est.* Quia solus Deus sicut est author & conservator vitæ, ac membrorum, ita etiam ipse solus eorum Dominus est. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem. Sap. 16. v. 13.* Ipse solus sibi reservat illud *Deut. 32. v. 39. Ego occidam, & ego vivere faciam.* Hinc siqui ex Sanctis legantur directe cooperati fuisse ad propriam mortem vel mutilationem, id fecerunt speciali Dei instinctu, uti legitur de S. Pelagia, S. Apollonia &c. ita etiam *S. Th. l. c. ad 4.* cum *S. Aug. L. 1. de Civ. C. 21.* excusat Samsonem, contra Donatistas Circumcelliones. Hic tamen Instinctus in aliis propter periculum fraudis diabolicæ non est facile præsumendus sine gravissimis indiciis. Juxta alios quidam ex invincibili ignorantia, qua pie crediderunt, in gravi necessitate, aut ex pio motivo licitum esse, occiderunt se ipsos. *Dixi*, nunquam licitum esse *directe se ipsum occidere*, aut proxime active concurrere ad mortem vel mutilationem suam: *Indirecte* enim justa & gravi de causa in certis casibus licet, quod nihil aliud est, quam facere aliquid, permittere, vel omittere, ex quo mors propria certo sequatur; quamvis ea non intendatur. Quia Præceptum conservandi, vel defendendi vitam est affirmativum, ergo non obligat semper pro semper, sed desinit obligare propter necessitatem, vel magnam utilitatem. *Exempla vide infra in resol.* cas. 1.

659. *Princip.* II. Pariter prohibetur omnis *injusta* proximi occisio, vulneratio, mutilatio, omnisque violentia in corpus proximi. *Innocentem quidem* nulla authoritate humana *per se* ac *directe* licet occidere. Constat ex præcepto divino *Exodi 23. Insontem & justum non occides. Confirm.* 1. Potestas gladii tradita est Magistratibus adversus eos, qui male agunt, & non contra innocentes. *Confirm.* 2. Vita hominis est sub dominio solius Dei, ergo cum ex nullo capite probari possit, Deum cuiquam dedisse potestatem tollendi vitam innocentis, nemini licet occidere innocentem. *Dixi prohibetur omnis injusta occisio proximi*: Justa autem censetur, 1. si plectatur impius authoritate publica servato ordine juris, vide *n.* 657. .... 2. Si in bello justo milites occidant hostes, aliosque nocentes, & in armis stantes; in obsidione per explosionem tormentorum contra urbem, vel navem, per subversionem urbium, conflagrationem domorum nocentes cum innocentibus licite occiduntur, quia

justa victoria aliter obtineri nequit, vide *Less. Laym. Lug. & alios*. 3. Licet privata authoritate occidere *injustum* aggressorem, qui inique tibi conatur eripere vitam, ita tamen, ut talis occisio fiat tantum ex animo se defendendi, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, h. e. non inferendo majus damnum, quam necessarium est ad arcendam injuriam, ut ait *Busemb. L. 3. p. 1. d. 3.* vel juxta *Laym. L. 3. t. 3. p. 3. C. 3. numer.* 1. hoc moderamen in eo consistit: si quis consideratis circumstantiis loci, temporis, & personarum &c. contra aggressorem modo faciliore, & benigniore se defendere non posse rationabiliter existimat, quam ita præveniendo, vel ipsi ita resistendo: ideoque, si invasus possit se liberare fugiendo, clamando, percutiendo, vulnerando, licite non potest occidere invadentem. Ita *S. Th. 2. 2. q. 64. a. 7. in ⊖*. ubi expresse ait; *Et ideo, si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum: Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio*. vide *c. interfecisti* 2. de homicidio vol. vel cas. & *c. si vero* 3. de sentent. excom. ubi expresse innuitur: *vim vi repellere, omnia jura, omnesque leges permittunt*. Itaque in tali casu invasus directe intendit, vim vi repellere, & se defendere ad quod jus habet a natura, indirecte vero & per accidens tantum agressoris læsionem, vel occisionem.

660. *Princip. III.* Monomachia sive *duellum* est certamen singulare inter duos, aut subinde plures ex condicto susceptum: aliud est *solemne*, quod fit cum certa solemnitate, & forma scil. adhibitis patrinis vel testibus sive *secundantibus*, & ex condicto ad certum tempus, & locum securitatis privilegio præditum (quem vocant *campum francum*) sæpe provocatio fit per literas, quas vocant *Chartell*. Aliud est *privatum*, quod quidem etiam ex condicto ad certum tempus, & locum, sed absque aliis solemnitatibus circa securitatem loci & sine adhibitis patrinis fit. *Reiffenst. L. 5. Decret. tit. 14. n. 2. & 3.* Utrumque *regulariter* loquendo Jure divino & humano tam Ecclesiastico, quam Civili sub gravissimis pœnis prohibitum est, imo & Jure naturali, juxta *Pichler in tit. 14. L. 5. Decret. n. 4. Jure divino. Exodi 20. v. 13. Non occides*. vide dicta n. 659. *Jure Ecclesiastico: can. Monomachiam 22. C. 2. q. 5.* Præcipue ex *Trid. Sess. 25. C. 18. de reform.* Ex Bullis *Julii II. Leonis X. Clementis VII. Pii IV.* ex Constit. *Greg. XIII.* quæ incipit, *ad tollendum*. Et *Clem. VIII.* in Constit. *Illius vices*: in quibus Tridentinum extenditur etiam ad duella privata. *Jure Civili* in L. un. t. 43. C. de Gladiat.; Speciali sanctione Monomachiam Anno 1668. severissime prohibuit *Leopoldus* Imper. cum consensu Statuum in Comitiis Ratisb.

661. Pœnæ duellantium sunt: 1. Excommunicatio ipso facto

cto incurrenda. 2. Infamia perpetua. 3. Proscriptio bonorum omnium. 4. Pœnæ contra homicidas latæ. 5. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ in duello decedentis. Vide *Trid. l. cit.*... 6. Clerici duellantes sunt privati beneficiis Ecclesiasticis. 7. Et ad illa inhabiles. 8. Duellantes sunt rei criminis læsæ Majestatis. 9. Inhabiles ad condendum testamentum. *Reiffest.* l. c. n. 5. NB. ad Excommunicationem, interdictum, & privationem sepulturæ sacræ in casu *notorii* duelli non est opus sententia declaratoria criminis; quamvis ea requiratur ad amissionem bonorum, jurisdictionis, dominii, atque ad infamiam juris incurrendam. Si vero duellum non sit notorium, debet Parochus rem prius deferre ad Episcopum, antequam excludat sepultura. *Pichler* l. c. n. 10. Prædictas pœnas incurrunt non tantum solemniter, sed etiam privatim duellantes, tum provocans, tum acceptans, ut constat ex constit. *Pii IV. Ea quæ. Gregor. XIII.* & *Clem. VIII.* supra cit. Præter Duellantes his pœnis subjacent *Secundantes*, sive Patrini, ferentes consilium, auxilium, arma, & favorem ad illud; item qui *ex industria* sunt spectatores duelli, non vero illi, qui duellantes comitantur ad conductum locum animo impediendi duellum, vel qui ex improviso ad locum duelli veniunt, vel qui subito a fenestris, aut janua domus congredientes spectant. *Sanch.* L. 2. mor. C. 39. n. 31. Vide P. II. n. 1429. Const. Bened. XIV.

APPENDIX

De Bello.

„ *Quæritur*. An & qualiter licitum sit Bellum?

„ R. 1. Bellum, quod est pugna externa inter Principes & Res-
„ publicas, non solum defensivum (quod fit solius defensionis
„ causa) sed & offensivum, (quod ad vindicandam vel compen-
„ sandam injuriam suscipitur) est licitum & honestum, si adsint
„ conditiones requisitæ. Patet id ex veteri & novo testamento.
„ *Ratio* 1. *est*: quia jure Naturæ licitum est vim vi repellere.
„ *Ratio* 2. *est*: quia quandoque expedit injuriæ vindictam sumere,
„ aut læsionis compensationem obtinere, quod non potest fieri
„ sine bello, dum damnificantes requisiti nolunt aliter satisfa-
„ cere. Quæ in contrarium afferuntur, tantum volunt non li-
„ cere privata authoritate ulcisci injurias.

„ 2. Omnibus Clericis sacris Ordinibus initiatis, imo & tantum tonsuratis, si Beneficium habeant, Jure Ecclesiastico prohibitum est propria manu bellare extra casum urgentis necessitatis. Dicitur; *propria manu*; quia possunt hortari milites ad fortiter pugnandum pro patria, justitia, Religione, non tamen dicere: occide, macta. Simi-

„ liter si aliis militibus deficientibus necesse sit pro defen-
„ sione patriæ, pro consequenda insigni victoria, ex qua salus
„ Ecclesiæ vel Reipublicæ multum dependet, liceret ipsis pu-
„ gnare, quia adesset necessitas, nec tunc incurrerent Irregu-
„ laritatem: quia hanc non incurrunt, si occidant aliquem
„ in defensionem propriæ vitæ, ut concedunt omnes, ergo
„ minus, pro necessaria defensione reipublicæ.... *Nec obstat*
„ stylus Romanæ Curiæ; quia sæpe dispensatio petitur ad
„ majorem securitatem, & propter opinionem magis tu-
„ tam.

„ 3. Ad indicendum bellum offensivum requiritur 1. *legiti-*
„ *ma authoritas*, quæ debet esse Suprema nullum alium in ci-
„ vilibus Superiorem agnoscens, quia qui superiorem habet, de-
„ bet hunc implorare, ut de re controversa judicet & injuriam
„ vindicet; qui vero non habet, potest ipsemet de ea judica-
„ re, & justo modo injuriam vindicare. Dixi: *offensivum*,
„ quia cuilibet a natura licitum est vim sibi injuste illatam
„ vi debito modo repellere. 2. Requiritur *causa præponderans*
„ *malis ex bello secuturis*, qualis est ad recuperandum regnum,
„ ad propulsandam gravem injuriam Principi vel Reipubli-
„ cæ factam, nec aliter quam per bellum commode reparabi-
„ lem, ad reprimendos subditos injuste rebellantes, & similia.
„ Hinc requiritur 3. *moralis certitudo de justitia belli*; cum
„ ex hoc sequantur gravissima incommoda: ideoque debet
„ Princeps cum Consiliariis suis tum suas, tum adversarii ra-
„ tiones mature discutere, ubi autem omnibus consideratis,
„ res manet dubia, & una pars est in certa & legitima pos-
„ sessione, hæc prævalet rationi licet magis probabili. In du-
„ bio, an adsit justa bellandi causa, Princeps, Consiliarii, o-
„ mnesque cooperatores peccant tot peccatis, quot homines cæ-
„ duntur, aut graviter in bonis suis læduntur, tenenturque ad
„ omnium compensationem. 4. Requiritur *recta intentio*: ut
„ non fiat ex odio, vana gloria, privata vindicta, sed amore
„ boni communis; defectu tamen hujus conditionis, si priores
„ adsint, non erit obligatio restitutionis. Unde gravissime er-
„ rant, qui putant ampliationem regni, gloriam nominis, im-
„ minuendam potentiam Principis vicini vel partis adversæ,
„ ne aucta valeat, & nocere possit, esse justam causam bellan-
„ di, quod S. Augustinus recte vocat grande latrocinium;
„ non enim licet occidere homines, ne nocere possint, alias
„ cædibus miscerentur omnia. 5. Requiritur *debitus bellandi*
„ *modus*, ita ut ante bellum a parte adversa petatur condigna
„ satisfactio, quæ si offeratur, offensus tenetur ex Justitia ac-
„ ceptare (ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit
„ esse justum) ideoque & ab inchoato bello desistere, si ofte-
„ ratur condigna simul pro expensis jam factis; si negetur, po-

„ test

„ test bellum prosequi & inferre hostibus omnia mala, quæ ad
„ debitam satisfactionem & compensationem necessaria juxta
„ rectam conscientiam judicantur.

„ *Coroll.* 1. Licite occiduntur etiam post victoriam omnes
„ nocentes, si hoc ad vindicandam injuriam, ad pacem & se-
„ curitatem stabiliendam necessarium judicetur, nisi sub pro-
„ missione vitæ se dederint; tunc enim pactum est servandum.
„ 2. Innocentes, uti pueri, mulieres, & alii nihil ad bellum
„ conferentes; specialiter Ecclesiastici & Religiosi directe occi-
„ di non possunt, neque peregrini, exteri, nisi constet hos es-
„ se belli socios, ex generali Dei mandato *Exod.* 23. *v.* 7. *In-*
„ *sontem non occides*: indirecte occidi possunt, si ita sint per-
„ mixti nocentibus, ut hi sine illis interfici non possint, &
„ hos occidi necesse sit.

„ 3. Innocentes, qui sunt pars Reipublicæ hostilis, possunt
„ spoliari bonis, in quantum, ut supra, requiritur; quia res-
„ publica potest puniri in iis omnibus, quæ subsunt ejus do-
„ minio generali, & hæc est consuetudo Jure Gentium intro-
„ ducta: non sic extranei, nisi hostibus faveant, ideoque spo-
„ liari possunt annonis, armis & similibus, quæ deferunt ad ho-
„ stes; spoliari non possunt Ecclesiastici, Ecclesiæ, monasteria,
„ quia non sunt vere pars populi hostilis.

„ 4. Privati milites peccant, & ad restitutionem tenentur, si
„ sine consensu saltem tacito Ducis damna inferant; tunc enim
„ bellum gerunt sine legitima authoritate.

„ 5. Ubi militibus licet spoliare hostes, possunt quoque Cle-
„ rici & Religiosi in spiritualibus servientes militibus gaudere
„ spoliis hostium; quia tales exercitui sunt utiles, imo & pars
„ exercitus, ideo gaudere debent commodis belli, sicut peri-
„ culis expositi sunt. Cavendum tamen scandalum.

„ 6. In bello licet uti insidiis, modo fiat absque mendacio,
„ & violatione promissi. Patet id ex *Josue* 5. *v.* 2. ideo licet uti
„ vexillis hostium, simulare fugam &c. non ex intentione si-
„ gnificandi exterius, quod revera non est (hoc enim foret men-
„ dacium, licet officiosum tantum, ubi bellum est justum) sed
„ ex intentione occultandi quod in mente habetur; quia non tene-
„ mur semper consilia nostra aliis præsertim hostibus aperire.

„ 7. Pacta publica licet ex metu injusto, vel quæ postea ap-
„ parent Principi perniciosa, cum hostibus etiam infidelibus ini-
„ ta servari debent, nisi hostis prior fidem fregerit, quia alias
„ nunquam esset finis bellorum; cum enim regulariter bellan-
„ tes, sicut litigantes putent jus pro se stare, quilibet diceret
„ sibi vim injustam illatam, & resumptis viribus bellum in-
„ stauraret. Neque potest in his pactis dispensare Papa, nisi
„ cedant in grave præjudicium Religionis; quia dispensatio est
„ contra jus Gentium, & præsertim infidelibus scandalosa,

„ qui si scirent Papam posse dispensare, nunquam inirent pacta „ cum catholicis, quod cederet in grave præjudicium reipubli„ cæ Christianæ; dummodo tamen pacta non sint ex objecto „ mala, adeoque nec obligatoria.

„ 8. Si aliqui ad Ecclesiam confugiant, & inde pugnent, pos„ sunt ex adverso invadi, occidi, extrahi, quin violetur immu„ nitas, quia illi inde pugnantes fecerunt se immunitatis exsortes.

„ 9. Potest Princeps Catholicus in auxilium vocare infideles „ & hæreticos, vel eos juvare; sic enim cum Romanis fecerunt „ Machabæi: attamen nisi urgens necessitas sit, est illicitum „ propter gravissima mala, quæ inde sequuntur; sacris enim nec „ locis, nec personis, nec rebus reverentiam habent, erroribus suis „ simul cohabitantes imbuunt, eos verbo & exemplo pervertunt.

„ 10. Bellum non potest esse *materialiter* justum ab utraque „ parte, quia res vel competit uni vel alteri; potest tamen es„ se justum ex parte utriusque *formaliter* ex invincibili igno„ rantia vel bona fide.

„ 11. Represaliæ sunt licitæ, si concurrant conditiones se„ quentes. 1. Si manifeste constet de injusta damnificatione sub„ ditorum unius Principis illata a Principis alterius subditis. „ 2. Ut Princeps damnificantium pro Justitia interpellatus no„ lit administrare Justitiam, & suos subditos compellere ad com„ pensationem damni injusti. 3. Ut Princeps damnificatorum „ suis subditis concedat Represalia erga subditos alterius Prin„ cipis damnificantium. 4. Ut per Represalia non inferatur plus „ damni, quam satisfactio pro damno & expensis exigat. 5. Ut „ Represalia, quantum fieri possit, fiant potius erga personas „ damnificantes, quam alias personas innocentes. 6. Ut præda „ capta applicetur pro indemnizatione damnificatorum, & pro „ expensis Represalium.

„ 12. Princeps supremus tenetur Ducibus serio inculcare disci„ plinam militarem, & ut militibus debita stipendia, victualia „ & vestimenta debito tempore solvi curent. Duces aliique sub„ ordinati tenentur verbo & exemplo urgere hanc disciplinam, „ ideoque peccant graviter, si negligant coercere milites a rapi„ nis, furtis, incursionibus, si non curent, ut præcepta Dei & „ Ecclesiæ observentur, quantum fieri potest, nisi dissimulatio „ quandoque fiat ex vera necessitate, ne e. g. a militibus de„ serantur; si sua negligentia permittant prævalere hostem, „ Principem & patriam non strenue defendant, milites temere „ exponant internecioni, si sine necessitate in locis insalubri„ bus castra figant, infirmos deserant, si non provideant mili„ tibus de justo stipendio, idem est de victualibus, aut si dent „ corrupta, si minorem numerum militum habeant, & pro „ majori accipiant stipendium, nisi adsit tacitus consensus Prin„ cipis, siquid accipiant ad impediendas vexationes militum;

„ quia

„ quia ex officio adeoque ex justitia ad id tenentur: si munerum
„ oblatorum intuitu unum locum vel civem præ alio gravent.
„ 13. Milites peccant graviter, si Duci non obtemperent,
„ fortiter non pugnent, arcem sibi commissam deserant, quam-
„ diu spes supereſt; quia sunt conducti, ut ista præstent etiam
„ cum vitæ periculo: si transeundo terras etiam non hostiles
„ incolas vexent extorquendo pecunias vel victualia ultra de-
„ bitum; nec excusat dissimulatio Ducis, parvum nimis stipen-
„ dium, aut hujus injusta dilatio, non enim ideo licet spoliare
„ innocentes, nisi sumerent præcise necessaria urgente necessita-
„ te; nec ordinarie excusat, quod ultronee dentur, quia dantur
„ ex metu plerumque majoris mali.

Casus I.

Refert Nicephorus S. Euphrasiam Antiochenam, cum a milite ad luxuriam cogeretur, nec aliter posset evadere, dixisse ad lascivum hominem: si peperceris mihi, docebo te artem, vi cujus in bellis lædi non poteris: En hoc unguento ungo collum meum: jam stringe gladium, & certum artis meæ habebis experimentum; miles feriens uno ictu Euphrasiæ caput amputavit.

662. *Q.* An Euphrasia licite egerit? R. per se loquendo, illicite egit: præterquam enim, quod petendo id, unde non tantum prævidebatur, sed intendebatur mors, directe censeatur cooperata fuisse ad sui occisionem, etiam illicite egit positive inducendo alium: per accidens autem non peccavit, quia ad hoc consilium divina inspiratione mota fuisse vel saltem bona fide processisse videtur.

663. Ad resolvendos plures casus de occisione sui, vel mutilatione suorum membrorum observa I. Virgini quidem non licet ad servandam castitatem directe se occidere, *quia*, ut ait *S. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3. non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, ut evitet minus crimen alienum*. Nec ipsa propterea peccat, si vim invita patiatur. Hinc recte *S. Lucia* Tyranno respondit: *si invitam jusseris violari, mihi castitas duplicabitur ad coronam*: licet tamen ei certo mortis periculo se exponere pro sola integritate corporali, utpote quæ habet rationem eximii boni. Ita *Busem. hic n. 1.* quia sic directe non cooperatur ad sui occasionem, sed eam tantum permittit, aut contra vim injustam se non defendit, quod ex gravi causa licitum est; præsertim pro fidei conservatione, aut Reipublicæ salute, quæ præferenda est vitæ privatæ *Laym. l. c. n. 4.* Pariter non licet se vel alium castrare ad servandam castitatem, vel sedandas tentationes: tum quia nemo est dominus membrorum suorum; tum quia alia restant media, per quæ *saluti spirituali semper potest aliter subveniri*,

quam

quam per membrorum præcisionem, quia peccatum subjacet voluntati, ut ait *S. Th.* 2. 2. *q.* 65. *a.* 1. *ad* 3. ubi explicat cum *S. Chrysl.* illud *Matth.* 19. *sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum*, scil. *non per membrorum abscissionem, sed malarum cogitationum interemptionem*. Ex eadem ratione non licet sibi amputare nasum, vel eruere oculum ad impediendum fluprum, vel turpem amorem; si quidam id fecisse perhibeantur, egerunt vel ex altiori instinctu, vel bona fide, aut ex simplicitate, ut supra dictum. Peccant quoque parentes, qui filios (etsi hi consentiant) castrari faciunt, ut serviant Regi, vel ut sint aptiores ad cantum. *Laym. l. c. c.* 1. *n.* 2.

664. II. Carnem vigiliis & jejuniis *moderate* affligere, non est illicitum, sed virtutis opus: Exemplo suo id docuit S. Paulus 1. *Cor.* 9. *v.* 27. *castigo corpus meum, & in servitutem redigo*. Addit *Laym.* l. c. cum *Sayro* & *Navar.* Illum peccare mortaliter, qui indiscrete jejunia, vigilias &c. continuando adverteret, iis vitam *notabiliter minui*. Porro juvat attendere ad regulam, quam tradit P. *Gobat in Quint. t.* 5. *c.* 1. *n.* 30. cum *Sanch.* quod omnibus hominibus imposita sit obligatio conservandi vitam, non autem prologandi; quia *prolongare illam* importat singulare studium, ad quod nemo tenetur, nisi quis bono publico valde utilis, aut necessarius esset: alias multæ curæ, studia, &c. quæ defatigant hominem, & sanitati nocent, deberent omitti. *Conservare* autem vitam importat tantum commune studium, ad quod tenemur. Hinc licite quidem manus, vel pes gangrena, vel alio malo periculose infectus abscinditur, ut servetur vita, nemo tamen tenetur ad ea media *extraordinaria*, & *nimis dura* adhibenda, etiam in casu, quo superior illa præciperet. Vide *Burgh. Cent.* 2. *caf.* 39. ideo etiam virgo excusatur a peccato, quæ renuit admittere chirurgum ad sanandam partem verecundam, quando id ei gravissimum est, & magis horret, quam mortem ipsam. *Busemb.* cum *Escob.* Pariter excusantur, qui pro vita conservanda ex consilio Medicorum nolunt ducere uxorem, uti legitur de S. *Casimiro*.

665. III. Graviter peccant, qui nolunt se a certo mortis periculo liberare, quando possunt *facili* medio, v. g. sumendo in lethali morbo medicinas ordinarias; ad media autem nimis sumptuosa, vel difficilia non tenentur, ut dictum est. *Less. L.* 2. *c.* 9. *dub.* 13. *n.* 96. Porro si æger non nisi per summum cruciatum ob vehementem nauseam possit sumere medicinam, non peccat, si renuat sumere, quia adest moralis impossibilitas. Item graviter peccant, qui per gulam, aut magnam frequentemque intemperantiam sibi vitam abbreviant. *Jansen. T.* 1. *Caf.* 33. *n.* 3.

666. IV. Mulier non potens parere licite potest admittere excisionem, ut infans baptizetur, ad hoc tamen non obli-

gatur,

gatur. Si vero infans in utero mortuus sit, mater non tenetur ejus pati excisionem, ut vitam propriam conservet, quia tale medium & ipsum periculosum & nimis arduum est. *La Croix L. 3. p. 1. n. 784.* cum *Boudew.*

667. V. Juxta *c. 12. causa 23. q. 5.* Is, qui *voluntarie* se ipsum occidit, Ecclesiastica sepultura, & suffragiis privandus est: non item, qui ex furore, amentia, aut nimia melancholia id fecit, nec ille, qui ante mortem vere de tali facto doluit. Si dubiteur, an ex deliberata voluntate, aut ex amentia, aliave causa excusante factum sit, juxta praxin Ecclesiæ in loco sacro sepeliendus non est, præsumitur enim ex opere externo, occisionem fuisse voluntariam, nisi adsit præsumptio in contrarium, v. g. si viri graves testentur, eum antecedenter jam fuisse obnoxium melancholiæ morbo &c. vel si antea fuerit vir spectatæ virtutis, & famæ, de quo tale factum voluntarium prudenter præsumi non potest. Remanente dubio, prestat rem deferre ad Ordinarium. Denique si dubitetur, an talis fuerit occisus a se vel ab alio, v. g. fuerit inventus in puteo mortuus, in tali dubio non est præsumendum delictum tam atrox, & a natura alienum, nisi graves conjecturæ præcesserint. *Laym. l. c. n. 9.* cum *Covarr.*

Casus II.

Burckarda post diuturnam luctam per stuprum violentum impregnatur; postea suasu turpissimi lenonis ad evitandam infamiam sumit poculum ad procurandum abortum.

668. *Q.* I. An Burckarda ad evitandam mortem vel infamiam saltem ante animationem fœtus potuerit licite procurare abortum? R. *Negative.* Vide *propos. 34.* ab *Innocent. XI.* damnatam. *Ratio* est, quia procuratio abortus gravius est peccatum, quam pollutio; proximius enim opponitur generationi a natura intentæ, & non est expulsio unius seminis, sed duplicis ad generationem proxime dispositi: ergo cum nunquam licita sit pollutio, imo nequidem ad mortem vitandam, multo minus unquam licita est procuratio abortus. *Card.* in dicta propos.

669. *Inferes* 1. Non valet procuratio abortus ad vitandam infamiam communitatis, familiæ nobilis, aut parthenonis, eo quod talis infamia vitari possit aliis modis. Nec propterea, quod in propositione damnata non fiat mentio Monialis, fieri potest benigna interpretatio; nam axioma, quod *odia sint restringenda*, non stat contra leges naturæ, nec in doctrinalibus, ubi certa definitur doctrina. *Carden. l. c.* ..... 2. Nec abortus licite potest procurari statim post conceptionem, propterea quod semen ipso instanti violentæ infusionis fuerit *aggressor violentus*: sicut

ſicut enim non licet occidere fornicatorem violentum poſt opus patratum, quia hæc non eſſet defenſio, ſed ultio, ſic nec expellere ipſum fœtum ſive ſemen. Ita *Viva* hic n. 17. ubi addit ex *Sanch.* probabile eſſe, quod fœmina ad ſummum in ipſa iniqua oppreſſione, violenta quoque reſiſtentia poſſit licite ſemen continuo expellere tanquam injuſtum aggreſſorem caſtitatis ad infamiam vitandam, id quod potius eſt impedire perfectam conceptionem, quam procurare abortum. 3. Non licet impedire hominis conceptionem quacunque ex cauſa; hinc ſi mulier *prudenter* timeat ſibi mortem imminere ex partu, non tenetur quidem reddere debitum; non tamen poteſt reddere illud, ut conceptionem impediat; *Viva hic n. 16.* Denique non ſolum directe, ſed nequidem indirecte, licet procurare abortum per medicamenta, per quæ directe intenditur evitanda infamia ab extrinſeco inferenda; quia talis medicina non prodeſt ad impediendam mortem vel infamiam, niſi quatenus occidit vel expellit fœtum: ergo qui illam ſumit, ſimul directe intendit expulſionem fœtus; qui enim vult finem, vult etiam media. Contraria argumenta bene ſolvit *Janſen. Caſu 33. n. 17.*

670. *Q.* II. Quas pœnas incurrat procurans abortum? *R.* 1. Juxta Bullam *Sixti V.* excommunicationem incurrit, qui ope, conſilio, vel alia ratione ſive per ſe, ſive per alios abortum procuraverit, intellige *abortum fœtus animati effectu ſecuto*, juxta declarationem *Gregor. XIV.* ita tamen, ut a quovis Confeſſario habente facultatem abſolvendi ab omnibus cenſuris abſolvi poſſit. *Viva* l. c. n. 18. ubi nu. 19. addit, quod procurans abortum fœtus animati effectu ſecuto, etiam in dubio, an fuerit animatus, nec ne, incurrat irregularitatem: item in dubio, an medium certo adhibitum fuerit cauſa abortus, an vero ille aliunde obvenerit. *Ratio* eſt: quia etiam in dubio homicidii incurritur irregularitas. Cum autem juxta *Ariſt.* & *Plinium* maſculus die Quadrageſimo, fœmina vero die octogeſimo animetur, non incurrit irregularitatem, qui ante hos dies abortum procurat: quod ſi dubitetur procurato abortu, an mas ſit; præſumitur eſſe, & incurritur irregularitas, &, ſecuto effectu, privatio beneficii, dignitatis, & inhabilitas ad ea obtinenda abſque diſpenſatione Papæ, juxta *Dianam*, prout etiam ſervat S. Pœnitentiaria. Contrarium reſolvit *Bardi*. Denique hodie non amplius probabile eſt, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, ut patet ex propoſ. 35. ab *Innoc. XI.* damnata.

671. Pro reſolvendis aliis caſibus obſerva I. Prægnans, ſi immodico ſaltu, labore, intemperantia, deliberata ira fœtui noceat, graviſſime peccat, etſi hoc non intendat, ſed ſolum prævideat, vel aliunde certo ſciat; ad ſervandam tamen vitam, vel ſanitatem poteſt licite adhibere medicinam per ſe non ordina-

tam

tam ad expulsionem fœtus, v. g. balneum, sectionem venæ; etiamsi per accidens sequatur abortus; quia si ejusmodi medicina non sumatur, vita matris, & infantis in periculo manet. Si vero medicina non conduceret ad sanitatem, nisi expellendo fœtum, eam non liceret sumere, quia directe intenderetur expulsio fœtus, quod est intrinsece malum, nisi valde probabile esset, absque tali medicina & vitam matris, & infantis periclitaturam esse. II. Medici, Chirurgi, Pharmacopæi peccant graviter contra præceptum, *Non occides*, quoties ex culpabili ignorantia, negligentia, aut avaritia causa sunt, ut ægrotus citius moriatur, aut morbus ex negligentia diu protractus notabiliter ingravescat, præsertim si *studio* diu morbo non medeantur, ut impleant bursam pecunia; hi plerumque simul implent cæmeteria mortuis; juxta *Caram.* & *Henno* isti tenentur ad restitutionem pretii pro opera & medicina accepti.

Casus III.

Bessarion se accusat: triplex homicidium commisi, primo quidem domum redux a fideli famulo audivi, statim adulterum adventurum; mox ingressum conanti gladium opposui, ut emaneat: adulter viam vi facturus, stricto gladio me aggressus est, quem proinde feliciter transfixi. 2. Furem in actuali furto deprehensum globo trajeci, ne fuga elabetur. 3. Denique calumniatorem gravia de me crimina spargentem occidi.

672. *Quæres* I. An Bessarion juste occiderit adulterum? Respondet *Carden.* differt. 12. c. 2. a. 4. *affirmative*, ex suppositio, quod factum fuerit cum moderamine inculpatæ tutelæ; primo enim ad tuendum honorem, & jus thalami licite stricto gladio conatus est se opponere adultero; postquam autem hic oppositi gladium, non solum fuit aggressor honoris, sed etiam vitæ: unde Bessarion, cum aliter non potuerit, defensione etiam occisiva ad vim avertendam licite usus fuit: secus, si non fuisset simul aggressor vitæ.

673. *Adverte* hic 1. Marito, etsi sit Judex, non licet uxorem in adulterio deprehensam propria authoritate occidere, ut patet ex propos. 19. ab *Alex. VII.* damnata. *Confirm.* ex eo, quod nulla lex conferat hanc potestatem marito. Vide *c. inter hæc causa 33. qu.* 2. Leges civiles id permittentes non tollunt rationem culpæ, sed tantum volunt, quod talis maritus postea in foro externo non puniendus sit, sicut alii homicidæ ob ingentem & justum dolorem acceptum; unde etiam talis non excommunicatur, licet Clericum adulterum occidisset, juxta c. *Si vero* 1. de sent. Excomm. *Viva* hic cum *Sanch.* & *Comm.* 2. Juxta eundem uxor, aut adulter licite se defendere possunt etiam defensione occisiva contra aggressorem, cum aggressio occisi-

cisiva sit injusta. 3. Si defloretor virgini vim inferre attentet; si aliter nequeat vim arcere, v. g. clamando &c., licite potest occidere invasorem; sic enim non tantum defendit honorem, sed etiam integritatem corporis sui.

674. *Quæres* II. Quid porro observandum circa aggressores vitæ? R. Ut vitæ aggressoris occisio licita sit, requiritur 1. Ut vera, & non tantum dubia sit aggressio, & quidem *injusta*; hinc malefactori non licet occidere milites missos ad se capiendum, quia sunt justi aggressores. 2. Ut defensio fiat in ipsa aggressione; unde si aggressor inflicto vulnere fugiat, non licet eum in fuga occidere. *Jansen.* Cas. 34. n. 6. NB. Quando me juste defendo, aggressorem occidendo, etiam alius eodem modo me posset defendere contra injustum invasorem. *Ibid.* 3. Requiritur moderamen inculpatæ tutelæ, ut supra dictum. Porro vir nobilis, vel persona militaris non tenetur fugere invasorem iniquum, quoties per fugam incurreret gravem ignominiam, ut probat *La Croix* L. 3. p. 1. num. 803. ex gravissimis AA. quia in hoc casu respectu talis personæ censetur adesse moralis necessitas se defendendi. Clericis vero, Religiosis, imo Laicis plebeiis fugere non est probrosum; imo nemini vel nobili, vel ignobili fuga vitio vertitur, si aggressor sit amens, ebrius, (cui juxta Germanorum axioma plaustrum onustum cedere debet) pater, vel Superior, ideoque tunc erit fugiendi obligatio. *Jansen.* l. c. n. 8.

675. *Quæres* III. An Bessarion juste occiderit furem? R. Si eum fores adhuc effringentem, vel antequam bona surripuerit, occiderit, peccavit (nisi fur simul fuisset actualis aggressor vitæ) quia sic adhibuisset vim plusquam necessariam ad justam defensionem bonorum suorum; sufficeret enim in tali casu clamor vel vulneratio ad fugandum invasorem. Si vero bona magni momenti actu jam surripuisset, & fugisset; ita ut non fuerit spes, & modus ea aliter recuperandi, juxta probabilem non peccasset, illum occidendo, secus, si abstuliset rem parvi momenti, ut patebit ex sequentibus.

676. De aggressore bonorum temporalium tenendum 1. Non licet pro conservatione rei exigui momenti, vel pro jure inchoato, aut re nondum possessa occidere invasorem bonorum temporalium, patet ex propos. 31. Item ex 32. Item ex 33. ab *Innoc. XI.* damnatis. In 31. propos. juxta *Carden.* differt. 21. n. 76. virtualiter damnatur, quod liceat occidere pro re parvi momenti. *Ratio* est: quia ejusmodi res aliis mediis recuperari possunt, vel saltem ad servandam vitam proximi, plerumque in peccato morituri, contemni debent ex charitate, imo talis occidendi licentia Rempublicam turbaret. Sic intelligendi sunt Ss. PP.

677. Probabilius ibi non damnatur, quod licet rem tempo-

talem

talem magni momenti, si aliter defendi, & recuperari nequeat, contra invasorem defendere defensione occisiva. *Ratio* est: quia temporalia per se sunt necessaria ad vitam conservandam, & charitas non exigit facere magnam jacturam temporalium pro vita proximi, nisi in gravi vel extrema necessitate; invasor autem non est in tali necessitate, sed magna malitia: ergo. *Confirm.* 1. ex eo, quod communis securitas id exigere videatur. *Confirm.* 2. Consuetudo orbis jure gentium introducta concedit, ut bella gerantur solorum temporalium causa cum cæde plurimorum hominum: ergo a pari. Ita docent plures, quam centum AA. a *Taberna* citati. Quæ vero res temporalis tanti momenti censenda sit, ut propter eam recuperandam vel conservandam licita sit occisio furis, facile determinari nequit: certum est, quod ea summa debeat esse multo major, quam quæ est materia gravis furti. *Cardenas* statuit pro divite 40., pro paupere aureos 3. 4. vel 5. *Sporer* t. 3. c. 2. nu. 154. ea bona magni momenti esse statuit, sine quibus vita commode secundum vitæ ac status conditionem duci nequit. Denique juxta *Lugo* D. 10. n. 175. talem furem licite etiam Clericus vel Religiosus potest occidere, quia hi æque, ac Laici jus habent ad tuenda sua, vel Monasterii bona. Huic resolutioni contrarius est *Pontas*, qui V. *occidere*. Cas. 9. post Decretum *Innoc. XI.* vocat Casuistas cæcos, qui defendunt, quod liceat occidere hominem ad servanda bona temporalia, quantumvis magna, eoquod vita hominis bonis temporalibus longe præstantior sit. Verum ex sententia *Pontasii* sequeretur, omnia bella esse injusta, quæ geruntur pro rebus temporalibus. Item sequeretur, Leges tum Civiles, tum Canonicas esse injustas, quæ permittunt, furem nocturnum impune interfici, ut L. 4. ff. ad L. Aquil., & c. *interfeceris*. 2. de homicid. voluntar. Stante hac controversia inter Authores supradicta necessario tenenda sunt, quod nunquam liceat occidere furem propter furtum unius aurei, vel aliud gravius, quod tamen non post se trahit ingens detrimentum familiæ. Item si alio modo, v. g. clamore, vel forti persecutione possint bona surrepta recuperari.

678. *Quæres* IV. An Bessarion peccaverit occidendo aggressorem famæ? R. *Affirmative*. Patet ex propos. 17. & 18. ab *Alex. VII.* damn., item ex 30. ab *Innoc. XI.* damn. *Ratio* est: quia occisio infamatoris non est aptum medium æque ad propulsandam infamiam, sicut ad servandam vitam, vel bona temporalia furi fugienti eripienda: ergo fit absque moderamine inculpatæ tutelæ. *Prob. ant.* Vel enim calumniam in judicio idonee potes probare? sic absque homicidio authoritate Judicis honorem tueri debebis: vel non potes probare? sic occidendo majorem incurris infamiam, quia a Judice tanquam homicida conde-

condemnaberis. Accedit, quod occiſio infamatoris dicta non convincat ſalſitatis; ergo eſt ineptum medium. Denique privatum jus occidendi calumniatorem vergeret in perniciem Reipublicæ; multi enim plus æquo honoris tenaces propugnatores quævis dicta paulo acerbiora pro maximis calumniis haberent, aliis idcirco vitam eriperent.

Casus IV.

Braulius, Decurio generoſus ut ſic, mira de ſe ſpargit facinora: Bonifacius hujus arrogantiæ impatiens utpote Decurio vere generoſus, facete quærit, an ſaltem poſſit numerare hoſtes a ſe occiſos? Mox Braulius ira exardeſcit, eumque ad duellum extra portam Carolinam provocat: *Bonifacius negat, ſe unquam tale ſcelus patraturum: conjurant aſtantes Officiales; ſe non amplius converſaturos, multo minus conſuetis officiis bellicis cum ipſo functuros, ni honorem ſuum defendat; imo propter tumultum inter Officiales proximo periculo privationis officii ſui exponitur.*

579. *Quæres* I. An Bonifacius licite potuerit acceptare duellum præciſe ob punctum honoris, ſive ad declinandam ignominiam, aut notam timiditatis? R. *Negative*. Vide propoſ. 2. ab *Alex. VII.* damnatam. *Ratio ulterior* eſt: quia acceptatio duelli nec eſt medium neceſſarium, nec idoneum defendendi honoris: 1. *Neceſſarium* non eſt: honor enim aliis modis defendi poteſt, ſcilicet apud competentem Judicem, vel ſi provocatus publice proteſtetur, ſe duellum non recuſare ex timiditate, aut ignavia, ſed ex debita reverentia erga leges, divinam & humanam: paratum ſe eſſe cuicunque aggreſſori obviare, uti decet virum fortem. 2. *idoneum* non eſt: quia ſumma dementia eſt, & ſumma in Deum, Rempublicam, & ſeipſum injuria, vitam propriam, & animæ ſalutem æternam certo periculo exponere. Deinde vel duellans erit *victor*? & ſic tanquam infamis tranſgreſſor LL. reus homicidii incidet in manus carnificis, aut hujus metu, relictis bonis, & officio aufugere cogetur, alibi miſere victurus: vel erit *victus*? ſic tanquam infamis præda diaboli ſepelietur ſepultura rabidi canis. Ergo duellum in tali caſu manet intrinſece malum. Pariter illicitum eſt ad duellum provocare vel acceptare 1. ad oſtentationem virium, armorum peritiæ. 2. Ad ſpectantium oblectationem. 3. Ad vindicandam injuriam, vel ex odio. 4. Ad manifeſtandam veritatem, vel ad objecti criminis purgationem.

680. *Quæres* II. An Bonifacius potuerit licite acceptare duellum ex eo, quod facta provocatio non tantum ſit actualis aggreſſio honoris, ſed officii ac dignitatis, quæ inter temporalia magni momenti reputantur? R. *Negative*. Vide in P. II. n. 1429. propoſitiones damnatas a BENEDICTO XIV.

§. III.

§. III.

Principia generalia de Scandalo.

681. *Prænotanda:* Scandalum (quod alias vocatur peccatum occasionatum) aliud est activum, aliud passivum. *Activum est dictum vel factum* (subintellige etiam omissionem externam) *minus rectum præbens occasionem ruinæ*, scilicet spiritualis, sive peccati. *S. Th.* 2. 2. q. 43. a. 1. Dixi: *minus rectum*, hoc est, dictum vel factum, quod vel in se est malum, vel saltem habet speciem mali. Merito scandalum activum vocatur occisio spiritualis; cum quodlibet grave peccatum sit mors animæ. *Passivum* est ipsa ruina, sive peccatum proximi; hoc si oriatur ex occasione ab alio data, vocatur *datum*, sive *pusillorum*, vel infirmorum, v. g. si quis turpem delectationem hauriat ex turpiloquio alterius. Si oriatur ex sola peccantis malitia ob alterius dictum vel factum irreprehensibile, dicitur *acceptum* & *Pharisaicum*, a Pharisæis, qui ex sanctissimis Christi actionibus sumebant occasionem peccati. *Activum* iterum aliud est directum, aliud indirectum: *Directum* est, quando quis jussu, suasu, sollicitudine, vel exemplo intendit aliquem inducere in peccatum, idque vel formaliter, dum intenditur ipsa ruina spiritualis, vel offensa Dei, quod proprium est dæmonum, & hominum pessimorum: aut materialiter, quando tantum intenditur ipsa actio peccaminosa alterius, ut sibi utilis vel delectabilis, v. g. furtum, fornicatio &c. *Indirectum* est, quando interpretative præbetur occasio peccandi, v. g. dum quis exercet actionem, quam congnoscit esse aptam, ut per eam promimus hic & nunc inducatur in peccatum, eam tamen non omittit, quamvis directe non intendat peccatum alterius, v. g. dum quis coram junioribus cantat impudica. *Babenst.* t. 5. d. 1. a. 6. §. 1.

682. *Principium I. Scandalum activum* ex genere suo est peccatum mortale; veniale autem propter parvitatem materiæ, aut ex defectu advertentiæ, sive deliberationis. Ita *Comm.* primum paret ex Matth. c. 18. *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Et *Ratio* est: quia inducere alium in peccatum, quod est malorum omnium maximum, directe opponitur Charitati. *Ratio secundi* est, quia peccatum veniale in ordine damnorum spiritualium est tantum quid leve; ergo etiam inductio in illud est tantum leviter peccaminosa. *Nec refert*, quod peccatum veniale causet majus damnum, quam sit omne damnum temporale, nam damnum, ut censeatur leve vel grave, debet considerari in proprio ordine sine comparatione damnorum alterius ordinis. Accedit, quod damnum peccati venialis sit facilius reparandum, quam damnum grave temporale. *Palao*, *Babenst.* l. c.

683. Dixi: *directe scandalizans.* De scandalo enim activo

indirecte, an sit speciale peccatum contra charitatem, non conveniunt DD. *S. Thom.* 2. 2. q. 55. a. 3. in ⊙ ait: *Scandalum per accidens tale, quando est præter intentionem agentis, ut puta, cum aliquis facto suo, vel verbo inordinato non intendit alteri dare occasionem ruinæ, sed solum suæ satisfacere voluntati: & si scandalum etiam activum non est speciale peccatum.* Unde *Paludanus*, *Durandus*, & alii concludunt, scandalum activum indirectum non esse grave peccatum in confessione exprimendum, hoc ipso, quod in tali casu peccatum non intendatur, sed tantum non impediatur. Contrariam *S. Anton. Navarri*, *Soti*, *Valentiæ*, *Suarésii* de Char. disp. 10. Sect. 2. *Laymann*, *Sporer*, & *Babenst.* dicunt esse communiorem, & probabiliorem, quia sicut is vere committit peccatum detractionis, qui temere aliquid dicit, ex quo fama proximi damnum patitur, quamvis hoc damnum non intendat directe, sed sufficit, non abstineat a sermone, ex quo illud secuturum providet: ita a pari. Ideoque pro praxi *Laym.* L. 2. t. 3. C. 13. n. 6. recte tradit sequentes regulas: Prima: *In Confessione necessario exprimenda est species peccati mortalis, ad quod exemplo, suasione, aut jussu alterum induxerat: insuper exprimendus est numerus personarum, quas ad tale peccatum traxisti, vel probabiliter trahere potuisti.* Secunda: *Non semper peccatum scandali committitur, si quis coram aliis peccet, sed tunc solum, quando probabile periculum est, alterum quoque ad peccandum commovendi*: v. g. si videntes vel audientes tam prudentes, & in virtute constantes sint, ut nemo eorum parvo exemplo moveatur: item si præsentes ejusdem farinæ socii per se jam ad peccandum parati & instructi sint, ideoque exemplum unius ad peccatum alterius nihil conferat &c. ad scandalum activum non requiritur, ut passivum actualiter sequatur, sed sufficit, positam esse actionem, ex qua passivum suapte natura possit oriri. Tertia: *Si quis exemplo suo alterum induxerit ad furandum, aliudve damnum injustum inferendum, non obligatur ad ejus compensationem, secus, si jussio aut suasio efficax antecesserit*: quia exemplo suo movens ad peccatum non cooperatur alterius peccato, sed tantum peccat contra charitatem: qui vero jubet, suadet, vel arma subministrat ad damnum inferendum, peccat simul contra justitiam, & cooperatur alterius peccato. Scandalizans tamen bono exemplo saltem debet corrigere errorem. Ita *Sà*.

684. Ex his resolvuntur sequentes casus: I. Operatio secundum se venialiter mala, ratione scandali, quod per illam præbetur, potest fieri graviter mala; v. g. si quis coram marito valde zelotypo uxori sæpius in aurem dicat tantum jocosa, unde gravis dissensio postmodum oritura prævidetur. *Babenst.* l. c. n. 15. Sic etiam illicitum est Judici munera offerre (quamvis hoc de se quid indifferens sit) eo fine, ut intuitu munerum

sit

sit patronus injustæ causæ: quia hoc est sollicitare, & per consequens proxime operari ad peccatum.

685. II. *Brandanus*, qui induxit Berdam ad fornicandum, non tenetur explicare circumstantiam hujus scandali: quia Confessarius ex communiter contingentibus præsumit, virum induxisse. Berda vero si induxisset Brandanum, id deberet exponere in confessione, quia hoc non communiter contingit: ergo nequit innotescere Confessario, nisi explicetur. *Laymann*, *Filliuc.* t. 28. c. 10. n. 231.

686. III. A peccato mortali excusari non possunt Histriones, & alii, qui verba turpia in comœdiis proferunt: item spectatores obscœnarum comœdiarum. 2. Qui obscœna carmina, libros, & cantilenas componunt, evulgant &c. 3. Qui faciunt statuas, aut pingunt imagines valde obscœnas, aut eas publice exponunt. Nec exemplum plurimorum fœdas imagines publice exponentium excusat, quia hoc non tollit periculum peccati; ergo nec scandali: imo alias excusaret ab observatione mandatorum quotidiana eorum transgressio. 4. Item qui tales fixe intuentur, scientes periculum consensus. 5. Præsertim vero Hospites, vel Præceptores, qui pravo exemplo parvulos sibi commissos a parentibus seducunt. Quid expedit scandalizanti unum de pusillis istis? Respondet Christus Matth. 18. v. 6. *Ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.*

687. IV. Ad intricatam quæstionem, an sit peccatum scandali, suadere minus peccatum illi, qui alioquin certo facturus est majus, respondent 1. *Valent.* & *Sà*, id non licere: quia minus peccatum nihilominus manet peccatum: ergo illud suadere est intrinsece malum. 2. *Laymann Dicast.* & alii respondent sub distinctione, si minus malum contineatur in majori, nec majus aliter possit impediri, licitum esse suadere minus, eoquod sic non suadeatur peccatum minus, nec intendatur, sed tantum, ut plene determinatus ad majus malum omittat unam ejus partem. Econtra licitum non esse, suadere minus malum, quod in majori nullo modo continetur, v. g. si determinato ad homicidium suadeam ebrietatem; quia hoc esset determinare ad peccatum, ad quod alter non erat nullo modo determinatus. In priori autem casu non suadetur illud malum simpliciter, sed tantum eligitur ut medium ad impediendum majus. 3. *Sanchez* de Matrim. L. 7. d. 11. n. 15. cum gravibus AA. ait, licitum esse, suadere minus, quamvis sit diversum, eoquod etiam hoc modo non suadeatur malum ut tale, sed tantum ut impeditivum majoris. In praxi tenemur omni modo impedire malum, ad quod alter determinatus est; vel si suasio juvet, absolute saltem est dissuadendum majus malum absque suasione minoris mali, ad quod si alter se ipsum determinet, &

ab eo pariter averti nequeat, sufficiet, illum fuisse impeditum a majori malo absque ulla suasione minoris mali.

688. *Principium II.* Ad dignoscendum, quænam facere, vel omittere debeamus ad impediendum scandalum passivum, supponitur 1. tanquam certum, quod in nullo unquam casu liceat exercere actionem intrinsece malam ob impediendum peccatum proximi; *nunquam enim facienda sunt mala, ut eveniant bona.* 5. Ex eadem ratione nunquam est licitum, intermittere actionem, ad impediendum peccatum proximi, si intermissio actionis sit intrinsece mala, ideoque nullum opus necessarium ad salutem debet omitti ob scandalum passivum. Manifestum enim est, quod nullus debeat peccare, ut alterius peccatum impediat, quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius. Ita diserte *S. Th.* l. c. a. 7. in ⊙ 3. Opera bona, non præcepta, ob scandulum pharisaicum nunquam omittenda sunt, quia hoc oritur ex mera, & libera malitia; ob scandalum autem pusillorum subinde vel occultanda, vel differenda sunt, ubi periculum non imminet, donec reddita ratione hujusmodi scandalum cesset: quia charitas suadet, ut hoc modo subveniatur infirmitati, vel ignorantiæ proximi, ex quibus ejusmodi scandalum oritur. Hinc inter viros doctos & prudentes minus timendum est, ne ex actionibus bonis tale oriatur scandalum. Si propositis rationibus adhuc duret scandalum, incipit esse pharisaicum, quod est contemnendum. *S. Thom.* ibid. Sic ingressus Religionis ob scandalum Parentis debet differri, si consensus postea speretur. 4. Juxta *Vasq.* de Scand. q. 43. a. 8. dub. 1. *Becanum*, & alios, opus præceptum nec debet, nec potest omitti ob vitandum scandalum passivum pusillorum, ita ut Bernardus debeat audire Sacrum die festo, etsi prævideat, quod Brictius inimicus in templo ad ejus conspectum sit concepturus novum odium. *Palao* & *Tambur.* dicunt, quod Bernardus possit omittere ex charitate Sacrum, non tamen teneatur. Probabilior *Laymanni* l. c. n. 10. est, quod opus præceptum semel, aut iterum (non tamen sæpius) ob prævisum scandalum passivum debeat omitti: adde, *si circumstantiæ brevi mutandæ credantur;* quia concurrente dublici præcepto, scilicet naturali de impediendo scandalo, & positivo, v. g. de audienda Missa majus, & fortius est naturale. 5. Opera indifferentia, vel licita de se non tenemur omittere ob vitandum scandalum, *si adsit rationabilis causa*, v. g. necessitas vel utilitas propriæ, aut alienæ salutis: item si peccatum proximi sine gravi incommodo impediri non possit: suppositis enim his conditionibus opus alias licitum nostro jure ponimus, nec determinamus alios ad peccandum, sed pure permittimus. Secus, si non urgeat rationabilis causa; tunc enim tenemur omittere tale opus, ex se quidem licitum, ex quo tamen

men ſcimus alium eſſe ſcandalizandum ex ignorantia vel infirmitate (phariſaicum enim contemni debet) nam quilibet ex Charitate tenetur impedire peccatum, ſi *commode* & *facile* poſſit. Ita *Comm.* Ideoque abſque juſta cauſa non licet petere mutuum ab uſurario, nec ab infideli juramentum per falſos Deos, nec a ſacerdote excommunicato, licet tolerato, adminiſtrationem ſacramentorum, nec a concubinario &c. ſecus, ſi adſit juſta cauſa neceſſitatis, vel utilitatis. *Laym. l. c. n.* 8.

685. *Princip. III. Nunquam licet cooperari alterius peccato formaliter* ſive per actionem, quæ *proxime*, & *directe* influit in alterius peccatum; Qui enim ſic concurrit, vult ipſum peccatum; ergo fit reus peccati. Licet *tamen cooperari materialiter* per actionem, quæ *remote* tantum concurrit ad alterius peccatum, ſi nimirum tres ſequentes adſint conditiones. 1. Si actio tua ſit de ſe bona, vel ſaltem indifferens. 2. Si fiat ex rationabili cauſa, & ex bona intentione. 3. Si alterius peccatum impedire nequeas; vel ſaltem non tenearis ex juſta cauſa. Ita *Buſemb.* gravitas cauſæ certa regula definiri nequit, ſed prudenti judicio determinanda eſt ex circumſtantiis, ex his enim actio de ſe indifferens, & remote tantum concurrens ad peccatum ſæpe fit proxime adjuvans, & illicita; ut patet ex propoſ. 51. ab *Innoc. XI.* damnata, de qua egimus n. 646.

Reſolutio Casuum.

Catharina novit, quod ex ſui aſpectu Bruno in turpia deſideria labatur; hinc timet die feſto audire ſacrum in proximo templo, in quo ſcit, Brunonem pariter ſacrum audire; aliud vero templum remotius adire non vult; cum ſit delicate educata.

690. *Q.* I. An Catharina teneatur intermittere ſacrum, an vero remotius adire templum? R. Si aliud templum non notabiliter remotius ſit, tenetur alibi audire ſacrum, neque delicata educatio eſt cauſa gravis, excuſans ab auditione ſacri ob vitandum ſcandalum: plerumque enim ejuſmodi delicatulas non piget adire comœdias, aut conventiunculas in locis remotioribus; cur pigeat adire templum aliquanto remotius? Si vero unicum tantum ſacrum in eodem loco legeretur, reſolvendum ut ſupra n. 638. ſcil. quando eſt ſpes, fore ut circumſtantiæ brevi mutentur, v. g. ſi Bruno brevi alio ſit diſceſſurus, ex Charitate ſemel aut iterum deberet omittere ſacrum: ſi vero nulla ſit ſpes: juxta probabilem deberet audire ſacrum, habet enim juſtam cauſam exeundi: nec ille egreſſus vel auditio miſſæ ex ſe ad peccatum inducit, ſed ex alterius malitia.

691. *Q.* II. An Catharina teneatur manere domi, ſi timeat plures indeterminate e communitate paſſuros ſcandalum ex ſui aſpectu? R. *Negative*: eſſet enim nimis difficile, & ſcrupu-

lorum materiam præberet, si fœmina, quæ nullius ruinam intendit, proprio jure ex justa causa egrediendi foras, vel prospiciendi per fenestram privari deberet, ne ex ejus aspectu aliqui e populo scandalum patiantur. *Laym. l. c. n.* 10.

692. *Q.* III. An peccaret Catherina, si ex mera curiositate prospiceret per fenestram, quando scit, quod prætereat Bruno. R. *Affirm.* Quia tum non adest rationabilis causa prospiciendi, e quo prospectu tamen scit oriturum scandalum; pariter juxta *Sporer de Scand. n.* 23. §. 2. deberet abstinere ab inutili egressu aliquamdiu, non tamen longo tempore, quia hoc esset grave incommodum; quod si enim concupiscentia alterius diu duret, non est amplius infirmitas, sed obfirmata malitia, & scandalum pharisaicum.

Casus II.

Clara virgo valde obscura frequenter ad alloquium admittit Caprasium, negative dubitans, an ab illo turpiter ametur. Eadem plurimum studii impendit, cum in ornando corpore, tum in suaviter alloquendo, ut placeat, & honestos habeat procos; denique etiam adhibet ornatum satis scandalosum, quo plures allicit, qui certant eam e templo ducere domum, a quibus admittit compressiones manuum, nutus amatorios, quos & ipsa reddit.

693. *Q.* I. An Clara peccet admittendo Caprasium ad alloquium? R. Si alloquium cæteroquin sit honestum, nec aliunde colligatur inhonestus animus Caprasii, per se loquendo, non peccat. Nec obstat dubium illud negativum; quia in dubio quilibet debet præsumi bonus. Secus, si ex moribus adolescentis, vel ex verbis Venerem olentibus prudenter timeat in illo turpes affectus, motus vel actus. Ita *Jansen.* T. 1. Casu 20. n. 4.

694. *Q.* II. An Clara peccet vestitu, & suavi alloquio, quæreus aliis placere? R. Si vestitus sit statui conveniens, & de se honestus, item si alloquium sit etiam suaviter honestum, non peccat saltem graviter, quia nihil mali intendit, nec medium alliciendi procos de se est malum.

695. *Q.* III. An Clara peccet graviter per ornatum scandalosum &c.? R. 1. Si sit notabiliter scandalosus, & per se alliciens ad turpes aspectus, v. g. notabilis denudatio pectoris, peccat mortaliter, nec absolvi facile debet, nisi parata sit ad emendationem. Impudicarum ejusmodi fœminarum fronti inscribi deberet illud Prov. 7. v. 10.: *Ecce occurrit mulier ornatu meritricio, præparata ad decipiendas animas.* Regulam generalem tradit *S. Thom.* 2. 2. q. 169. a. 2. *in* ☞: *Si mulieres hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quadam levitate vel vanitate propter jactantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque*

doque veniale. Idem sentit ibid. de fuco & pigmentis. R. 2. Compressiones manuum &c. Clara a Caprasio non potest citra peccatum grave sine resistentia admittere si notus sit turpis affectus Caprasii, quia hæc sunt proxima incentiva luxuriæ. *La Croix* L. 2. n. 249.

696. Pro resolvendis aliis casibus *Observa*. I. Juxta *Suarez* & *Sanch.* nemo tenetur in propriis bonis gravem jacturam facere vel pati, ne proximus ob actionem tuam de se bonam scandalizetur; quia tum adest justa causa permittendi scandalum. Secus, si leve damnum quis debeat pati ob impediendum grave peccatum. Vide *Sporer* de Scand. n. 32.

697. II. Non peccat, qui ex justa causa præbet materiam ex se licitam, qua alter ex malitia sua abutetur ad peccandum; id enim contingit præter intentionem offerentis materiam peccandi; causa autem præbendi talem materiam eo major requiritur, quo gravius est peccatum, ad quod præbetur occasio, item quo probabilius est, peccatum non secuturum, si occasio non daretur. *La Croix* l. c. n. 255.

689. III. Non peccat, qui vendit ornamenta puellæ, per quæ alios est sollicitatura ad peccatum, præsertim si illa venderentur ab alio; quia ista venditio est quid indifferens, & remote se habet ad peccatum, nec ideo, si non venderet, per hoc impediret peccatum, alius enim venderet. *Sanch.*, *Nav.*, *Azor* contra *Palao*.

699. IV. Qui non aufert occasionem peccati eo fine, ut deprehensus corrigatur & resipiscat, non peccat; quia hoc non est inducere ad peccandum, sed permittere unum peccatum tanquam medium ad cavenda plura. Ideoque non peccat pater, qui filio furtis addicto relinquit pecuniam alicubi incustoditam, ut illum ex insidiis deprehensum corrigat. Sic custodes gabellarum, vinearum, hortorum &c. licite se abscondunt, ut viatores defraudantes gabellas, auferentes uvas aut fructus, deprehendantur: alii vero absterreantur, dum timere debent, ne & ipsi a latitantibus deprehendantur. Nec alius restat modus pro bono communi: alias pro singulis vineis & hortis deberent custodes constitui, aut pater deberet continuo adhærere lateri furtivi filii. Non tamen licitum est, ideo se abscondere, ut quis deprehensus puniatur, & mulctetur; quia hoc esset intendere pœnam & damnum proximi, & simul peccatum, ex quo oritur pœna. *Babenst.* l. c. n. 26. cum *Bonac.* & *Tamb.* Non æque conveniunt AA., an liceat ultro offerre occasionem peccati, v. g. in mensa ponere pecuniam, aperire cistam eo fine, ut fure deprehenso, graviora mala impediantur. Negat id licere *Sà* V. *Peccatum*. n. 7. *Sanch.* Affirmat contra *Laym.* L. 2. t. 3. c. 13. n. 5., id licitum esse: videtur addendum: si aliud correctionis medium non suppetat.

§. IV.

Principia generalia de odio proximi, imprecationibus &c.

700. *Prænotandum I.* Lubet ad præceptum quintum revocare ea, quæ ab aliis tractantur de charitate proximi in genere, eoquod pleraque, quæ a lege charitatis proximi prohibentur, v. g. odium, imprecationes, vel maledicta recte vocari possint homicidia cordis, vel oris. In genere hic tanquam certum supponimus, quod præceptum charitatis proximi expressum Matth. c. 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, prout est *affirmativum*, nos obliget ad diligendum proximum tum actu interno, ut patet ex propos. 10. & 11. ab *Innoc. XI.* damnatis, tum actu externo bene faciendo, quod fit per opera misericordiæ corporalia & spiritualia. Christus enim ait Joan. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Atqui Christus actibus tum in-tum externis nos dilexit: ergo. Utrumque exprimit S. Joannes in Epist. 1. c. 3. *Diligamus opere & veritate.* Debet autem saltem sæpius in vita elici actus dilectionis proximi ex motivo supernaturali, v. g. quia Christus id præcipit, quia Christus pro proximo mortuus est, quia est imago Dei &c. *Vix* in dictam propos. Prout vero est *negativum*, nos obligat ad non odio habendum proximum. Per proximum intelligitur omnis creatura rationalis, quæ capax est beatitudinis; hinc excluduntur soli dæmones & damnati. Modus diligendi proximum continetur in his duobus principiis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Item: *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

701. *Prænot. II.* Odium in genere est actus, quo alicui malum volumus. Dividitur in *odium inimicitiæ*, quo aversamur aliquem, ipsique malum volumus præcise, quia ipsi malum est. Et in *odium abominationis*, quo aversamur aliquem non secundum se, sed secundum malum aliquod, quod in ipso est nobis, aliisque contrarium vel nocivum. Illud *Azor* recte vocat *odium personæ*, hoc vero *odium rei*.

702. *Principium I.* Odium inimicitiæ sive personæ contra proximum est peccatum mortale ex genere suo, sive foveatur in corde, sive prodeat in verba aut opera. *Prob.* 1. ex Script. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* 1. Joan. 3. Item 1. Joan. 2. *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est.* *Prov.* 2. *Ratione*: Quod immediate repugnat charitatis præcepto, quod simile est præcepto primo de dilectione Dei, grave peccatum est; atqui odium inimicitiæ immediate repugnat huic præcepto: ergo. Dixi, *est mortale ex genere suo*; quia potest esse veniale ex imperfectione actus, & ex levitate materiæ, v. g. dum quis alteri imprecatur leve tantum malum, vel gra-

ve

ve non satis deliberate vel advertenter. *Bonac. Palao* cum comm. Ideoque tanquam regula generalis statuitur, quod *deliberate velle, gaudere, desiderare, imprecari proximo grave malum, v. g. mortem, pestilentiam, infernum &c., sive ex vindicta, sive ex aversione aut displicentia erga ejus personam*, semper sit mortale.

703. Odium abominationis sive qualitatis potest esse bonum vel malum, prout qualitas, quæ in proximo odio habetur, bona vel mala est: v. g. si odio habeas in proximo vitæ sanctitatem, temperantiam, justitiam &c. odium malum est, & fraternæ charitatis invidentia. Vide dicta n. 326. & 337. Si odisti in proximo superbiam, luxuriam &c. odium bonum est: hoc modo ipse Deus odio habet peccatores, juxta illud Psal 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*. Idem ad Rom. 1. *Detractores Deo odibiles*. Ita David ait Psal. 138. *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos*. Cavendum hic est, ne istud odium rei ad personam paulatim se extendat; facile enim solet degenerare in odium inimicitiæ. *Valent.* t. 3. d. 3. p. 11. pu. 1.—

704. *Princ. II.* Non licet odisse inimicos odio inimicitiæ, sed hoc solum in eis possumus odio habere, quod sint nobis contrarii, ut ait *S. Th.* 2. 2. q. 25. a. 8. ad 2. non tamen nobis contrarii sunt, quatenus homines, & beatitudinis capaces, sed eatenus sunt proximi nostri; Ergo. *Confirm.* ex verbis Christi Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*. Modus, quo tenemur diligere inimicos, est juxta *S. Th.* l. c. a. 9. in ℅ 1. ut affectum vindictæ deponamus, & ex animo iis ignoscamus, juxta illud Matth. 6. v. 15. *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. 2. Tenemur inimicis nostris exhibere *communia* dilectionis signa, qualia Christianus Christiano, civis concivi ordinarie exhibere solet, ad *specialia*, quidem non tenemur, debemus tamen esse animo parati ad ea exhibenda in casu necessitatis. Hinc *regulariter* loquendo, peccat graviter, qui excludit inimicum ab oratione, e communi eleemosyna, expositarum mercium venditione, resalutatione, responsione &c. *Ratio primæ partis* est; quia illa, quæ communiter omnibus debentur, negare inimico, manifeste indicat vindictam privatis personis illicitam, juxta illud Levit. 19.: *Non quæres ultionem, neque eris memor injuriæ civium tuorum*. *Ratio secundæ partis* est; quia hoc ipso, quod ejusmodi signa sint specialia, non teneris ea exhibere omnibus; ergo nec inimico, cum is non sit melioris conditionis, quam alii. Est tamen de consilio, specialia inimicis exhibere, nisi aliunde accedat obligatio: v. g. si grave scandalum ex omissione oriretur; item si id requireret spes salutis inimici, aut necessitas temporalis vel spiritualis, aut culpæ deprecatio ab inimico

sa-

facta; in his enim casibus neglectus specialium signorum esset externa declaratio odii. Dixi *regulariter* &c. quia si levitas materiæ, aut justa causa excuset, e. g. si pater filio, Superior Subdito communia signa dilectionis subtrahat pro correctione, non peccaret graviter. Vide *Laym.* L. 2. t. 3. c. 4.

705. *Princip. III.* Tenemur succurrere proximo in necessitate corporali constituto, ut patet ex Script. *Esurivi enim, & non dediſtis mihi manducare* &c. Matth. 25. Item: *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere*. Et Prov. 21. v. 13.: *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*. Lege etiam Ezech. c. 16. v. 49. Obligatio autem faciendæ eleemosynæ corporalis ex duplici capite oritur: *primo* ex *parte accipientis*, si in necessitate sit constitutus, quæ triplex esse solet: una *extrema*, cui nisi succurratur, homo vita periclitabitur, vel saltem periculo mali morti æqualis exponetur. Altera *gravis*, cui nisi succurratur, proximus vitam ægre ac difficulter sustentabit, vel statu ac dignitate sua privabitur. Tertia *ordinaria* sive *communis*, quam comitatur aliquod incommodum in necessariis ad vitam & statum, ita tamen, ut vita non reddatur nimis misera vel molesta, qualem patiuntur ii, qui ostiatim mendicant. *Secundo* ex *parte dantis*, si habeat bona *superflua* sive *naturæ*, h. e. non necessaria ad vitam suam & suorum sustentandam; sive *personæ superflua*, h. e. non necessaria ad statum ac dignitatem tuendam. Hisce præcognitis de modo succurrendi traduntur sequentes regulæ.

706. *Prima. De necessariis naturæ nemo tenetur largiri eleemosynam. S. Th.* 2. 2. *q.* 32. *a.* 6. in ⊖; quia ordinata charitas exigit, ut quis suam, suorumque vitam anteponat vitæ alterius: ibidem excipit *S. Th.*, nisi persona patiens extremam necessitatem sit talis, ut ab ejus vita salus Ecclesiæ vel *Reipublicæ* sustentetur; bonum enim commune præferendum est bono proprio. *Cardenas* in Crisi Theol. Disp. 20. c. 1. n. 13. addit tanquam certum, etiam ex necessariis naturæ succurrendum esse extreme indigenti sub gravi peccato, quando id fieri potest cum modico detrimento.

707. *Secunda reg.* De necessariis personæ, sive statui conservando facienda est eleemosyna homini *extremam* naturæ necessitatem patienti. *Azor* t. 2. L. 12. c. 7. q. 5. *Laym.* l. c. *Carden. Bannes* oppositam vocant *inhumanam* opinionem. *Rutio* est; quia ordo charitatis, *per se loquendo*, exigit, ut vitam proximi propriæ dignitati præferamus. Dixi *per se*: nemo enim tenetur pro servanda pauperis vita statu suo excidere, si id majus damnum videatur, quam mors pauperis. Huc pertinet illud S. Ambrosii: *Pasce fame morientem, si non paveris, occidisti*.

708. *Tertia reg.* Proximo in *gravi* necessitate constituto succurrendum est ex bonis ad statum necessariis, si modicum tantum

tum eorum detrimentum inde sequatur; quia id jubet lex charitatis, ut liberatio proximi in gravi miseria preferatur levi, ac facile reparabili damno propriorum bonorum. Secus, si quis propterea notabile damnum deberet subire; hoc enim æquiparatur gravi necessitati alienæ. *Babenst.* l. c. nu. 12. cum *Laym.* & communi contra *Gabr.* & *Rosel.*

709. 4. Pauperi gravi necessitate laboranti quilibet tenetur sub peccato mortali subvenire ex bonis naturæ & statui superfluis. *Carden.* cum *Suar.* D. 7. de Char. sect. 3. n. 6. *Prob.* 1. ex 1. Joan. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* qui textus sine fundamento tantum ad extremam necessitatem revocatur. Huc revoca textus *n.* 705. cit. *Probat.* 1. ex *S. Ambr.* L. 1. de offi. c. 31., ubi ait: *Grandis culpa est, si, sciente te, fidelis egeat: si scias eum fame laborare: ærumnam pati* (NB. non ait, extremam necessitatem pati) *præsertim si mendicare erubescat. Prob.* 1. Qui ita non succurrit proximo, non diligit opere & veritate, sed lingua tantum contra illud 1. Joan. 3. *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Confirm.* Extrema necessitas datur rarissime, ergo præceptum eleemosynæ restringere ad illam, est obligationem ejus efficere rarissimam, contra Scripturam, quæ multos damnat ob ejus transgressionem. Juxtra *S. Th.* l. c. a. 5. ad 3. tum actu obligat istud præceptum 1. *quando apparet evidens & urgens necessitas*, h. e. si gravem alicujus pauperis necessitatem perspectam habeas. 2. *Quando non apparet in promptu, qui ei subveniat*, h. e. si nemo alius adsit, qui gravi miseriæ proximi subvenire possit ac velit, ut ait *Laym.* l. c.

710. Quinta denique *reg.* Etiam in communi necessitate constitutis est gravis obligatio dandi eleemosynam ex bonis naturæ, & statui superfluis, non tamen dandi determinate huic vel illi pauperi. Ita *Babenst.* l. c. n. 19. cum comm. *Prima pars* eruitur ex illo Luc. 11. v. 41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam. Ratio*, autem est; quia gravis deordinatio est, divitiis & bonis temporalibus ita esse addictum, ut quis nolit succurrere indigentiæ proximi, licet, facile, & absque ullo damno possit. Huc pertinet propos. 12. ab *Innoc. XI.* damnata. Non tamen est obligatio succurrendi illis pauperibus, qui suo se labore sustentare possunt, sed malunt otiose mendicare, quam laborare; quia tales non sunt in vera necessitate, sed mera pigritia.

Alteram partem tradit S. Th. quodlib. 8. a. 12. *Quamvis* (dives) *teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare, sed tenetur distribuere, secundum quod sibi visum fuerit opportunum.*

Ad-

Adverte: nomine eleemosynæ late comprehenduntur alia opera misericordiæ corporalia & spiritualia, quæ Theologi complectuntur sequentibus versibus memoriæ causa:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Inter spiritualia primario refertur, *carpe*, h. e. fraterna correctio, sive *correptio*, estque monitio, qua quis ex charitate & misericordia proximum a peccato, vel ejus periculo avertere conatur. De quo sit.

711. Princip. IV. *Tenemur ex præcepto tum naturali, tum positivo divino & humano corripere proximum.* Est autem *correptio* nihil aliud, quam admonitio, qua quis conatur alium avertere a peccato, vel ejus manifesto periculo. Ita Communi TT. Dixi 1. *tum naturali*: constat enim ex lumine rationis, ut, quemadmodum quilibet optat averti a se malum, quod facile potest averti, ita & hoc ipsum alteri præstet. Dixi 2. *positivo divino*, ut constat ex Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Dixi 3. *& humano*, ut patet ex Jure Can. c. *Providendum*. c. *Consentire*, dist. 83. c. *Facienti*, dist. 86. *Confirm.* Tenemur proximo subvenire per eleemosynam in necessitate corporali; ergo multo magis ad idem tenemur per correptionem in necessitate spirituali, ita quidem, ut hæc obligatio in re gravi etiam sub gravi peccato nobis incumbat. Ad hoc autem, ut actu obliget hoc præceptum affirmativum (ideoque non obligans pro omni tempore) requiruntur sequentes conditiones: 1. Si peccatum proximi, aut ejus periculum tibi moraliter certum sit; adeoque, stante solo dubio peccati, nondum exurgit obligatio correptionis, nec privata persona tenetur inquirere in certitudinem, sed solus Superior, Pater, Dominus respectu suorum. *Prob.* ex verbis supra cit. Si peccaverit *in te* frater, hoc est, *sciente te*, vel *coram te*. *Confirm.* Sante solo dubio facile posset contingere, ut quis proximo objiceret peccatum ab eo non commissum, ex qua correctione plus mali, quam boni timendum esset. 2. Si probabile sit, eum nondum emendasse illud, aut, nisi moneatur, non emendaturum. 3. Si adsit spes probabilis, correptionem esse profuturam, & proximum per illam emendandum; nam si ex correptione proximum nonnisi irritandum, & tanto audacius peccaturum prævideas, cessat finis correptionis, scilicet emendatio. *Suarez* excipit casum, quo peccator in articulo mortis de salute æterna, omissa correptione, periclitaretur, huic adhibenda est correptio, etiamsi æqualiter dubitetur, sitne pro-vel obfutura, quia instans malum alias esset irreparabile. 4. Si non adsit alius, qui æque, vel magis idoneus sit ad corripiendum, aut qui credatur correpturus. *Bonac.* D. 1. q. 4. p. 7. n. 6. Si sit bona occasio, locus & tempus opportunum,

& fieri

& fieri queat sine gravi suo incommodo. Hinc sæpe laudabiliter correptio differtur in aliud tempus: quo omnibus consideratis proximo utilior futura esse creditur. *Filluc.* t. 28. c. 6. num. 138. Siqua ex his conditionibus desit, *regulariter* privatus non tenetur monere delinquentem. Hinc frequentius tenentur Superiores, Parochi, Parentes, Heri monere subditos, quam privati homines, quia raro concurrunt dictæ conditiones. Privatus tamen sæpius obligatur, deferre delictum ad Superiorem. Denique correptio non debet necessario verbis, sed & signis, aut quocunque modo fieri potest, quo moneri quis solet. Regulariter etiam non debet fieri verbis asperis ac duris; sic enim ordinarie non emendatur, nisi durissimæ cervicis homines. Nec debet fieri publice, & coram aliis, nisi peccatum sit publicum; modum præscribit Christus Matth. c. 18. scilicet 1. fiat correptio *inter te, & ipsum solum*, qui peccavit, vel in periculo exiistit. 2. Si hoc non sufficiat, *coram testibus*. 3. Si nec hoc sufficiat, res deferatur ad Superiorem. Licet tamen non raro rem immediate deferre ad superiorem.

Casus I. De odio Proximi.

Crispinus nec sibi, nec aliis bonus se accusat 1. *Quotidie mihi & aliis mortem optavi, imo & parentibus.* 2. *Sæpe imprecatus sum prolibus, & aliis hominibus, ut eos auferat diabolus, fulmen percutiat &c.* 3. *Sæpe de vicini felici sorte, sanitate ac vita tristatus fui; dumque nuper subitanea morte extinctus, est, in sinu gaudebam.* 4. *Jam diu vixi in odio contra novercam pessimam mulierem.* 5. *Aliquoties fui susurro.* 6. *Rixas habui.*

712. *Q.* I. Quid dicendum ad primum? R. Optando sibi mortem ex prava intentione, & deliberate, peccavit graviter. Secus, si ex perturbato animo ob indeliberatos iræ motus, aut si ex bono fine, v. g. ne diutius in præsenti periculo peccati, & salutis amittendæ vivere debeat. *Palao* etiam excusat eos a gravi peccato, qui sibi ipsis ob gravissima mala optant mortem, v. g. ut liberentur a gravissimis doloribus vel adversitatibus; secus, si ob levia tantum mala. Vide *Burg.* cent. 1. cas. 4. Aliis optando mortem deliberate, absolute, & serio, etiam peccavit graviter, quia mors censetur unum ex gravissimis malis; adeoque graviter læditur charitas. Tum vero non peccasset graviter singulis actibus, quando maledixisset ex subito potius impetu, quam serio animo. Idem tenendum est de aliis imprecationibus num. 2. in casu expressis, quæ si fiant deliberate, & serio animo, ut eveniant mala, graviter sunt peccaminosæ; levia vero peccata sunt (ex supposito, quod absit scandalum, quod tamen raro solet abesse) si ex subita ira orian-

oriantur solum ad incutiendum terrorem filiis aut domesticis. Dixi, *singulis actibus*: quia sub gravi obligatione tenentur ejusmodi imprecantes & maledicentes consuetudinem deponere tum propter scandalum, tum propter vitium ex genere suo mortale. Ita *Gonm.* ideoque consuetudinarii facile non debent absolvi, si plane nullam se emendandi diligentiam videantur impendere; tenenda hic est regula *S. Thomæ* 2. 2. q. 76. a. 3. *Contingit tamen, verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur: vel etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.*

713. Porro *Adverte* 1. Creaturis irrationabilibus, v. g. ligno, lapidi, cani, bovi pluviæ &c. imprecari, regulariter quidem est tantum veniale, si affectus pravus præcise tendat in tales res secundum se spectatas; quia sic nec sunt objectum charitatis, ergo nec odii. Si vero affectus potius tendat in personam, ad quam illæ res pertinent, peccatum grave vel leve erit pro qualitate mali, quod non tam rei, quam personæ optatur. *Stoz* L. 1. p. 3. n. 227. cum *Bonac.* Si vero indignatio tendat in ipsum Deum, v. g. dum quis maledicit vento, pluviæ, locustis hoc anno ubique irruentibus &c. tanquam Deus iis ceu injustis mediis ad nos puniendos utatur, tunc ad blasphemiam spectat.

2. *Secluso scandalo* non peccat graviter, qui in æstu iræ dicit: *Boz Donner, Bagel, Zeufel, schmere Roth ec.*; quia hæc mala tantum pronunciando, ea nemini imprecatur: secus, si illa intenderet imprecari.

714. *Q.* II. Unde possit quis colligere, quod animo non serio fuerit imprecatus? R. Si statim imprecatus horreat, & pœnitudine tangatur. Juxta alios: si quis interrogatus, an gratum eis fuisset, si malum re ipsa eveniisset? respondere cum veritate possit, gratum sibi non fuisse. Raro tamen a peccato excusari potest, qui solet vel se, vel alium dæmoni devovere, quamvis non ex animo, ut eveniat, ob fœditatem & perversitatem hujus imprecationis.

715. *Q.* III. An Crispinus graviter peccaverit, imprecando parentibus mortem, & gaudendo de morte proximi? R. *Affirm.* Et quidem *quoad primum* peccato specialiter exprimendo in confessione, quia contra pietatem, ut dictum in præcep. 4. Vide propos. 13. 15. ab *Innoc.* XI. damn. Pariter *quoad secundum* peccavit graviter. Vid. propos. 13. ab Eod. damn. *Ratio* est; quia ordo charitatis postulat, ut vita proximi præferatur emolumento temporali proprio: ergo ordo charitatis maxime pervertitur, si quis mortem proximi appetat, aut de ea gaudeat

deat propter emolumentum temporale proprium. *Confirm.* Præcepto charitatis tenemur proximum, vel maxime parentes, ſicut nos ipſos diligere; atqui nemo abſque mortali vellet ſibi eripi vitam ob emolumentum temporale: ergo nec poteſt quis velle proximo mortem, aut de ea gaudere ob bonum temporale. *S. Th.* 2. 2. q. 76. a. 1. dicens: *Si quis optet malum alterius ſub ratione boni, ſic eſt licitum*, tantum videtur concedere, quod licite poſſit deſiderari inefficaciter mors alterius ob magnum bonum ſpirituale illius, vel alterius, vel propter ingens bonum communitatis, aut Eccleſiæ. Vide *P. Card.* in dictas propoſitiones. Itaque gaudium de malo proximi grave vel leve peccatum cenſetur, prout malum, ſive objectum gaudii grave, vel leve eſt.

716. *Q.* IV. Quid judicandum ſit de odio Criſpini erga Novercam? R. Si fuerit grave in perſonam, peccavit graviter contra charitatem: ſi cum deſiderio nocendi, ſimul contra juſtitiam: ſecus ſi fuerit tantum levis averſio animi. Odium enim, cum ſit actus voluntatis, quo alteri volumus malum ſub ratione mali, vel triſtamur de bono alterius, quia bonum illius eſt, debemus metiri ex gravitate vel levitate mali, itaque dum pœnitens ſe accuſat de odio proximi, inquirendum, an malum voluerit proximo?... Si reſpondeat, quod non cogitarit de malo: ſignum eſt, quod fuerit potius averſio animi, unde tamen facile oritur inimicitia, ſcandalum &c.

717. *Q.* V. Quomodo Criſpinus peccaverit ſuſurrando? Ante R. notandum, quod *ſuſurratio ſit manifeſtatio defectus alieni, nata ad diſſolvendam amicitiam, & ſeminandam diſcordiam* h. e. averſionem animorum, & diſplicentiam inter amicos: differt a detractione, & contumelia; illa enim lædit famam, hæc honorem; ſuſurratio vero tendit ad diſſolvendam amicitiam; ſæpe occurrunt in eodem actu, ideoque attendendum eſt ad diverſas ſpecies tum concurrentes. *Suſurratio ex genere ſuo eſt peccatum mortale.* Hinc R. Criſpinus per ſe loquendo ſuſurrando peccavit graviter; venialiter vero, quando levia tantum protulit, nec de ſe ſufficientia ad amicitiam diſſolvendam; item ſi non ſerio ſed per modum joci, quem alii potuerunt ex circumſtantiis colligere, vel ex defectu advertentiæ. *Reginald.* L. 24. n. 121. Suſurratio tunc vacat omni culpa, ſi quis manifeſtat verum defectum ad diſſolvendam pernicioſam amicitiam, v. g. ſi quis concubinario dicat, concubinam ſuam eſſe publicam meretricem, deformem vetulam &c. modo non intercedat mendacium aut revelatio peccati occulti. *Stoz* l. c. n. 137.

718. *Q.* VI. Quomodo Criſpinus peccaverit rixando cum proximo? *Prænotandum*, quod rixa frequenter in confeſſione confundi ſoleat cum contentione; hæc enim in verbis conſiſtit, illa

illa in factis proximum lædentibus, ideoque definitur *altercatio factis exercita, quibus unus alterum lædit* v. g. cædendo pugnis, prosternendo in terram &c. unde etiam dicitur quoddam bellum propria authoritate susceptum. *Ex genere suo est peccatum grave* saltem ex parte invadentis; ex parte vero invasi vel nullum est peccatum, si fit ad justam sui defensionem, nec excedat modum, inculpatæ tutelæ, secus, si excedat notabiliter. Ex his patet resolutio ad casum: si Crispinus alterum invaserit, & factis graviter læserit, peccavit graviter, secus si ex motu non satis deliberato unum alterumve colaphum inflixerit, quæ læsio inter plebejos non censetur esse gravis; eo gravior vero reputatur, quo honoratior est persona, quæ læditur. *Filliuc.* t. 28. c. 9. n. 201. *Conick* & alii. Unde gravius peccatur, si talis percussio fiat inter honoratiores personas.

Casus II.

Cum Burgensis quidam odium in aliquos usque ad mortem voviſſet; post obitum ipsius, dum in templo preces pro eo persolvebantur, Christi crucifixi effigies manus suas retrahens, auribusque inferens diserte dixit: Non pepercit: nec parcam. Ita Spec. Exempl. V. dimittere. Exempl. 4.

719. *Q.* I. Quænam potissimum observanda sint a Confessario circa dilectionem inimicorum? *R.* 1. Pœnitens, qui constans & grave odium habet contra inimicum, non potest absolvi, præsertim si illud signis externis sæpe manifestetur; quia constanter manet in statu gravis peccati, quamdiu odium suum non conatur deponere: ita *Comm.* Quando pœnitens monitus, ut ignoscat inimico, respondet: se quidem velle, at non posse obliviſci injuriæ, plerumque vult significare, illatam sibi injuriam nimis tenaciter inhærere memoriæ, atque ad vindictam vehementer sollicitare, quamvis studeat iram & cupiditatem vindictæ reprimere; talis potest absolvi, quia tum non adest malitia voluntatis, sed vehementia naturæ. Si vero intelligat, uti non raro fit, se nunc quidem ignoscere, sed suo tempore injuriam adhuc vindicaturum, non potest absolvi; quia sic vere non ignoscit. 3. Si demum pœnitens dicat, quod juridice reparationem injuriæ petere cogitet, id quidem concedi potest, ac moneri debet, in ejusmodi lite deponendum esse odium & vindictæ cupiditatem, & nihil quærendum, nisi quod justum est.

720. *Q.* II. Quid notandum circa offendentem, & offensum? *R.* 1. Quando duo se mutuo offenderunt, & offensæ sunt æquales, ille debet prius veniam petere, qui prior offendit; si vel offensæ vel offendentes sint inæquales, tenetur ille, qui offendit gravius, aut qui inferior est altero. 2. Non peccat offensus

sensus per hoc graviter, quod non statim ignoscat, quia hæc subinde nimis violentum, & supra humanam fragilitatem est; longa tamen mora trahenda non est, ut monet Apost. *ad Ephes.* 4 *v.* 26. *Sol non occidet super iracundiam vestram*. 3. Qui offendit alium, a quo vicissim non fuit offensus, tenetur ab eo veniam petere, si offensa sit gravis, nec aliud suppetat reconciliationis remedium; item si Judex id injungat, & præsertim, si offensus respectu offendentis sit superior. 4. Qui veniam petenti non vult ignoscere, peccat graviter tum contra Præceptum divinum *Matth.* 18. *v.* 35. tum quia alterum graviter scandalizat, præbendo ei ansam perseverandi in odio, & simul vehementer eum contristat. 5. Signa specialia amicitiæ sunt, ultro aliquem alloqui, salutare, amice conversari, ægrotum invisere, mœstum solari, hospitio excipere &c. Hæc communiter non tenemur omnibus exhibere: ergo nec proximo, a quo sumus offensi. Si quis tamen inimicum antea semper salutare solitus sit, & jam non salutet, aliis id advertentibus, si salutet alios cum ipso obvios, & ipsum non salutet; si torvis eum oculis aspiciat: si verbis asperis alloquatur: si in ipsius contemptum, dum forte obviam venit, pileum fastuose capiti imprimit, manifesta dat signa odii, imo si inde inimicus graviter exacerbandus prævideatur, peccatur graviter. De resalutatione supra in princ. 2. locuti sumus. *Stoz* l. c. n. 479. cum *Suar. Laym.* & aliis.

271. *Q.* III. Quæ media quis debeat adhibere ad extinguendum odium proximi? R. 1. Efficacissimum est *Exemplum Christi*. *Pater dimitte illis Luc.* 23. *v.* 24. 2. Consideret vindictam spirans, quod nullum opus, nulla oratio durante odio Deo grata & meritoria sit: *Si ergo offers munus tuum ad altare .... vade prius reconciliari Fratri tuo*. *Matth.* 5. *v.* 24. 3. Sicut tu cum proximo, ita tecum Deus justissimus judex aget in judicio; nam *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. *Matth.* 7. *v.* 2. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos ... Matth.* 6. vide remedia contra iram n. 339. & sæpius memento dicti S. Basilii: *Sicut is, qui Charitatem habet, Deum habet: sic qui odium habet, diabolum nutrit*.

272. *Q.* IV. Quis ordo sit servandus in Charitate proximi? R. 1. Secundum ordinatam charitatem quilibet post Deum (qui primo omnium & super omnia debet diligi) tenetur diligere 1. Se ipsum secundum bona spiritualia. 2. Proximum secundum eadem bona spiritualia. 3. Seipsum quoad bona corporalia. 4. Proximum quoad eadem. 5. Denique seipsum, & deinde proximum quoad bona externa. Hinc nullius boni consequendi gratia licet peccare etiam venialiter, quia talis vellet sibi malum animæ. Item tenetur quilibet proximo in *extrema necessitate spirituali* constituto succurrere etiam cum certo peri-

culo propriæ vitæ corporalis, dummodo adsit æque certa spes illum juvandi, neque gravius inde malum immineat. Sic tenetur sacerdos cum vitæ periculo absolvere morituram, si alius non adsit, qui id faciat. Dixi in *extrema necessitate*, v. g. qua certo credatur moriturus in peccato mortali. In *gravi necessitate* obligatur ille, qui in officio proximi salutem curat, ut Parochus. *Confirm.* ex S. Th. 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. ubi ita resolvit: *& ideo non est de necessitate charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere, sed quod aliquis sponte se ad hoc offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.* Vide *Reginald.* L. 4. c. 25. Sect. 7.

De ordine quoad proximos inter se ait S. *Th.* l. c. a. 6. ad 1. *ex parte ejus boni, quod amico optamus, & quantum ad hoc, omnes homines æque diligimus ex charitate; quia omnibus optamus bonum idem in genere, scilicet beatitudinem æternam.* Ibid. in Θ ait, quod non tantum secundum effectum exteriorem, sed etiam secundum effectum debeamus magis diligere unum proximorum, quam alium, secundum quod contingit, unum nobis, vel Deo esse propinquiorem. Ideo 1. magis diligendus, qui melior est, scil. ea charitate, quam comitatur gaudium circa bona possessa: sic plus diligendus est vir sanctus, quam parens improbus, quia ille magis conjunctus est cum præcipuo objecto charitatis, quod est Deus; Item illa charitate, quæ conjuncta est cum exhibendo honore, cultu & reverentia magis diligendi sunt parentes, quam filii, vel uxor, magis benefactores, quam illi, quibus benefecimus. Illa autem charitate, qua alteri optamus bona nondum possessa cum beneficentia, magis diligendi sunt, qui nobis sunt propinquiores.

Hinc in bonis pertinentibus ad vitam corporalem conservandam succurendum est, *extra necessitatem extremam*, 1. uxori, quia est una caro cum viro. 2. filiis. 3. parentibus, & quidem Patri præ Matre, 4. fratribus, sororibus, 5. Propinquis domesticis, & familiaribus; *in necessitate autem extrema* omnibus præferendi sunt parentes.

In rebus pertinentibus ad civilem communicationem, præferendi sunt concives, in bellicis commilitones; in spiritualibus spirituales filii, Patres, fratres: *Bannes* etiam in hoc genere parentes omnibus præfert. *Laym.* l. 2. t. 3. c. 3.

CAPUT VI.

De Sexto & Nono Præcepto Decalogi.

§. I.

Prænotanda.

I. SExtum præceptum: *Non Mœchaberis Exodi* 20. & *Matth.* 5. & Nonum: *Non concupisces uxorem proximi tui. Deut.*

Deut. 5. v. 21. Differunt inter se, quod sextum actus externos, nonum vero internos castitati repugnantes prohibeat. De internis Christus Matth. 5. v. 29. expresse ait: *Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: jam mœchatus est eam in corde suo.*

723. II. Luxuria est *inordinatus amor concupiscentiæ circa voluptates venereas.* Actus sive species luxuriæ consummatæ aliæ sunt *naturales*, in quibus servantur conditiones a natura institutæ h. e. diversitas sexus, vas debitum, & identitas speciei, quales sunt *fornicatio*, *adulterium*, *incestus*, *stuprum*, *raptus*, *sacrilegium*. Aliæ contra *naturam* (quatenus conditiones recensitæ non servantur? ut *pollutio*, *sodomia*, *bestialitas*. Actus luxuriæ non consummatæ, & imperfecti sunt oscula, amplexus, aspectus, turpiloquia, desideria mala, delectationes morosæ; dicuntur *actus imperfecti*: non quod in iis voluntarie habitis malitia mortifera esse nequeat, sed quod per se tendant, & disponant ad actus luxuriæ graviores, & consummatos.

724. III. Duplex in actibus imperfectis v. g. osculo distinguenda est delectatio, nempe venerea, sive carnalis, aut sensualis, & mere sensibilis: *Venerea* est, juxta *Galenum* L. 14. de usu partium c. 9. quæ oritur, & sentitur ex motu substantiæ seminis descendentis ad partes obscœnas ex commotione spirituum vitalium generationi deservientium. *Sensibilis* vero, quam etiam naturalem appellant, est illa, quæ percipitur ex tactu, vel aspectu proprii, vel alieni corporis absque ulla libidine, seu commotione memoratorum humorum, ex sola proportione, seu connaturalitate cum organo tactus, vel visus, v. g. si tangatur res mollis, felis, holosericum &c. Vel quando videtur res pulchra v. g. hortus, imago &c. quæ naturaliter delectant organa illorum sensuum. His prænotatis de singulis breviter agemus. *Castis omnia casta.*

§. II.

Principia Generalia de actibus imperfectis luxuriæ.

725. *Principium I. Oscula, tactus, & amplexus exerciti inter solutos propter delectationem carnalem, quæ ex iis oritur, semper sunt peccata mortalia, item si objectum horum actuum sit valde turpe, quale sunt verenda.* Ad rite intelligendum hoc principium notandum, quod ex tactibus, tum proprii, tum alieni corporis, osculis, & amplexibus duplex soleat oriri delectatio venerea, una non sistit in se ipsa, sed tendit ulterius in copulam, aut pollutionem; altera ita surgit ex dictis actibus, ut in se sistat sine tendentia in copulam, vel pollutionem; de prima omnino certum est, etiam juxta adversarios, quod sit peccatum mortale, dum est circa copulam intentam a solutis, imo

quod sit peccatum grave tam in solutis, quam conjugatis, quando est de pollutione. Ex altera vero delectatione (quæ sistit in sola commotione humorum generationi servientium, eaque sæpe modica tantum distilatione, absque pollutione) affirmarunt aliqui, oscula, & tactus tanquam actus de se indifferentes evadere tantum peccata venialia ob parvitatem materiæ. Contra hos pugnat Principium nostrum tanquam communis, & certa sententia, quam egregie præter innumeros AA. defendit *Sanch.* L. 5. in Decal. c. 6. n. 12. ubi refert, quod jussu *Clementis* VIII. & *Pauli* V. Inquisitoribus fidei denuntiandi sint ii, qui defenderint contrarium. *Ratio* est primo: *Ephes.* 5. *Fornicator, aut immundus; aut avarus non habent hæreditatem in regno Christi & Dei.* Atqui nomine *immunditiæ* juxta *Lyranum* & alios intelliguntur oscula, tactus &c. quæ pertinent ad luxuriam: ergo. *Ratio secunda.* Deliberata complacentia de objecto mortaliter malo est mortaliter mala, ut patet in complacentia de homicidio, furto &c. atqui complacentia sive delectatio in osculis, tactibus &c. de quibus loquimur, est de objecto mortaliter malo; ergo. *Prob. minor.* Complacentia per oscula, & tactus quæsita consistit in delectatione venerea, sive commotione humorum generationi servientium: atqui hoc est objectum graviter malum; quia talis commotio ex natura sua ordinatur ad pollutionem, vel fornicationem, imo jam est inchoata pollutio: Ergo. Ultima prob. *Confirm.* ex eo, quod ejusmodi actus exerceantur a quibusdam brutis, quando ad coitum se præparant; tum quod multo vicinius se habeant ad copulam, quam morosa delectatio de fornicatione cogitata; ergo si hæc referatur ex natura sua ad copulam, multo magis oscula, tactus &c. Ideo recte damnata est ab *Alex.* VII. propositio 40. quod sit probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis: ubi per *Tò carnalem & sensualem* intelligitur venerea delectatio & distincta a pure naturaliter sensibili (de qua n. 724. dixi) ergo sola delectatio venerea deliberate per osculum quæsita, vel libere admissa sine ulteriore consensus periculo jam graviter est peccaminosa. *Viva* in cit. propos. n. III. & IV. *Pichler* in L. 5. decret. tit. 16. n. 42. *Duarte* V. osculum n. 489.

726. *Principium* II. *Turpia loqui, canere, scribere, legere, audire venereæ delectationis causa vel cum probabili periculo consensus in illam sunt mortalia peccata*; quia licet prædicti actus ex se sint indifferentes, graviter tamen mali evadunt ex fine luxuriæ graviter malæ, ut diximus de osculis &c. ideoque si absit prava intentio & periculum libidinosi consensus, abest peccatum, ut patet in iis, qui ex bono fine legunt vel audiunt turpissimos casus &c. si vero quis unum alterumve ejusmodi verbum turpe proferret, audiret, vel caneret ex sola levitate, per

se

se loquendo tantum venialiter peccaret. Dixi, *per se*: quia raro abest scandalum grave. *Laym.* L. 3. Sect. 4. n. 13.

727. *Principium* III. Pro regula communi statuimus, quod omne peccatum luxuriæ etiam sola cogitatione, morosa delectatione, desiderio cum plena advertentia & voluntarie admissum sit mortale peccatum, ita ut hic non admittenda sit parvitas materiæ. Vide dicta de peccatis in genere n. 293. 294. usque ad 310. De parvitate vide n. 305. Adde, quod omnis etiam minima delectatio circa materiam luxuriæ juncta sit periculo majoris; neque ob vehementem naturæ in hoc vitium inclinationem sine manifeste majori periculo tali delectationi voluntariæ statui potest terminus: sicut injiciens scintillam in acervum pulveris pyrii prudenter non potest dicere: hucusque pulverem solum accendam. Porro admissa hic parvitate materiæ evidenti periculo grandis corruptionis exponeretur genus humanum; cum enim peccata venialia passim exigue curentur; passim quoque huic vitio, & liberius, quam reliquis omnibus indulgeretur sub prætextu, quod veniale non excedat; sic actibus frequentatis ignis luxuriæ semper creseeret, & passim integras communitates consumeret. *Herzig* n. 331.

728. *Ex* 1. *Principio* resolvuntur sequentes casus: I. Oscula, & amplexus, si non fiant causa delectationis venereæ, sed ut signa amicitiæ, benevolentiæ v. g. secundum patriæ consuetudinem, non sunt peccata; de his loquitur Apost. ad *Thessal.* 5. 26. *Salutate fratres omnes in osculo sancto.*

729. II. Delectatio tantum sensibilis n. 724. ex tactu vel visu naturaliter orta per se loquendo, culpa quidem vacat; raro tamen deest omne peccatum, quia moraliter impossibile est, per actiones memoratas *studio* quæsitas non conjungi delectationem carnalem, aut saltem proximum illius periculum; hinc practice non est probabile, tactus, amplexus &c. inter solutos solius delectationis carnalis, & sensibilis causa *studio* attentatos carere culpa mortali, ut dixi n. 725. secus si profiscisantur tantum ex joco, aut animi levitate, non attendendo ad delectationem nec sensibilem, nec veneream. *Babenst.* T. 5. d. 5. n. 99. cum *Illsung*, *Viva* & aliis. Sic apud *Laym.* L. 3. sect. 4. n. 10. καὶ *per se* videtur intelligendum. Ibid. cum *Sanch.* recte excipit: *nisi tactus vel aspectus valde impudicus sit*, videl. partium verendarum inter personas diversi sexus quamvis ex sola curiositate fiant, hi a peccato gravi non possunt excusari; quia & per se scil. ex objecto magnam deformitatem habent, & gravi periculo hominem exponunt; suapte enim natura delectationem veneream valde excitant: hinc etiam protoparentes nostri post lapsum *cum cognovissent*, *se esse nudos*, erubuerunt, *& consuerunt folia ficus*, *& fecerunt perizomata* Genes. 3. 7. Mitius quidem loquitur *Laym.* l. c. de aspectu turpi inter per-

sonas ejusdem sexus, & proprii corporis; si tamen fiat sine justa causa, & advertatur periculum delectationis venereæ, æque parum excusari potest a gravi peccato. Denique aspectus ejusmodi, si fiant a Chirurgo vel Medico ex causa medendi, dum abest periculum consensus, liciti sunt. Item si ancillæ vestiendo tangunt impudice pusiones, secluso tamen affectu venereo.

III. Qui partes turpes brutorum animantium ex curiositate contrectant, & fricant, etiam usque ad pollutionem ipsorum, probabilius non excusantur a mortali; quia talia non tantum sunt valde obscœna, & recte rationi repugnantia, sed etiam valde exitant libidinem. *Babenst.* l. c. n. 108. cum *Bonac.*

730. IV. Oscula, amplexus, & tactus inter sponsos de futuro videntur excusari a culpa mortali, dummodo absit periculum delectationis venereæ, pollutionis, aut consensus in copulam, & non sint impudici ex se, atque turpes ex objecto suo, ut ait *Laym.* l. c. n. 11. cum gravibus AA., ubi tamen addit, quod venialis culpa sit, si fiant ob delectationem, & sæpissime mortalis propter periculum pollutionis prævisum. Hinc clarius asserit *Babenst.* l. c. n. 121. cum *Lessio*, *Bonac.* & *Viva* contra *Sanch.* & *Filiuc.* oscula, tactus, amplexus, aspectus, & verba turpia *ob delectationem venereum ex iis habitam* inter sponsos esse peccata mortalia. Ideo enim omnino solutis sunt ista prohibita graviter, si ad carnalem delectationem captandam ab iisdem ordinentur, quia ipsis prohibita est copula carnalis, ad quam illa delectatio ex natura sua tendit: atqui etiam sponsis de futuro prohibita est copula sub mortali: ergo. Hinc eatenus videtur mens *Laymanni* vera esse, quatenus abest ab ejusmodi actibus animus delectationis venereæ.

731. V. Tactus turpes inter conjuges si fiant ut incitamenta ad copulam conjugalem, vacant culpa, quia, cui concessus est finis, concessa etiam sunt media ad finem ordinata. Si vero fiant solius voluptatis gratia, culpabiles sunt, sed non mortaliter, quia istorum actuum in matrimonio non prohibitorum inordinatus usus ob solam voluptatem non excedit culpam venialem. *Laym.* l. c. n. 12. ubi addit, quod uxor ob solam voluptatem, & non copulæ causa se se ipsam tangens, etiam cessante pollutionis periculo, peccet mortaliter, quia conjux non habet jus in proprium corpus ad usum venereum.

732. VI. Impudici tactus, oscula &c. inter personas ejusdem sexus graviora peccata mortalia sunt, quam inter personas solutas diversi sexus: quia illa ex sua natura tendunt ad peccatum molitiei, quod gravius est fornicatione simplici: item si tales actus impudici exerceantur a persona conjugata, vel cum conjugata, pertinent ad speciem adulterii; hinc tales circumstantiæ exprimendæ sunt in confessione. *Laym.* l. c. n. 13. Denique pro compendio serviat Confessario sequens casus.

Cyrus

Cyrus se accusat 1. *Impuras habui cogitationes*. 2. *Turpia locutus sum*. 3. *Tactus habui impudicos*. 4 *Motus habui impudicos*: *& præterea nihil*.

733. *Quæres* I. Quid Confessarius ad primum? R. Quærat *primo*: an voluntarie, & quoties inhæserit; si ita: Cyrus peccavit graviter. *Secundo*: an cum desiderio peccandi carnaliter? sic gravius peccavit, & est explicanda circumstantia personæ, ad quam desiderium tendebat. Si sine desiderio: an saltem cum delectatione carnali? & sic peccavit graviter: tutius est exprimere personam, de qua fuit delectatio. Certo explicanda est conditio delectantis, an ligatus voto &c.

734. *Quæres* II. Quid Confessarius ad secundum? R. Cum sæpius rudiores, & parvuli confundant turpia, & inhonesta verba, quærat, an contra castitatem fuerit locutus, an tantum contra bonos mores, verbis germanicis: *ob es grobe, oder ob es unteuſche Reden gemeſen*? Si inurbana tantum, & inhonesta, plerumque tantum sunt venialia; si vero turpia, quærat, an fuerit unum alterumve tantum verbum venereum ex mero joco, & absque scandalo prolatum? sic Cyrus peccasset leviter: secus, si totum & longius colloquium miscuisset. Si non ex joco, & animo libidinoso, peccavit graviter. Si in præsentia juniorum, qui prudenter timentur scandalum esse passi, exprimendum, quot personis scandalum fuerit datum. Vide dicta de scandalo.

735. *Quæres* III. Quid de tactibus? R. An in partibus verendis? an cum animo venereo? an cum desiderio carnali, & circa quam personam? an in alieno corpore ejusdem vel diversi sexus? sic in singulis graviter peccasset; moneat, fugiendum esse hoc consortium.

736. *Qu.* IV. Quid de motibus? R. Quærat Confessarius, an fuerint voluntarie procurati? si non: an cum consensu & complacentia: utrumque per se est mortale: sæpe vel ex malitia, vel verecundia, vel ignorantia sub nomine motuum graviora peccata supprimuntur, quem errorem singulari prudentia cognoscere studebit, ne forte, turpioribus quæstionibus utendo majorem malitiam pœnitentes doceat.

§. III.

Principia generalia de actibus naturalibus Luxuriæ consummatæ.

737. Principium I. *Fornicatio* simplex (quæ est concubitus soluti cum soluta, hoc est, quando uterque fornicans nec matrimonio, nec voto continentiæ est adstrictus) *est intrinsece mala, & peccatum mortale*. Quod sit grave peccatum, docent omnes PP. & TT. Catholici, cum *D. Th.* 2. 2. q. 154. a. 2. in ☉. Patet ex Script. ad Ephes. 5. v. 5. *Omnis fornicator aut im-*

mundus .... non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Item 1. Cor. 6. v. 9.: *Neque fornicarii ... regnum Dei possidebunt.* Item ad Gal. 3. a v. 19. Quod sit *intrinsece mala*, patet ex propos. 48. ab *Innoc. XI.* dam. *Ratio* est: 1. quia juxta S. Paulum 1. Cor. 6. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*: hoc est, mala est, etsi prohibita non esset. Ita *P. Cardenas* dissert. in dict. propos. ex PP. & Interpretibus textum Paulinum explicat. 2. Fornicatio nocet vitæ nascituræ prolis, quia de tali parentes sunt parum solliciti: nocet ejusdem educationi; cum parentes esset incerti, si vagus concubitus liceret; atqui ista repugnant juri naturæ: ergo. Vide *S. Th.* l. c. *Carden. Viva*, & P. *Kugler* in Compendio P. *Carden.*

Casus de Fornicatione.

Calepodius se accusat: ter peccavi contra castitatem cum solutis (peccaverat autem semel cum infideli, semel cum vidua, & semel cum sponsa alterius) præterea solet mihi aliqua constanter servire; aliquoties fornicando impedivi generationem prolis.

738. *Quæres* I. An Calepodius sufficienter se accusaverit, dicendo: peccavi contra castitatem, ex supposito, quod fornicationem commiserit? R. Per se loquendo, non satisfecit: quia, omissa mentione copulæ, non explicatur malitia fornicationis specifice diversa ab aliis peccatis contra castitatem, germanice tamen illa verba plerumque intelliguntur de copula. Hinc ubi talia verba talem sensum non exprimunt, Confessarius tenetur quærendo elicere explicationem malitiæ specificæ. Ita *De Lugo* D. 16. de Pœnit. Sect. 5. n. 238. *Tamb.* & alii. Vide propos. 25. ab *Alex. VII.* damn.

739. *Quæres* II. An fornicatio cum infideli, vidua, & sponsa alterius de futuro specie differant? R. 1. Probabilius fornicatio cum infideli non includit novam speciem; quia, *secluso scandalo, periculo subversionis, & contemptu Religionis Catholicæ* non probatur, unde oriatur nova malitia. *Filliuc.* t. 30. c. 2. n. 52. *Tambur. Lugo, Babenst.* t. 5. disp. 7. a. 2. n. 7. Dixi: *secluso scandalo* &c.: illa enim si essent conjuncta, specialiter deberent aliunde exprimi. R. 2. Nec fornicatio cum vidua specie distinguitur a simplici fornicatione, quia est tantum concubitus soluti cum soluta: *Mulier* enim, *si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri.* 1. Cor. 7. Ita *Sayr.* in clav. reg. l. 8. c. 2. n. 8. *Tambur.* & alii. R. 3. Etsi concubitus cum sponsa alterius non sit adulterium, sed simplex fornicatio; quia sponso per sola sponsalia nondum competit jus in corpus sponsæ, sed per matrimonium ratum. Juxta *Sanchez* tamen L. 1. de Matrim. D. 2. n. 7. debet hæc circumstantia explicari in confessione, tanquam mutans speciem, cum præter fornicationem committatur injustitia contra fidem sponsalium, quæ reducitur saltem ad speciem

cíem adulterii, ut ait *Ledesma* q. 43. de Matrim. a. 1. dub. ult. cum hoc discrimine, quod in adulterio sit injustitia contra jus perfectum, & in re; in fornicatione autem cum sponsa contra jus imperfectum, & ad rem. *Sanch.* ibid. n. 6. ait, talem injustitiam specie distintam non committi a sponso fornicante; sed ex paritate rationis cum *Ledesma* videtur de sponso & sponsa; idem dicendum contra *Covarr.*, *Babenst.* & alios.

740. *Quæres* III. An satis sit dicere: Ter fornicatus sum, si quis cum distinctis personis solutis peccaverit? Respondet *Tambur.* in Methodo expedita L. 2. c. 2. n. 18. *affirmative*; quia est eadem specie malitia, sive cum tribus, sive ter cum eadem: semper enim manet concubitus soluti cum soluta. Addit ibid. quod tum teneatur explicare pœnitens, si quærat Confessarius, ut occasio proxima tollatur, quæ ex frequenti lapsu cum eadem timeri potest.

741. *Quæres* IV. Quid Confessarius ad illa verba: *solet mihi aliqua constanter servire?* R. Si non intelligat, urgeat, ut clarius exponatur peccatum; id quod semper observandum ad detegendas fallacias spurcissimorum istiusmodi hominum. Ordinarie autem hæc verba significant *concubinatum*, qui definitur *fornicatio frequens & continuata cum eadem fœmina soluta*, sive fornicarius eam ut uxorem domi retineat, sive aliam habeat paratam ad concubitum, quoties ipsi libuerit. Concubinatus utroque modo est grave & periculosissimum peccatum; quia concubinarius non tantum peccat, sed etiam perseverat in statu peccati mortalis. De hoc plura in P. II. ubi de Pœnitentia agemus.

742. *Quæres* V. Quid ad illud, quod Calepodius impediverit generationem prolis? R. Si, cœpta copula, se extraxerit, tripliciter peccavit, scilicet per fornicationem inchoatam, per mollitiem consummatam, & positivam intentionem impediendi prolem, quod est contra naturam.

743. His resolutionibus adde: Eunuchus, vel frigidus habens copulam, tenetur suum statum Confessario aperire; quia inutiliter provocat semen fœminæ, cum ipse verum non habeat semen, adeoque duplex adest malitia, scilicet fornicationis, & contra naturam, hoc ipso quod adsit frustratio finis naturalis. *Tambur.* l. c. n. 24. juxta eundem n. 26. cum *Sanch.*, quando quis in copula non servat debitum modum, sed vel præpostere, vel sedendo &c. vel viro succumbente, non committit fornicationem specie diversam, modo servetur vas naturale, nec sit periculum effudendi seminis extra illud; quia respectu copulæ id est accidentale: hinc etiam in conjugatis est tantum veniale, si ob solam voluptatem; si vero ob necessitatem, nullum est peccatum. Contrarii sunt non pauci, eo quod sit contra modum a natura præscriptum, & sapiat nimiam propensionem in lasciviam.

744.

744. Principium II. *Stuprum eſt defloratio virginis, ipſa invita*. Ita *Buſemb.* Per hoc peccatum malitiæ fornicationis ſuperadditur graviſſima injuſtitia, & injuria perſonæ oppreſſæ illata; hanc etiam committit, qui perſonam fatuam, ebriam, aut dormientem ſine prævio ejus conſenſu opprimit. Imo adhuc eſt ſtuprum in confeſſione ſpecialiter explicandum, ſi virgo fraude, v. g. per falſam magnæ dotis aut matrimonii promiſſionem, aut gravi metu etiam reverentiali fuit inducta; quia, licet ipſa peccet conſentiendo, ille tamen conſenſus extortus fuit per gravem injuriam, hoc eſt, per injuſtum metum vel fraudem. Idem dic de adoleſcente pari modo injuſto ad concubitum inducto. *Janſen.* caſ. 11. n. 5.

745. Principium *III. Raptus eſt peccatum luxuriæ, quo perſona cum violentia abducitur ad turpem actum cum ea exercendum*. Differet a ſtupro, quod ſemper eſt cum virgine, raptus vero de quacunque perſona ſive nupta, ſive innupta, maſculo ſive fœmina: deinde ſtuprum dicit ſolum violentiam, at raptus præter hanc etiam addit abductionem. Eſt peccatum mortale non tantum luxuriæ ratione libidinoſæ intentionis, ſed inſuper continet malitiam injuſtitiæ ſive contra perſonam ipſam, quæ violente abducitur, ſive contra parentes, aut alios quoſcunque, in quorum poteſtate illa eſt conſtituta. *Filliuc.* t. 30. c. 6. n. 108. *Tambur.* & *Comm.* Addit *Buſemb.* ſi quæ tamen ſponte diſcedat cum Amaſio, inſciis parentibus, proprie non erit raptus, ſed fuga. Plura in P. II.

746. Principium *IV. Adulterium* communiter dicitur *violatio alieni tori*: committitur tribus modis: 1. Dum ſolutus accedit ad conjugatam. 2. Dum conjugatus ad ſolutam. 3. Dum conjugatus ad conjugatam, quod poſtremum dicitur duplex adulterium. Quodlibet ex his tribus ſpecialiter debet exprimi in confeſſione, præſertim adulterium tertio modo, quod duplicem injuſtitiam includit, eſtque unum ex peccatis graviſſimis, ut patet ex Script. Deuter. 22. & 27. *Maledictus, qui dormierit cum uxore proximi ſui*. Item 1. Cor. 6. *Neque adulteri .... regnum Dei poſſidebunt*. Continet autem adulterium non tantum malitiam fornicationis, ſed etiam injuſtitiæ duplici titulo: quatenus eſt in re gravi contra jus conjugis, & propter alimentationem prolis alienæ. Quam hæc ſit injuria, manifeſte docent ſevera ſupplicia, quibus omnes gentes, quantumvis barbaræ, puniunt adulteros. Neque ceſſat ratio adulterii, quamvis maritus vel uxor conſentiat in copulam cum altero, ut patet ex propoſ. ab *Innoc.* XI. damnata. *Ratio* eſt, quia conjuges in hoc non poſſunt valide & efficaciter juri ſuo renunciare, ſicut non poſſunt renuntiare ſtatui matrimoniali. Nec obſtat illud commune: *Volenti non fit injuria*; quia tum valet tantum, quando conſenſus non eſt a lege irritatus; at-

qui

qui hic est irritatus per legem prohibentem, ne commiscean-tur conjuges extraneis, Rom. 7. ergo. Plura apud *Viva* in cit. propos. damn. Huc etiam pertinet *adulterium mentale*, quando conjux concupiscit alienum vel alienam; imo si morose delectetur de copula imaginata cum non suo; quia circumstantia personæ refundit malitiam novam in talem delectationem morosam, sicut in Sacerdote ratio sacrilegii in eam refunditur. Ita *Vasq.* contra *Hurtadam*.

747. Principium *V. Incestus* juxta *Tambur.* l. c. n. 48. *est peccatum luxuriæ commissum sive per copulam, sive per tactus, aut oscula impudica inter personas cognatione conjunctas*. Est grave peccatum specifice distinctum ab aliis peccatis luxuriæ, quæ committuntur a non conjunctis. *Prima pars* constat ex Scriptura Levit. 18. v. 6. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus*. Ibid. c. 20. v. 12. *Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur*. 1. Cor. 5. Apostolus execratur turpitudinem incestus etiam cum persona tantum affine. *Ratio* est: quia hoc peccatum graviter & specialiter repugnat reverentiæ, quam debemus cognatione nobis conjunctis. Alias rationes vide apud *S. Thom.* 2. 2. q. 154. a. 9. in ⊙. Est autem hæc conjunctio quadruplex: 1. oritur ex sanguine, & dicitur *consanguinitas*; 2. oritur ex copula carnali, & vocatur *affinitas*; 3. provenit ex adoptione perfecta, & dicitur *conjunctio legalis*; 4. oritur ex Sacramento Baptismi & Confirmationis, quæ vocatur *conjunctio spiritualis*; hæ conjunctiones superaddunt peccatis luxuriæ malitiam incestus respectu omnium personarum, inter quas vel jure naturæ, vel lege Ecclesiastica prohibetur matrimonium.

748. Quomodo vero differant incestus secundum diversos gradus conjunctionis, non conveniunt AA. *Babenst.* t. 5. d. 7. a. 2. n. 37. quatuor refert sententias: *Prima* est *Valentiæ*, quod omnes incestus inter se differant specie. 2. Est *Lessii*, quod incestus cum consanguineo specie differat ab incestu cum affine, & cognato legali aut spirituali, quamvis gradus consanguinitatis vel affinitatis non ita differant inter se. 3. Est *Cajetani* & *Bonac.* quod omnes gradus & incestus sint ejusdem speciei. 4. Est *Tamburini* l. c. n. 51. quæ a tertia in eo tantum differt, quod asserat, incestum cum cognatis conjunctione spirituali differre specie ab incestibus reliquis, eoquod incestum inter spiritualiter conjunctos specialis irreverentia Sacramenti afficiat, ratione cujus reducatur ad genus quoddam sacrilegii. Tertia quidem sententia probabilitate non caret, quam *Babenst.* l. c. n. 38. absolute admittit ideo, quia omnes incestus participant unam specie deformitatem contra pietatem ac reverentiam conjunctis debitam. Nec diversitas graduum & conjunctionum aliud importat, quam magis & minus esse conjunctum

ctum ex quo non oritur diversitas specifica. Nihilominus tenendum in praxi cum *Sporer* in Theol. Sacram. P. 4. c. 2. nu. 610. quod incestus in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ debeat explicari in confessione, eo quod incestus v. g. patris cum filia, matris cum filio ex natura sua horribilem quandam in se habeat deformitatem. Tenendum quoque, quod incestus secundum diversitatem conjunctionis debeat explicari, eoquod juxta principia de diversitate specifica peccatorum hæc diversitas videatur oriri ex diversis formaliter præceptis.

De *Sacrilegio* vide a n. 463. totum paragraphum.

§. IV.

Principia generalia de peccatis luxuriæ contra naturam.

749. Principium I. *Pollutio* sive *mollities est fluxus sive effusio seminis humani extra concubitum voluntarie procurata*. Est peccatum mortale contra naturam, adeoque nullo casu, nequidem ad servandam vitam, licitum est quærere, intendere, vel procurare pollutionem; quia habet intrinsecam repugnantiam cum natura, quæ emissionem seminis unice ordinat ad generationem prolis. Hinc merito damnata est ab *Innoc. XI.* propositio 49. *Confirm.* ex 1. Cor. 6. *Neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt*. Et ad Rom. 1. *Hi contumeliis afficiunt corpora sua in semetipsis*. Genes. 38. v. 9. & 10. Onam percussit Dominus, *eoquod rem detestabilem faceret*: semen enim fundebat in terram. Dixi: *voluntarie procurata effusio*, de involuntaria in somno vide num. 309. Adde: Pollutionem exortam in somno, vel aliter contra voluntatem non teneris cohibere, nunquam autem reprimere manibus; quia illud inutile, & sanitati summe nocivum, hoc autem periculosum est, quia facilis accederet consensus; ideoque tunc obligaris elicere internam displicentiam, & phantasiam, quantum potest fieri, avertere a turpi objecto propter periculum consensus; hic enim si, te evigilante, accedat, pollutio erit pro tunc voluntaria.

750. Circa pollutionem vel motus per accidens secutos, prævisos tamen ex aliqua actione, sed non intentos traduntur sequentes regulæ a *Laym. Sanch. Lessio*, & *Sporer* l. c. a n. 646. Prima: *Si actio, ex qua prævidetur pollutio vel motus, ex natura sua notabiliter influat in pollutionem vel motum, quales sunt omnes actus venerei mortaliter mali, turpes tactus, aspectus, oscula, delectatio morosa de concubitu, tunc etiam sequens pollutio, etsi non intenta, sed tantum prævisa est peccatum mortale*: quia lex naturalis prohibens pollutionem etiam obligat ad non ponendas causas notabiliter, & per se influentes; & qui vult talem causam, pariter censetur velle effectum connaturaliter conjunctum.

ctum. Secunda: *Si actio tantum sit venialiter mala*, v. g. *curiosus aspectus fœminæ*, *verbum turpe ex joco prolatum*, *secuta pollutio contra voluntatem erit tantum veniale peccatum*: *mortale*, *si fuerit prævisum periculum consensus*. *Ratio primi* est: quia tunc pollutio non volita in se, nec proprie volita in causa, sed prævisa tantum citra periculum consensus, ergo si actio sit tantum venialiter mala, etiam pollutio in ea prævisa erit venialis. Ita *Sporer* l. c. n. 648. citans *Sanchez*, *Suarez*, & *Henriq*. *Ratio* 2. est: quia, si quis ex jocose tantum prolato verbo turpi prævideat periculum consensus, nec tamen illud omittat, deliberate censetur amare periculum, & consequenter peribit in illo; imo qui ex frequentibus actibus scit, quod ex curioso, deliberato tamen aspectu fœminæ soleat pati pollutionem, & tamen non avertit oculos, sed liberrime circumvagatur, a gravi peccato excusari non potest, quia talis deliberate ponit actionem respectu aliorum quidem, & per se non disponentem, respectu sui tamen proxime influentem in prævisas pollutiones. *Tertiam* regulam *Sporer* l. c. n. 649. tradit ex *Sanch*. *Vasq*. *Suarez* & aliis: *Quando actio*, *ex qua prævidetur pollutio*, *sed minime intenditur*, *non est peccatum luxuriæ*, *etsi sit peccatum in alio genere*, v. g. ebrietas, vel intemperantia in cibis, tunc *pollutio secuta contra voluntatem* (*nisi simul prævisum sit periculum consensus*) *non est peccatum grave*, *sed veniale*. *Ratio* est: tum quia per se non est obligatio gravis evitandi causas plane remotas, ex quibus per accidens præter intentionem, & magis ex naturæ infirmitate, quam ex tali actione mali effectus oriuntur. 4. Regula ex eodem num. 560. est: *Quando actio de se est honesta & licita*, *& adest rationabilis causa necessitatis vel utilitatis ponendi vel continuandi actionem illam etsi timeatur pollutio*, *dummodo non intendatur*, *& absit periculum consensus in illam*, *orta pollutio non erit peccatum*; tum quia supponitur justa causa ponendi talem actionem, tum quia actio ipsa de se est licita & honesta, v. g. studio casuum vacare, confessiones excipere, equitare negotii vel recreationis causa, sumere temperate cibos, vel potus calidos &c. ex quibus plane per accidens sequitur pollutio, quæ etiam sæpe oritur ex subito timore ac terrore, ut testatur *Laym*. L. 3. Sect. 4. n. 18. addit *Jansen*. P. 2. Casu 11. n. 11. si vero alicui per experientiam notum sit, quod, non obstantibus mediis adhibitis, adhuc soleat in pollutionem inde ortam consentire, nullo casu licitum erit, præmissas actiones exercere, sed potius officio cedendum. Hoc bene notent ii, qui pluribus annis vacando luxuriæ, naturam ita corrumpunt, ut maxime proclives ad pollutiones reddantur, & nihilominus se liberrime exponunt conversationibus mulierum, excipiendis confessionibus &c.

851. *Distillatio est fluxus humoris cujusdam medii inter urinam*

& va-

& verum ſemen, habentis cum illo aliquam ſimilitudinem quoad colorem & viſcoſitatem, quamvis non ſit verum ſemen: ſi fiat hic fluxus præter intentionem ſine commotione ſpirituum, & ſenſu carnis, vel eo tantum leviſſimo, non eſt peccatum, nec plus oportet eſſe anxium de eo, quam de alio ſudore, ut ait *Laym.* l. cit. ſi vero fiat cum voluntario ſenſu carnali, & commotione ſpirituum generationi ſervientium ex turpi colloquio, aſpectu &c. tum eſt peccatum mortale.

Casus de Pollutione.

Claudianus confitetur 1. *Procuravi pollutionem*. 2. *Gaviſus ſum de involuntaria pollutione*. 3. *Fricando eam paſſus ſum*. 4. *Item in ipſo uſu copulæ maritalis id mihi contigit*.

752. *Quæres* I. Quid Confeſſarius ad primum? R. Quærat 1. Quoties procuraverit? 2. An cum imaginatione alterius perſonæ, & cujus? ſi ſolutæ; ſimul eſt fornicatio: ſi conjugatæ; adulterium. 3. An pœnitens ligatus ſit voto caſtitatis? tunc inſuper commiſit ſacrilegium.

753. *Quæres* II. Quid ad ſecundum? R. Si gaviſus ſit de pollutione ſecundum ſe, peccat graviter. Si propterea gaviſus ſit, quod per pollutionem omnino involuntariam ceſſent tentationes moleſtæ: hoc gaudium ſecundum ſe peccaminoſum non erit; præſtat tamen ſtatim plane avertere animum a turpi objecto propter periculum. Ita *Sanch. Janſen.* l. c. n. 13.

754. *Quæres* III. An fricando peccaverit Claudianus? R. Si factum fuerit ad procurandam pollutionem, peccavit graviter: ſi tantum ad depellendum moleſtum pruritum, quin ullo modo eam intenderit, item ſi ſtatim ceſſaverit, quamprimum turpem motum advertit, non peccavit; ſecus, ſi advertens motum, perrexerit fricare: quia talis actio in iis circumſtantiis directe tenderet ad pollutionem, aut ſaltem ad vehementiores motus cum cognito periculo pollutionis: ergo hoc ipſo volito in cauſa. Ita *Henno*.

755. *Quæres* IV. Quid ad quartum caſum? R. cum *Laym.* l. c. n. 19. Si in copula maritali ſeminis effuſio extra vas fiat ex propoſito, ad impediendam legitimam prolem, eſt peccatum mortale contra naturam: quia hoc adverſatur fini generationis: ſi vero id contigerit præter intentionem ex feſtinatione, aut metu, ob ſenium, aut aliam indiſpoſitionem alterius conjugis, non peccat. *Sed quid ſi ſæpius id eveniat præter intentionem ob prædictas cauſas?* R. cum Eodem: adhuc licitum eſt conjugibus conari, & tentare copulam, modo adſit probabilis ſpes feminandi debito modo intra vas.

756. Principium II. *Sodomia perfecta eſt congreſſus duorum ejuſdem ſexus*, hoc eſt, *maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina*,

na, est peccatum semper mortale. Gravissime in hoc invehitur Apostolus ad Rom. 1. v. 26. & 27. Levit. 20. v. 13. statuitur *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas: morte moriantur*. Potest etiam habere adjunctas alias malitias v. g. incestus, sacrilegii &c. juxta *Sporer* in Theol. Sacram. P. 4. c. 3. n. 626. non sufficit dicere in confessione: commisi sodomiam, sed explicare debet pœnitens, an fuerit agens vel patiens, quia agens committit pollutionem: contrarium sentit *Diana*.

757. *Sodomia imperfecta est concubitus cum debito quidem sexu, scilicet maris cum fœmina, sed extra vas naturale*. Si fiat cum conjugata, habet conjunctam malitiam adulterii; incestus vero, si cum consanguinea &c. Ita *Comm.* Dum quis ad se polluendum utitur instrumento inanimato, non quidem committit sodomiam; hæc tamen circumstantia ob singularem turpitudinem debet exprimi in confessione præter pollutionem.

758. Principium III. *Bestialitas est coitus hominis cum bestia*. Est nefandum scelus, & gravissimum inter peccata luxuriæ. Hinc Deus Levit. 20. v. 15. statuit: *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite*. In confessione necessario non debet explicari, qualis fuerit bestia, an capra, an equa &c. quia differentia in genere moris hic non intercedit, sed tantum in genere entis. *Escob. Filliuc. & Comm.* Porro mollities, sodomia, & bestialitas non sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque non sufficit, si dicat Sodomita vel Bestiarius in confessione, se procurasse pollutionem, ut patet ex propos. 24. damnata ab *Alex. VII. Ratio* est: quia delectationes, in quas tendunt hæc tria, plus specie ex objectis specie diversis, & modo tendendi inter se differunt, quam duæ fornicationes simplices.

§. V.

Remedia contra peccata Luxuriæ.

759. Remedia contra turpissimum luxuriæ vitium alia sunt positiva, alia negativa.

Positiva sunt I. *Frequens oratio* fusa ad Deum pro impetrando dono continentiæ. *Hoc enim genus* dæmoniorum *non ejicitur, nisi per orationem & jejunium* Mat. 17. v. 21. *Scivi, quia aliter non possunt esse continens, nisi Deus det*. Sap. 8. v. 21. Sic *S. Thomas Aquin.* cum procax fœmina cubiculum ejus fuisset ingressa, mox ad orationem confugit dicens: *Ne sinas, quæso, Domine Jesu; & tu sancta Virgo & mater, ut tam immani me scelere obstringam*. Mox robur cæleste obtinuit; accepto enim titione scortum fugavit, & victor cingulo circa lumbos ab Angelo constringi meruit. *Surius* in vita S. Thom.

II.

II. Ex hoc eruitur alterum præstantissimum medium una cum primo, scilicet constans cultus & invocatio B. Virginis immaculate conceptæ: hæc enim est Mater pulchræ dilectionis. III. *Frequens confessio* apud eundem Confessarium, & *frequens devota Communio*. Hic enim Panis Angelicus hominem indissolubili vinculo Deo conjungit; *Qui manducat meam carnem; & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Joan. 6. Lascivi vero ardore libidinis percutiuntur ut fœnum, & cor eorum arescit, quia obliti sunt comedere hunc panem vivum. Casti accedunt lætabundi dicentes: *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zach. 9. 17. incasti abhorrent ab hoc cibo cœlesti, quia continuo audiunt vocem Apostoli: *Non potestis Mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* IV. *Mortificatio:* teste enim *S. Ambr.* Lib. 1. de Pœn. c. 14. Libido gravis ignis est, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ; pascitur conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflamatur. *Castigo corpus meum*, ait Apost. 1. Cor. 9. V. *Memoria novissimorum*. Hoc suadet *S. Isidorus* L. 2. de Sum. Bon. C. 39. *Sicut clavus clavum repellit, ita recordatio ardoris gehennalis ardorem excludit luxuriæ.* Huc pertinet accurata custodia sensuum præsertim hoc sæculo, quo viri plane effæminati, comptuli, nitiduli incedunt, fœminæ vero &c. &c.

760. II. Media negativa sunt I. *Fuga occasionum*. Imitare Josephum Ægypti Proregem, ita suadet S. Aug. *Contra libidinis impetum apprehende fugam: si vis obtinere victoriam.* II. *Fuga otii*. Hoc suadet *Greg.* L. 6. c. 1. in L. 1. Reg. *Cum duas res simul cogitare non possumus, fit, ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda.* III. *Numquam obliviscì Dei omnia videntis, & audientis.* Hoc suadet S. Basil. discurrens de pugnis contra luxuriam, *hæc omnia ei facilia sunt, qui Deum semper præsentem aspicit.* IV. Nemo in periculis quotidianis nimium confidat suis viribus, vel virtuti; quis fortior Samsone? quis cum Deo conjunctior Davide? quis sapientior Salomone? Hos vicit libido: quidni & tu trepides inter tot pericula? V. Noli esse familiarior ulli fœminæ, etsi videatur devotissima: ita monet Ecclesiasticus C. 9. v. 2. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris.* VI. Fuga ebrietatis: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria:* ita monet Apostolus ad *Ephes.* 5. 18. Fuga denique illorum peccatorum, quæ dicuntur causæ impellentes ad luxuriam, sic apud *Ezechielem* C. 16. legimus: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant.*

C A-

CAPUT VII.

De Septimo & Decimo Præcepto Decalogi.

PRæceptum Septimum (*Non furtum facies*, *Exod.* 29. & *Matth.* 19. 18.) ut eſt negativum, prohibet omnem injuſtam damnificationem proximi in bonis fortunæ, quæ fit per furtum, aut rapinam, per injuſtos contractus, & per omnem injuſtam acceptionem, vel detentionem bonorum alienorum. Hæc plerumque dicuntur peccata caudata, quia trahunt poſt ſe obligationem reſtitutionis, quam præcipit ſeptimum præceptum, prout eſt affirmativum.

Huc etiam pertinet decimum præceptum (*Non concupiſces domum proximi tui ---- non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt.* Exodi 20. 17.) Directe hoc præceptum prohibet actus internos, ne bona proximi injuſte appetamus; vide etiam, quæ de invidia dicta ſunt. n. 326.

ARTICULUS I.

Principia generalia de furto ſecundum ſe.

§. I.

Prænotanda de furto.

761. PRæenot. I. Furtum eſt *injuſta, & occulta rei alienæ ablatio Domino rationabiliter invito.* Dicitur 1. *ablatio*, per hoc differt a ſola damnificatione, quæ poteſt fieri ſine ablatione rei, ut patet in eo, qui alterius domum accendit. *Dicitur* 2. *occulta*: per quod differt a rapina, quæ includit violentiam alteri ſcienti ac invito illatam. 3. *Rei alienæ*, ſive ſit aliena ſtabiliter, ſive ad tempus, aut quaſi aliena: ideo furtum committit, qui creditori clam aufert mutuum datum, aut pignus apud alium depoſitum. 4. Dicitur, *Domino rationabiliter invito*: Hinc fur non eſt, qui aufert gladium, quo alter ſe vel alium eſſet occiſurus; aut librum Hæreticum, quem ſine peccato non poteſt legere; quia in his caſibus Dominus *rationabiliter* non poteſt eſſe invitus.

762. *Prænot.* II. Furtum *Primo* aliud eſt ſimplex, aliud qualificatum. *Simplex* dicitur, quod non habet aliam ſpecie deſtinctam malitiam adjunctam *qualificatum*, quod ſpecialem malitiam ſibi conjunctam habet, ut *ſacrilegium*, v. g. ſi auferatur res ſacra, ut dictum eſt n. 470. Specie etiam differt rapina a furto ſimplici ratione ſpecialis injuriæ, & contumeliæ, qua afficitur is, cui ſcienti, & repugnanti res ſua violente abripitur; de

hac *S. Th.* 2. 2. q. 66. a. 4. Huc etiam revocatur *Peculatus*, quando pecunia, vel res ad fiscum Principis, aut Reipubl. pertinens auferatur; item delictum cudendi monetam ex adulterato metallo, vel ex proprio sine licentia Principis. Item usus bonorum communium in propriam utilitatem. *Abiegatus* vocatur, quando aliquot animalia simul, vel successive ex grege alieno, imo si vel unicum ex majoribus, v. g. equus, bos, aut mulus abducitur e stabulo, ut ait *Babenst. Plagium*, est injusta abductio hominis liberi, vel servi alieni ad vendendum, vel retinendum in mancipium. De his fuse *Jurisconf.*

§. II.

Principia generalia de furto secundum se.

763. *Principium I. Furtum ex genere suo est peccatum mortale*; quia manendo in specie furti potest graviter peccari, quin alia peccati species accedat. Patet ex 1. Cor. 6. *Neque fures ... neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Accedit, quod furto non tantum violetur charitas, sed etiam justitia, utpote quæ est constans voluntas suum cuique tribuendi, ergo & relinquendi. Præterea hoc vitio maxime turbatur pax, & tranquillitas reipublicæ; cum nemo quiete sua posset possidere, si licitum foret rapere aliena. Excusat tamen a peccato gravi parvitas materiæ. Porro plures sunt gravium AA. sententiæ, quænam censeri debeat notabilis, seu gravis materia *theologice*, h. e. sufficiens ad peccatum mortale; de gravitate enim furti *juridice* spectata, sive in ordine ad gravem pœnam a foro externo infligendam hic non quærimus. Ante resolutionem

764. *Adverte*: Materia furti *absolute gravis*, vel *levis* dicitur, quæ respectu omnium, a quocumque sive ditissimo, sive divite, sive paupere auferatur, censetur sufficiens quantitas ad constituendum peccatum grave. *Respective gravis*, vel *levis* est, quæ respectu aliquorum, quibus aufertur, gravis, respectu aliorum vero, v. g. ditiorum, censetur esse levis. Ita *Salmant.* Ex his statuitur

765. *Princip. II. Probabilius materia furti absolute gravis, & respectu omnium, etiam Regis, & hominis prædivitis, sufficiens ad peccatum mortale est unus aureus, sive ducatus, sive res, aut pretium æquivalens aureo*. Ita *Less.* de Just. L. 2. C. 12. Dub. 6. n. 29. *Bonac. Lugo, Reding. Babenst.* t. 7. d. 5. a. 5. n. 11. *Reiffenst.* in Theol. mor. t. 11. dist. 5. q. 1. n. 8. *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 448. *Di Castillo* Disp. 8. de restit. dub. 2. n. 36. *Palaus Zetl.* p. 1. Cler. cur. instruct. 1. in IX. Contra *Laym.* qui L. 3. de Just. t. 3. p. 2. C. 1. in dico III. pro materia absolute gravi statuit duos vel tres aureos etiam respectu Regis potentissimi. Alii cum

Nav.

Nav. ſtatuunt minorem quantitatem uno aureo. *Prob.* noſtra reſolutio: 1. cum *Babenſt.* l. c. Communis hominum perſuaſio eſt, valorem unius aurei non eſſe modicum: ergo unus aureus merito ſtatuitur eſſe materia furti abſolute gravis; communis enim perſuaſio plurimum valet in moralibus: præterea conſtat, Principes graviter ferre, quando in Gabellis unico aureo defraudantur; iidem plerumque ducatum tanti æſtimant, quanti mediocriter dives florenum. Nec refert, quod Princeps non admodum indigeat uno aureo; ſufficit enim, quod aureus ſit materia valde notabilis, qua per menſem ali poteſt gregarius miles. Hinc *Prob.* 2. Niſi unus aureus etiam reſpectu ditiſſimorum eſſet materia graviter prohibita, nimis fortiter allicerentur innumeri fures cum maximo Principum damno ad furta infra aureum committenda, eoquod non curentur admodum peccata venialia. *Confir.* Ideo voluntaria pollutio in omni caſu eſt graviter prohibita, quia, licet ſemel facta non inferret grave damnum ſpeciei humanæ, ex eo tamen illicita manet, quod, ſi vel ſemel in aliquo caſu non eſſet illicita, homines ad ejuſmodi delectationem proclives facile allicerentur ad fingendas frequentes cauſas illam procurandi. Ergo a pari, licet furtum unius aurei ſemel factum opulentiſſimo non inferret grave damnum: quia tamen, ſi ſemel non eſſet graviter illicitum, facile allicerentur homines ad illud frequentandum, ideoque ſemper erit illicitum. Denique hæc ſententia ex eo videtur præferenda, quod ſit media inter laxiorem, & nimis rigidam, utpote quæ nec nimium onerat conſcientias delinquentium, nec præjudicat nimium juribus innocentum.

766. *Princip. III. Materia furti reſpective gravis, attendendo ad diverſas hominum conditiones, illa eſt, quæ in unum diem ſufficit ad victum ejus perſonæ, cui auferetur.* Hinc peccatum grave eſt, ſi a Principe ducatum fureris, a Comite vel alio divite 3. flor. ſi a mercatore opulento duos florenos, a cive mediocriter divite florenum, ab opifice 6. vel 7. baceos, vel ut ait *Haun.* t. 2. n. 329. quantum ſolet hujuſmodi plebejus opifex intra diem circa æquinoctium lucrari, ſcil. medium circiter florenum: ab operario autem ex diurno labore victitante 18. vel 20. Crucigeros, a mendico paucos Crucigeros, quibus uno die utcunque victum ſibi comparaſſet. Ita *Laym.* l. c. in dico II. *Bonac. Lugo, Sporer, Babenſt. Stoz, Zetl.* l. c. n. X. *Ratio eſt*, quia illa quantitas pecuniæ merito judicanda eſt notabilis, ob cujus injuſtam ablationem Dominus merito cenſetur graviter invitus: atqui ob injuſtam ablationem quantitatis, quæ alicui ſecundum conditionem, & communem vivendi conſuetudinem ad victum unius diei ſufficiſſet, quilibet merito cenſetur eſſe graviter invitus: ergo.

767. *Princ. IV. Furtum in Materia levi tribus modis ſolet fieri grave peccatum, 1. per intentionem auferendi ſucceſſive ma-*

teriam gravem; sic qui repetitis vicibus modicum furatur eidem personæ animo furandi successive magnam quantitatem per singula furta peccat graviter: quia actus externus desumit malitiam suam ab actu interno; ergo cum actus internus ita furantis sit graviter peccaminosus, & singula furta levia fiat ex intentione auferendi materiam gravem, & inferendi damnum notabile, etiam singuli actus externi, scil. furta levia, erunt graviter peccaminosi. *Sanch.* L. 7. in Decal. c. 21., *Less. Bonac. Lugo*. Addit *Babenst.* l. c. n. 19. cum *Comm.* quod talis fur non obligetur *sub mortali* ad restitutionem pro singulis furtis levibus, priusquam ad notabilem quantitatem pervenerit; quia obligatio restituendi non mensuratur a voluntate damnificandi, sed a damnificatione externa, vel damno reipsa illato: ergo cum damnum levi furto illatum non sit grave, etiam obligatio restituendi præcise respectu furti levis, non erit gravis. Dixi supra: *qui sæpius modicum furatur eidem personæ*: Idem dicendum, quod ille peccet mortaliter per singula furta minuta, qui intendit ditescere, & paulatim auferendo a pluribus modicum, sibi acquirere notabilem quantitatem; quæ intentio accipiendi injuste notabilem quantitatem est graviter peccamniosa; ergo & ipsa furta minuta tanquam continuæ executiones pravæ intentionis eandem malitiam participant. Ita *Sanchez* l. c. n. 13. *Less. Lugo*, *Babenst.* l. c. n. 24. Ideoque graviter peccant in singulis defraudationibus etiam levibus, qui injusto pondere, mensura, vel ulna intendunt se locupletare, quia singulæ fiunt ex animo acquirendi injuste materiam notabilem. *Confirm.* Ex hac ratione furandi, remque suam augendi gravissima incommoda humanæ societati oriretur: quia si liceret injustissima ejusmodi solertia fraudandi mensuras, falsificandi merces &c. omnis fides, & securitas, in pactis, contractibus, & commerciis tolleretur; ex quo plurimum pateretur bonum publicum: 2. *per multiplicationem*. Juxta dicta n. 284. ... non quidem eo sensu, quod plura peccata levia simul sumpta faciunt unum mortale, sed quod illud furtum, quo ultimo completur materia gravis, sit peccatum mortale, quia cum præcedentibus complet grave damnum.

3. Si plures communi consensu, & consilio se determinent, ut quivis modicum auferat, ita tamen ut furta levia simul sumpta constituant materiam gravem, peccat singuli graviter, quia singuli suo consilio, & consensu cooperantur moraliter ad totum damnum, ideoque etiam singuli tenentur ad restitutionem in solidum, scil. in defectu aliorum, ut dicemus *de restit.* Dixi, *si plures communi consensu* &c. quodsi enim plures modica auferendo grave damnum eidem Domino inferant, ita tamen, ut nullus de alterius subtractione habeat notitiam, nullus eorum peccat mortaliter, nec ullus contrahit gravem restituendi obligationem, qua nullus fuit causa formaliter injusta gravis damni.

768. *Princ. V.* a furto excusat: 1. *Necessitas extrema*, quando scil. est certum periculum amittendæ vitæ, morbi incurabilis, vel quando timetur malum morti æquivalens. Non autem excusat *gravis* tantum necessitas, quod non extremum, sed grave tantum malum in corpore, fama, vel fortuna timetur: vide *Propos. 36.* ab Innoc. XI. damnatam. *Ratio* damnationis est; quia facile adducerentur plurimi ad furta committenda, qui quamlibet necessitatem gravem sibi fingerent: In extrema autem necessitate subtrahere alienum quid, quantum sufficit ad tollendam extremam necessitatem, non est furari; quia tunc Dominus non potest esse rationabiliter invitus; res enim temporales datæ sunt a Deo tanquam media conservandi vitam; ergo hac periclitans proximus potest licite hoc vel illo bono temporali sibi summe necessario uti. Hoc sensu in extrema necessitate fiunt omnia communia: præterea divisio bonorum introducta est jure gentium, obligatio autem conservandi vitam est juris naturæ, *S. Th.* 2.2.q.67.a.7. in ⊙.

769. 2. Excusat a furto *Compensatio occulta*, qua creditor ex bonis debitoris clam tollit, quantum sibi debetur. Quia per hanc non peccatur *in re*, res enim debetur ex justitia: Neque in *modo*, si serventur sequentes conditiones 1. ut licita sit compensatio occulta, requiritur, ut id, quod accipitur, sit *debitum ex justitia*, non tamen ex charitate, vel gratitudine. 2. ut *debitum sit liquidum* sive certum, non autem dubium, vel probabile tantum; tunc enim melior est conditio possidentis. 3. ut debitum recuperari non possit via juris, vel alio modo sine notabili damno, molestia, aut sine gravi offensione, & inimicitia. Plura in resolutione casuum.

ARTICULUS II.

De Restitutione.

§. I.
Prænotanda.

770. *Prænot. 1. Restitutio est redintegratio juris alieni læsi, qua vel res accepta redditur, vel damnum illatum compensatur.* 1. Dicitur *Redintegratio*, per quam intelligitur actus justitiæ commutativæ, quo constituitur æqualitas, eaque arithmetica inter datum & acceptum, sive inter damnum, ejusque reparationem; ideo *S. Th.* 2. 2. q. 62. a. in ⊙ ait *Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ.* 2. Dicitur, *juris alieni*, scil. quod quis habet vel in re, vel ad rem. Res aliena possideri potest vel bona, vel mala, vel dubia fide: *Bona fide* dicitur quis possidere rem alienam, quando invincibiliter existimat esse suam;

mala fide, quando quis vel scit rem esse alienam, vel ex ignorantia vincibili & culpabili credit esse suam, & non alienam; *dubia fide*, qui vel positive vel negative, & practice dubitat, an res sit sua.

771. II. Injuria minus stricta opponitur Justitiæ Distributivæ, Vindicativæ, & Legali: stricte autem dicta opponitur justitiæ commutativæ; hinc recte definitur *læsio voluntaria juris alieni*. Alia injuria fit *commissione*, agendo aliquid contra jus proprietatis alterius, & dicitur *positiva injuria*, estque contra præceptum justitiæ negativum, quod ita solet exponi: *Nulli alteri, quod suum est, auferto, lædito, retineto*. Huc pertinent fraus, dolus, vis, metus &c. Alia fit *omissione*, si omittas facere alteri, quod ei debes ex justitia stricta, hæc dicitur injuria *negativa*, estque contra præceptum affirmativum; quod ita exponitur: *Unicuique alteri suum finito, tribuito, reddito*. Injuria Theologis alia est *mentalis*, quæ sola mente committitur, scil. vel *dubitatione temeraria*, contraria juri alterius, vel *suspicione*, vel temerario judicio, de quibus infra; quilibet enim habet jus, ut non revocetur in dubium, multo minus condemnetur sua innocentia, nisi sufficientibus indiciis delictum, vel ejus suspicio aut dubitatio firmetur. Alia *verbalis*, quæ verbo irrogatur cujus species sunt contumelia, convitium, detractio, maledictio &c. Denique alia est *realis*, quæ fit facto vel quasi facto, scil. vel commissione vel omissione, fraude vel violentia, circa bona corporis vel animi &c. Injuria ex genere suo est peccatum grave: Ratio est, quia illud n. 278. diximus esse peccatum grave ex genere suo, quod intra lineam suam potest esse mortale, licet non accedat diversa malitia: leve vero ex genere suo, quod, licet crescat intra lineam suam, non tamen fit mortale, nisi contrahat diversam malitiæ speciem; atqui licet injuria secundum culpam possit esse gravis vel levis, solum tamen incrementum quantitativum damni vel materiæ, circa quam illa versatur, fit peccatum grave inter suam lineam seu speciem injustitiæ, si voluntarie, & deliberate lædis alterius jus: ergo. Causæ gravitatis continentur sequenti versu: *His tribus ex causis injuria redditur atrox, facti, personæ, vel ratione loci*. Huc pertinet regula juris 27. in 6. *Scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus*: intellige circa jus mobile, cui efficaciter quis cedere potest. Item regula 145. ff. de R. J. *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt*; scienti autem tantum, sed non consentienti, fieri potest injuria, ut patet in injustis violentiis. Item fit injuria consentienti in actionem, sed non scienti, eam esse contra jus suum, quia tunc non habetur consensus plane perfectus, admixtum enim est involuntarium. Dixi *circa jus mobile*: secus est circa jus immobile, quo quis se pro arbitrio abdicare nequit: oritur autem hæc immobi-

mobilitas: vel *ex lege superioris*, ut patet in pupillo, qui valide nequit cedere juri suo. 2. vel *ex ipsa natura juris ipsi personæ immobiliter inhærentis*, ut fit in conjugibus, qui nequeunt transferre jus, quod habent in corpus alterius. 3. vel *ex defectu tituli necessarii ad validam translationem Dominii*, uti probabilius contingit in casu solventis usuras per modum pretii pro mutuo; Item in pretio simoniaco.

§. II.

Principia generalia de Restitutione.

772. *Principium I. Restitutio est necessaria ad salutem necessitate Præcepti. Prob.* 1. ex Apost. ad Rom. 13. 7. *Reddite ergo omnibus debita. Prob.* 2. ex c. 1. Caus. 14. q. 6. desumpto ex *S. Aug.* Epist. 45. ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed ut dixi, cum restitui potest. Prob.* 3. Observatio justitiæ necessaria est ad salutem; neglecta autem restitutione observari justitia non potest: ergo observatio restitutionis pariter necessaria est ad salutem. *Dixi* quod sit necessaria *necessitate præcepti*: quia necessaria non potest dici *necessitate medii* hoc modo, quasi is non possit consequi salutem, qui inculpabiliter non restituit, vel qui absolute non potest restituere: talis enim, si de peccato vere doleat, & voluntatem habeat restituendi si posset, adhuc potest salvari, ut patet ex cit. can. Est autem obligatio restituendi gravis, si sit circa materiam gravem, levis, si circa levem.

773. *Princip. II. Obligatio restituendi ex duplici radice naturali* oritur, juxta *Laym.* l. 3. de *Just.* t. 2. c. 1. n. 3. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 62. a. 6. in ☞ 1. *ex re accepta, sive aliena*, 2. *ex injusta acceptione. Ex re accepta*, ad restitutionem teneris, quando res aliena ad te sine culpa aliqua Theologica pervenit, quam tamen cognoscis vel postea comperis esse alienam. *Ratio est*; quia res aliena non potest sine injuria retineri invito rationabiliter Domino: ideoque res aliena, ubicumque fuerit, clamat ad suum Dominum, qui retinet jus sibi eam vindicandi, vel exigendi pretium æquivalens, quamdiu res sua existit apud alium formaliter, vel æquivalenter in suo pretio; nemo enim jus suum amittit, nisi vel ob consensum voluntarium, vel ob propriam culpam injustitiæ, vel ob dispositionem juris, vel ob casum fortuitum.

Altera radix proxima restitutionis est *injusta acceptio*, qua vel scienter & injuste occupasti rem alienam, v. g. furto, fraude, usura &c. vel quando damnificando proximum re sua privasti, quamvis res aliena ad te non pervenerit, v. g. si domum

proximi incendio destruxisti: talis enim injusta damnificatio vere est injusta rei alienæ subtractio, quamvis sit subtrahenti inutilis, cum nihil ex re aliena detineat damnificator. Ratio est, quia utroque modo læditur jus alterius, non autem extinguitur; ergo, cum maneat jus alterius læsum, reparari debet per restitutionem. *Probatur* hoc principium: tot sunt radices proximæ restitutionis, quot sunt primariæ species læsionis: atqui tantum sunt duæ primariæ species læsionis juris alterius, scil. *læsio materialis*, cui respondet obligatio ex re accepta: & *formalis*, cui respondet obligatio ex injusta acceptione: ergo.

Porro hic non inhæremus speculationibus, vi quarum *tituli & modi*, quibus jus proprietatis est comparatum, dicuntur quidem radix restitutionis, sed remotissima; sic etiam ipsum jus residens in altero dicitur radix restitutionis, quatenus vi hujus juris exigitur reparatio juris læsi: hæc tamen radix non est proxima, sed remota, quia hoc jus secundum se & absolute potius exigit conservationem æqualitatis, reparationem vero actu exigit mediante injusta acceptione, vel re accepta, quas proinde dicimus radices proximas. Pariter alios titulos restituendi huc reducimus, quos assignant Jurisconsulti, quales sunt, *delictum* & *quasi delictum*, *contractus & quasi contractus*, *ac legis dispositio:* Alii claritatis gratia plures assignant radices restitutionis. 1. *rem acceptam*. 2. *injustam acceptionem*. 3. *injustam damnificationem*. 4. *injustam retentionem*. 5. *injustam cooperationem*. 6. *ex contractu*. 7. *ex quasi contractu*. scil. ex officio assumpto: cum tamen hi tituli reducantur ad duos primos, hinc brevius in iis constituitur solius tota ratio restitutionis. Delictum enim seu injusta damnificatio reducitur ex dictis ad injustam acceptionem; quia est injusta quædam rei alienæ subtractio, quamvis subtrahenti sit inutilis. Præstatio debiti ex contractu, vel quasi contractu reducitur ad injustam acceptionem, quatenus non facta solutio est retentio illius, quod debetur alteri; talis autem retentio vere dici potest injusta acceptio. Restitutio autem ex dispositione legis eatenus reducitur ad injustam acceptionem, quatenus restituendi obligatio imponitur vel ad præveniendam læsionem, vel quia præsumitur præcessisse. Juxta alios solutio debiti ex contractu proprie non est restitutio.

Si quæras, an res accepta, & injusta acceptio eodem modo obligent ad restitutionem? R. Obligatio ex re accepta non durat, nisi quamdiu res ipsa durat & extat vel formaliter in se, vel virtualiter in æquivalenti, seu fructu, & effectu relicto; Ex injusta autem acceptione durat obligatio restituendi, licet res interierit, nec virtualiter amplius extet: quia iniquitas debet nocere soli inique agenti, non autem patienti innocenter.

774.

774. *Princ. III. Ut ex injusta acceptione oriatur obligatio restitutionis in foro conscientiæ ante sententiam judicis, requiritur culpa theologica, ita ut non sufficiat mere juridica.*

Ante prob. Adv. Nomine culpæ theologicæ intelligitur a TT. quævis offensa Dei sive peccatum mortale, aut veniale. Nomine culpæ juridicæ intelligitur omissio diligentiæ, qua proximi damnum impediri potuisset, sive coram Deo, & in foro conscientiæ sit peccatum, nec ne. Culpa juridica alia dicitur *lata*, quæ est omissio diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis in talibus circumstantiis communiter solent adhibere. *Latior* dicitur *dolus præsumptus*, sive omissio debitæ diligentiæ, ex qua etsi non omnino manifeste colligatur malus nocendi animus, prudenter tamen potest præsumi; talis est in eo, qui damnum proximi non intendit quidem, illud tamen prævidet futurum ex actione sua, vel ejus omissione. *Latissima* vocatur *dolus apertus*, sive omissio diligentiæ debitæ ad damnum alterius præcavendum, ex qua manifeste colligitur malus nocendi animus; hæc culpa est in eo, qui aliquid agit, vel omittit damni inferendi causa, quod prævidet inde secuturum. Culpa juridica *levis* dicitur omissio diligentiæ, quam homines diligentiores, & accuratiores similis conditionis solent adhibere. *Levissima* culpa est omissio diligentiæ exactissimæ, quam nonnisi accuratissimi, & diligentissimi solent impendere... His præcognitis,

Prob. Principium tertium. Damnum sine culpa theologica datum, non voluntarie, nec cum ulla injuria formali, sed quasi casu pure fortuito est illatum: sicut inferri solet a fulmine, vel furioso: ergo æque parum potest obligationem restitutionis inducere, ac si ab infante, vel amente esset illatum. *Confirm.* 1. æquitas naturalis, & jus non magis gravat, ut reparetur jus læsum alterius, quam ne lædatur: ergo sicut non gravat, ne lædatur inculpabiliter, & per injustitiam tantum materialem, ita neque gravat, ut reparetur læsum læsione, & injustitia tantum materiali, & theologice inculpabili. *Confirm.* 2. ex contractu vel voto non oritur gravis obligatio, nisi sit perfecte voluntaria; ergo nec ex damnificatione involuntaria. *Confirm.* 3. ex c. fin. l. 5. Decr. tit. 37. de injuriis, & damno dato, ubi expresse innuit *Greg. XI. Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt; jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* In fine subditur: *Secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nil omisit.* Ubi Pontifex per verba: *Si scire debuisti*, loquitur de culpa per ignorantiam invincibilem commissa: atqui hæc non est culpa mere juridica,

sed

ſed theologica; ergo. *Confirmatur* id maxime ex poſtremis verbis cit. ... *Babenſt.* t. 7. d. 4. a. 3. n. 2. hanc vocat communem, vide etiam *Sotum*, *Leſſ.* *Rheding* & alios. *Confirm.* 4. In caſu, quo damnum illatum eſt ex culpa mere juridica, non tenemur illud reparare *ex re accepta*, quia ſupponimus, rem apud nos nullo modo extare: deinde nec ex *injuſta acceptione*, cum nulla intercedat injuria formalis; ergo *ex jure naturæ* non tenemur reparare damnum ex culpa mere juridica illatum: Tenemur tamen in conſcientia ad reparandum tale damnum ex legibus poſitivis humanis, & civilibus, quæ tamen probabilius non ante, ſed poſt ſententiam judicis obligant: ut mox dicemus.

Ex eadem ratione nec oritur obligatio gravis reſtituendi ex culpa theologica, quæ ob indeliberationem tantum eſt levis; quia etiam hoc caſu damnum grave non ſatis eſt voluntarium; ergo nec inductivum tam gravis obligationis. Adde quod culpa venialis ex indeliberatione actus non ſit ſimpliciter delictum, & injuria; ergo nec poteſt eſſe radix gravis obligationis; nec læſus videtur tunc juſte & rationabiliter eſſe invitus, cum actus ejuſmodi indeliberati moraliter ſint inevitabiles, ideoque nec poteſt exigere reſtitutionem ſub gravi culpa in conſcientia. *Leſſius* l. 2. c. 7. Dubit. 5. n. 27. *Lugo*, *Tambur.* *Illſung.* t. 4. d. 3. q. 1. a. 3. n. 10. contra Vaſq. & Molinam. *Confirm.* 1. Ex eo, quod obligatio reſtituendi ex delicto imitetur naturam pœnæ: ergo ſicut defectus culpæ gravis excludit pœnam gravem, ita defectus culpæ gravis ob indeliberationem excludit gravem obligationem compenſationis damni non ſatis deliberate illati. *Confirm.* 2. ex paritate de voto indeliberate edito, ut ſupra. *Confirm.* 3. tales actus facile cuilibet ſubrepunt. Ergo accenſeri debent caſui fortuito.

Denique juxta communiorem, & probabiliorem tunc ad incurrendam obligationem reſtitutionis ſufficit culpa juridica, 1. quando ex contractu oritur obligatio reſtitutionis; v. g. quando aliquis ſe obligavit ad rem alterius cuſtodiendam, ſervandam, integre reddendam. 2. Ex legibus poſitivis humanis, & civilibus, quales ſunt *Lex Aquilia* L. 4. Inſtit. tit. 3. L. 9. ff. t. 1. & c. 3. t. 35. aliæque de quaſi delictis & damnis vel noſtra vel noſtrorum culpa per animalia noſtra illatis; quarum legum finis eſt, tum conſulere indemnitati proximi, tum curam, & cautelam aliorum acuere, ne damnum proximo inferatur. Ergo cum hæ leges juſtæ ſint, & tendant ad bonum communitatis, nos obligant in conſcientia ad reparandum damnum ſaltem *poſt ſententium judicis*. Actio autem quæ in jure datur damnificatis ex culpa juridica eſt triplex: *Prima* eſt *actio ex delicto*, ſeu *lege Aquilia*; & hæc eſt actio pœnalis, qua vindicatur damnum per rei corruptionem illatum: Hæc a JCtis ſubdividitur in directam,

rectam, & utilem. *Secunda* est *actio in factum ex quasi delicto*, qua vindicatur damnum datum ex dejectis vel effusis ab inhabitantibus ædes, ex imperitia judicis judicantis, vel Notarii imperite conficientis instrumentum &c. *Tertia* est *actio Noxalis*, quæ datur adversus Dominum *servorum*, qui damnum, & *animalium*, quæ pauperiem fecerunt. Dixi supra: *post sententiam judicis*: quia juxta dicta ex jure naturæ non tenemur reparare damnum ex culpa *mere juridica* illatum; sed ex legibus positivis; quod autem hæ non ante, sed post sententiam judicis obligent in conscientia, inde eruitur, quia cives sufficienter stimulantur ad cautelam damni fortuiti (qui est finis harum legum) si post sententiam judicis restituere teneantur: Item quia major obligatio nec ex verbis, nec ex fine legis, nec ex interpretatione DD. aut praxi subditorum deducitur: ergo. Ita *Molina*, *Lessius Laymann*, & alii contra *Vasq.* & *Turrian.* qui defendunt, quod hæc lex ex actione noxali obliget in conscientia ante sententiam judicis: tum contra *Haunold.* & *Rebell.* qui negant obligationem etiam post sententiam judicis ob damnum culpa mere juridica datum.

775. *Princ. IV. ad restitutionem obligantur, quicunque positive efficaciter cooperantur ad damnum proximi; ex negative autem concurrentibus illi tenentur ad restitutionem, qui ex contractu, vel quasi contractu sunt obligati ad avertendum damnum.* Ante probationem

Adverte: *S. Th.* 2. 2. q. 62. a. 7. novem causas cooperantes ad damnum proximi duplici versu comprehendit:

Jussio, *consilium*, *consensus*, *palpo*, *recursus*;
Participans, *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*.

Positive & directe concurrunt sex priores in cit. vers. scil. *mandans*, *consulens*, *consentiens*, ante factum *palpans* sive *laudans*, *dans recursum*, & *participans*, quatenus mandato, consilio, suffragio &c. moraliter movent, & positive inducunt ad damnum injuste inferendum proximo, vel physice participant cum eodem. Tres posteriores (scil. *mutus* h. e. qui ante damnum illatum non monet, non clamat, non impedit: *non obstans*, qui, dum fit damnum, non defendit, non prohibet, non custodit rem; *non manifestans*, qui post damnum non admonet, non revelat, ut ait *La Croix* l. 3. p. 2. n. 41.) dicuntur concurrere negative, & indirecte, quatenus præcise non impediunt damnum injustum. His præmissis,

Prob. prima Pars ex propos. 39. ab *Innocent. XI.* damnata. *Ratio est*: Quia omnes positive & efficaciter concurrentes juxta sex primos modos sunt causa moralis damni; ergo idem est, ac si ipsi damnum intulissent. *Prob. etiam secunda Pars*, Quia extra contractum, vel quasi contractum nemo tenetur ex *justitia* ad impediendum alterius damnum, sed tantum ex chari-

charitate, si possit impediri absque notabili incommodo; ergo qui juxta tres postremos modos negative tantum concurrunt, non impediendo damnum, ex supposito, si non teneantur ex officio, contractu, vel stipendio, peccant quidem contra charitatem, non tamen contra justitiam: ergo nec tenentur ad compensationem damni, utpote quæ est actus justitiæ commutativæ. *Ita Comm.* Exempla occurrent in resol. cas.

776. Dixi *de quasi contractu*: omnes enim, qui ex officio aliis obligati sunt, dicuntur teneri ex quasi contractu: communiter autem quinque species ex quasi contractu numerantur ex L. 3. Institutionum tit. 29. *de obligationibus*; *quæ quasi ex contractu nascuntur*, scil. 1. *Negotia gesta*: sic qui negotia absentis gerit, dicitur quasi contractum habere cum absente cujus negotium gerit. 2. *Tutela*, & *cura*: tutor cum pupillo, & curator cum furioso, aut minorenni. 3. *Communio rerum*: sic habentes rem aliter, quam ex contractu societatis communem, ultro citroque ex quasi contractu tenentur. 4. *Aditio hæreditatis*: sic tenetur hæres adiens hæreditatem erga legatarios, & creditores defuncti. 5. *Solutio indebiti*: sic tenetur, qui recipit indebitum solutum per errorem. Denique juxta communem ex quasi contractu tenentur Gubernator, Judex, Advocatus, Medicus, Parochus, Artifex &c. hi enim, dum ejusmodi officia in se suscipiunt, tacite saltem, & virtualiter se obligant ad debitam diligentiam; alias a Republ. nunquam ad hæc munia admitterentur.

777. *Princip. V.* De circumstantiis restitutionis, quæ his versibus complectuntur.

Quis, cui restituet, quid, quantum, quomodo, quando,
Ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

tene sequentia:

1. Recte ait *Pontas*. V. *Restitutio*. Inter eos omnes, quos urgere potest restitutionis obligatio, coriphæus omnium habetur, qui iniquus rei possessor est, sive qui detinet rem alienam: cui deinde succedunt quasi secundarii, qui fuerunt injustitiæ perpetratæ, aut detrimenti illati socii, atque participes.

2. Quaddo res injuste ablata in integra sua natura non amplius extat, altera res ejusdem valoris restituenda est. Neque vero sola res, quæ possidetur inique, reddenda est, sed insuper, quæcunque damna rei proprietario ex ejusdem privatione emerserunt, ei sunt integrum rependenda.

3. Debita vel bona certa, quorum Dominus scitur, regulariter debent restitui ipsi Domino: quia ipsi competit jus primarium ad rem. *Excipe*: Si Dominus sit defunctus, omnia debita realia sive ex contractu, sive ex delicto, reddi debent hæredi; hic enim succedit in omnia jura defuncti: si vero defunctus de rebus suis non disposuerit, nec hæredem ab intestato reliquerit, ejus bona, & jura dicuntur vacantia & derelicta,

jux-

juxta *l.* 1. 4. & 5. *Cod. de bon. vacant.* ergo debitor ea potest retinere. Jure civili autem cedunt fisco saltem post sententiam judicis. 2. Si vero alteri debeatur rei a te acceptæ possessio, huic immediate restituenda est, v. g. accepisti rem apud Titium depositam ab eo conductam, illi commodatam, aut emphyteuticam, eam teneris restituere Titio depositario, commodatario &c. non vero Domino; quia Titius sine injuria privari non potest jure custodiæ, usus, vel possessionis, nisi vel consentiat, vel certo sciatur re inique abusurus; ex hac ratione bona Ecclesiæ non sunt restituenda Prælato dissipatori, sed Capitulo. 3. Si acceperis rem a possessore malæ fidei v. g. horologium emisti a fure, *per se* non furi, sed Domino reddi debet, quia hic solus in illud habet jus, non vero fur tanquam iniquus possessor. Dixi, *per se*, quia si fur tibi vendiderit horologium, vel aliam rem furto ablatam, nec possis aliter recuperare tuum pretium, poteris tuum pretium repetere, permittendo, ut fur horologium recipiat; tum quia habes jus ad tuum pretium, pro quo nihil accepisti; tum quia te non obligasti ad conservandam rem Domini cum tanto damno, *La Croix* l. 3. p. 2. n. 99. hanc sententiam vocat communem, n. tamen seq. limitat hanc sententiam, quod tunc res ablata possit furi reddi, quando prudenter fur judicatur velle restituere rem, non autem eo casu, quo creditur non redditurus, aut Dominus aliter, aut cum minore periculo non recepturus rem suam.

778. II. *Bona incerta comparata ex delicto* v. g. *furto, usura, iniqua mensura, pondere &c. si facta diligenti inquisitione dominus sciri, vel reperiri nequeat, restitui debent pauperibus. Ratio est:* quia res, quæ Dominum habet, non potest retineri illo non consentire, aut si Dominus reperiri nequeat, expendi debet secundum voluntatem Domini prudenter præsumptam; atqui talia bona incerta ex delicto dominum habent; nec præsumi potest prudenter, quod Dominus velit ea retineri ab injusto possessore, ne lucrum ex delicto reportet, sed prudentius præsumitur, quod, si sibi, vel hæredibus restitui non possint, vel ea impendi ad pias causas, v. g. dando eleemosynas, ut saltem in bonum animæ suæ cedant; ergo sic restitui debent. *Ita S. Th.* 2. 2. q. 62. a. c. ad 3. ubi addit, *Si vero Dominus sit multum distans, debet transmitti, quod ei debetur, & præcipue si sit res magni valoris, & possit commode transmitti; alioquin debet in loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, & Domino significari.* Vide *Illsung* t. 4. d. 3. n. 250. *Scot. Vasq. Sanch. Confirm.* ex c. *cum tu.* de Usur. Si Dominus in particulari quidem ignoretur, sciatur autem in communi, uti sciunt Mercatores, Caupones, Pistores, Laniones &c., qui mensura, vel pondere iniquo defraudarunt concives, etsi nesciant, quibus in particulari damnum sit illatum, restitutio potius

tius facienda est communitati læsæ minuendo pretium, vel augendo pondus, & mensuram. *Bona incerta ex contractu, vel inventione* (v. g. si Mercator loco cupri tibi tradidit aurum, vel si inveniſti annulum pretioſum) juxta tutiorem, ut ait *Laym.* l. 3. de Juſt. t. 1. c. 5. n. 24., ſi eorum dominus poſt diligentem inquiſitionem non compareat, pauperibus erogan-da, vel ad aliam piam cauſam applicanda ſunt, ex rationibus modo allatis. Contrariam, quod inventor rem inventam poſſit retinere, ſi poſt moralem diligentiam adhibitam non poſſit reſcire dominum, ibidem vocat valde probabilem: ad praxim idem monet obſervandum: *primo*. Si Dominus compareat, antequam res conſumpta eſt ab inventore, abſque dubio illi reſtituenda eſt: huc tendit dictum *S. Aug. Si quid inveniſti, & non redidiſti, rapuiſti*, hom. 9. ex 50.... *Secundo*. Prudentis arbitrio ex circumſtantiis, & præſertim ex valore rei inventæ æſtimandum eſſe, quamdiu exſpectare debeat inventor, donec rem inventam alienare, vel abſumere poſſit: ſi pero poſt alienationem vel abſumptionem bona fide factam, dominus compareat, nihil ipſi reſtituendum eſt, *niſi quatenus* inventor locupletior inde factus eſt. *Tertio*. Similiter nec pauperes, ſi in eos rei inventæ diſtributio facta ſit, aliquid reſtituere debent, niſi res in ſpecie extet, dominuſque repetat.

779. III. *Si obligatio reſtituendi proveniat ratione rei juſte vel injuſte acceptæ, poſſeſſæ, aut deſtructæ, reſtitutio fieri debet quamprimum moraliter fieri poteſt poſt delictum, vel notitiam rei alienæ*; quia præceptum negativum non detinendi rem alienam, item non differendi ſolutionem debitam omni tempore obligat. Ita *Laym.* l. 3. de *Juſt.* t. 2. c. 10. n. 2. ibid. monet cum *Molina*; ſi quis certum habeat reſtituendi propoſitum, ſed reſtitutionem ex graviſſima & juſta cauſa aliquo tempore (non admodum longo) differat, non eſſe facile peccati mortalis damnandum, nec ſacramentali abſolutione privandum. NB. Si ex tali mora nullum omnino damnum læſo inferatur; licet enim iſta dilatio injuſta ſit, non tamen cenſetur eſſe gravis injuria, ſi nullum inde damnum oriatur; id quod magis verum videtur, ſi obligatio ex contractu deſcendat. Cauſæ autem reſtitutionem juſte differendi ſunt. 1. Si creditor non ſit præſens, nec aliquem conſtituerit, qui acceptet ſolutionem. 2. Si creditor etiam tibi debeat, & non ſolvat. 3. Si ſolutio fieri non poſſit ſine ſcandalo, vel notabili damno in bonis animæ, famæ, vel fortunæ, ut infra docetur.

780. IV. *Qui tenetur reſtituere ex delicto, debet rem injuſte ablatam, vel detentam propriis ſumptibus in eo loco reſtituere, ubi læſus, vel creditor eam habiturus fuiſſet*: niſi ei ablata, deſtructa, vel inique detenta fuiſſet, deductis tamen expenſis, quas ipſe læſus rem ſervando, vel alio deferendo facere debuiſſet,

set, v. g. si Titio equum abstulisses, quem ille Moguntiam debuisset ducere, teneris ei mittere equum Moguntiam, deductis expensis, quas Titius in equum feciſſet. *Ratio est*, quia restitutio orta ex injusta damnificatione in integrum debet fieri, adeo ut læsus, vel creditor omnino indemnis debeat servari. Ergo. Ita *Laym.* l. c. n. 3. *Less. Vasq.* & *Comm. Excipe*: nisi transferendo in locum domini multo majores expensas ex proprio facturus sis, quam res restituenda valeat; tunc ad deferendum non obligaris, interim si spes sit restitutionis faciendæ ipsi Domino, vel hæredibus, res interim in loco tuto debet servari; si spes non sit, potes dare pauperibus. *Laym.* ibid.

2. *Debitor ex sola re accepta tenetur restituere in loco, ubi res de facto exiſtit*, v. g. Viator in domo tua reliquit suam sarcinam, teneris eum per litteras monere; si petat sibi transmitti, transmittenda est, sed expensis Domini: quia æquum non est, ut debitor circa culpam suam ex re aliena damnum patiatur; Si rem bajulus sibi retineat, vel apud illum citra tuam culpam pereat, ad nihil ultra teneris, quia res regulariter perit suo domino. Vide *La Croix* l. c. n. 363. *Jansen.* Cas. 45. n. 17. & L. *argentum* 20. ff. *Commodati*. 3. *Restitutio* vel potius solutio ex contractu debet fieri in loco, de quo expresse vel tacite inter partes conventum est: in dubio, ubi solutio fieri debeat, spectanda est consuetudo, ubi Contractus est initus, item natura contractus, & variæ circumstantiæ, ut ex iis mens contrahentium colligi possit. *Laym.* l. c. n. 5.

781. *Princip. VI.* De ordine restitutionis observandum est generaliter: *Si debitor habeat bona sufficientia ad solvenda omnia debita, omnibus creditoribus satisfacere tenetur*: ut patet. Si vero non sit solvendo, 1. restitui debet res aliena adhuc extans apud debitorem; v. g. Titius debitor habet pecuniam tuam apud se depositam, vel sibi commodatam, vel a se inventam, furto sublatam, vel aliam rem sibi locatam, hanc tibi, & non aliis creditoribus quomodocumque privilegiatis tradere debet; res enim mansit tua, neque aliis restitutio debet fieri ex bonis alienis.

2. Si debitor pro re empta ab Ecclesia, fisco, vel minorenni, & sibi tradita pretium non solverit, tunc ex constitutione legum Ecclesia, Fiscus, & minores retinent dominium rei venditæ, donec solvatur pretium. L. si *Procurator* 5. de jure fisci. Item si res empta apud debitorem in specie extet nondum soluto pretio, illa certo domino integre debet restitui, quia reliqui creditores nullum in re jus habent. *Laym.* l. c. c. 11. n. 2.....

3. Ex bonis debitoris ante omnia debita etiam hypothecata solvi debent funeralia, medicamenta, & alimenta sibi, uxori, & liberis impensa: Item quod pro inventario, pro custodia

supel-

ſupellectilis, & confectione teſtamenti expreſſum fuit l. pen. ff. *de relig. & ſumpt. fun.* Item merces operariorum, & famulorum *ad neceſſarios uſus* conductorum; hæc enim debita contrahuntur ex neceſſitate, & potius in utilitatem, quam fraudem creditorum, ſi enim nemo debitori ſerviret, is fieret magis impotens. 4. debita certa prius ſolvenda ſunt, quam incerta, ſcil. quorum creditor ſciri, aut conveniri non poteſt; quia Dominis certis proprium jus competit ad debita ſua exigenda, non item pauperibus ad poſtulanda debita incerta, ut ait *Laym.* l. c. n. 1. Juxta alios *Ratio eſt*, quia creditor abſens vel ignotus prudenter præſumitur velle, ut, cum reſtitutio ſibi fieri nequeat, fiat creditoribus certis.

1. Creditores hypothecarii (h. e. qui non ſolum perſonam debitoris, ſed etiam rem ejus vel immobilem, quæ vocatur hypotheca, vel mobilem, quæ vocatur pignus, obligatam habent in ſecuritatem debiti) præferendi ſunt aliis creditoribus, qui vel chirographo, vel inſtrumento publico, vel teſtibus, vel debitoris confeſſione tales eſſe probantur, ut habetur l. *eos* Cod. *qui potiores in pignore*. Item quia juxta reg. 25. ff. *plus cautionis in re eſt, quam in perſona*. Inter ipſos autem creditores hypothecarios præferendi ſunt, qui priores ſunt tempore, juxta reg. jur. 54. in 6. *Qui prior eſt tempore, prior eſt jure*. An hæc regula habeat locum inter creditores mere perſonales, non conveniunt AA. Affirmant *Gabr. Valent.* Negant vero *Bannes*, *Leſſius*, c. 15. dub. 16. *Illſung*, & alii. Eoquod tales creditores habeant æquale jus, ideoque in pleriſque locis cuilibet ex hiſce creditotibus plus vel minus ſolvitur juxta majus vel minus debitum. *Plura apud Juriſtas*.

782. *Principium VII.* A reſtitutione excuſat 1. *impotentia tum phyſica*, quando quis nec in re, nec in ſpe habet, unde poſſit reſtituere, tum *moralis*, ſcil. quamdiu durat) quando quis abſolute quidem habet, unde ſolvat, ſed reſtitutio valde difficilis redditur propter jacturam animæ, vitæ, famæ, libertatis, juſti ſtatus, aut bonorum temporalium juxta limitationes ſequentes. *Ratio primi eſt*: quia juxta reg. 6. juris in 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*. *Ratio ſecundi* eſt, quia durante morali impotentia debitoris, creditor non cenſetur rationabiliter invitus. Sic 1. probabile *periculum animæ* eſt juſta cauſa reſtitutionem differendi, & omittendi, quamdiu hoc periculum durat, ſi debitor ob reſtitutionem eſſet lapſurus in deſperationem, filii ob inopiam in furta vel latrocinia, uxor vel filiæ vitæ luxurioſæ exponendæ &c. quia creditor hic præcipue non poteſt eſſe rationabiliter invitus, ſi differatur reſtitutio ob bonum animarum longe excellentius.

2. Ad impotentiam moralem pertinet *periculum vitæ*, ſive extrema neceſſitas, v. g. ſi debitor per reſtitutionem famæ

eſſet

esset periturus. *Ratio est*: quia in extrema necessitate licet aliena auferre, ergo etiam retinere; excipe nisi creditor *ante debitorem* in similem necessitatem jam inciderit, vel lapsurus sit, nisi fiat restitutio, tunc enim creditor titulo justitiæ & charitis præferendus est. Si vero sint in æquali necessitate *actu*, debitor adhuc potest omittere restitutionem, quia tunc melioris est conditionis.

3. Excusat *jactura libertatis*, *vel famæ*, v. g. si restituere nequeas, nisi te ipsum vendendo, vel dando suspicionem gravis & occulti criminis. NB. Si restitutio sine infamia saltem fieri possit per tertium v. g. confessarium, adhuc esset obligatio restituendi. Infamia autem debet esse gravis, & valde notabilis; ideo fur jam infamatus debet restituere, etsi infamia augeatur inde.

4. *Excusat jactura status justi, & honesti*, quæ est necessitas gravis, v. g. si homo nobilis deberet omnia bona sua vendere, famulos *necessarios* dimittere; aut si civis primarius exercere deberet artem mechanicam, artifex vendere artis suæ instrumenta, & mendicare pro facienda restitutione, hi possunt solutionem differre, vel per partes solvere, etiamsi debitum sit ex delicto. Ita *Azor.* p. 3. l. 4. c. 39. *Laym.* l. c. c. 12. n. 1. *Ratio est*, quia creditor debitori in gravi necessitate constituto ex lege charitatis tenetur subvenire: ergo rationabiliter non potest esse invitus, si debitur ad gravem suam necessitatem sublevandam differat restitutionem; nisi ipse creditor in simili necessitate gravi esset constitutus. Dixi *jactura status*, certum enim videtur, quod aliqua ejus diminutio non excuset a restitutione, unde graviter peccant continuo, ideoque absolvi non debent, qui debitis non gravati solum, sed nova addentes, nihil de luxu, splendore apparatus, conviviorum, equorum, canum, famulorum superfluorum, ludorum &c. &c. subtrahunt, quia hæc non sunt ad statum simpliciter necessaria, sed solum ad vanum splendorem, imo hæc minuere potius est modestiæ. Nec excusatio coram Deo valet, quod jam sit sæculum superbum, siquidem superbia, luxus, & injustitia contra leges naturales, divinas, & humanas nunquam possunt præscribere. Dixi etiam *Status justi*: si enim status sit injustus consistens in sola opulentia per furta, fraudes, rapinas, usuras acquisita, v. g. si mercator ex solis injustis lucris laute vivendo statum honoratiorem sibi comparaverit, manet absque dubio obligatio restitutionis cum jactura status, utpote ad quem nullum jus habet, sed ad mendicitatem, vel ad eum vilem statum, in quo antea fuerat. *S. Anton. Scotus Henriq. Bonac. Laym.* l. c. n. 7.

783. II. *Licite etiam differtur restitutio ob damnum, quod vero similiter creditori, vel Reipublicæ vel tertio est eventurum. Ra-*

tio primi est: quia restitutio ordinatur ad utilitatem creditoris: ergo hic non potest esse jure invitus, quando eam differt debitor, prævidens ipsi tunc fore noxiam. *Ratio secundi:* quia malum proximi impediri debet, si commode possit; ergo etiam tunc creditor ex charitate consentire in dilationem prudenter credi potest. Idem judicium de est bono publico.

784. III *Denique cessio bonorum vel fori* (quando scil. debitor debitis solvendis impar, creditoribus sua bona relinquit inter se dividenda) non plene se liberat ab onere restitutionis; sed debitor manet obligatus ad procurandam, & præstandam integram solutionem, cum ad pinguiorem fortunam pervenerit: *Ratio est:* quia leges concedentes cessionem bonorum non intendunt privare creditores jure suo; ideo enim flebile hoc beneficium debitori concedunt, ne incarcerari possit ob debita, quæ solvere nequit; ergo cessante impotentia debitoris cessat excusatio a restitutione.

Nec ignominia, quam affert talis cessio bonorum, potest dici substituta in locum restitutionis, ita ut ad nihil amplius in conscientia teneatur talis debitor; quia tantum est in pœnam contrahentis debita supra vires suas, & ad deterrendos alios, ne nimis faciles sint in contrahendis debitis. *Laym.* l. c. n. 6.

785. IV. Restitutionis obligatio omnino tollitur 1. per *perpetuam impotentiam*, ut patet ex dictis. 2. Per *interitum rei justè acceptæ, & in individuo debitæ*, ex supposito, quod eodem modo peritura fuisset apud Dominum: secus si per injustitiam eripuisses rem alienam; non enim periisset, nisi abstulisses, ergo censetur culpa tua periisse. 3. Obligationem restitutionis penitus tollit *remissio creditoris libera, & non extorta vi, aut metu, vel fraude*: Creditor enim (ubi non obstat specialis exceptio juris) est Dominus rei: ergo illam potest donare debitori; ergo hoc ipso cessat obligatio restituendi; Secus si vi, vel metu, vel fraude, tunc enim non est donatio libera, & creditor manet rationabiliter invitus. 4. Tollitur obligatio *per compensationem factam vel ipsi creditori*, si is æquali debito tibi aliunde fuerit obstrictus, *vel creditoris creditori*, quo modo saltem in conscientia solvitur debitum, licet ea non semper valeat in foro externo. 5. Tollit obligationem *authoritas juris*, ut patet in legitima præscriptione. Quomodo excusetur ingressus religionis, supra dictum in præcepto 4. Decal.

AR-

ARTICULUS III. & longissimus.

Resolvuntur Casus de Peccatis caudatis.

§. I.

De variis furtis.

Casus I.

Cæsarius confitetur. 1. Furatus sum. 2. Nuper aliquid surripui Cajo ex joco, non autem animo retinendi. 3. Plene ebriatus alterius pixidem tabacariam auream abstuli, quam ebrius contra voluntatem amisi. 4. Alias sæpe modicum abstuli.

786. *Quæst.* I. Quid Confessarius ad primum? R. Quærat, an quantitatem notabilem surripuerit? ut peccati gravitatem agnoscat; item an rem sacram vel de loco sacro? denique cognito numero furtorum de restitutione prudenter sit sollicitus.

787. *Quæst.* II. Quomodo confessarius peccet errans circa restitutionem? R. 1. Si *positive* cum gravi culpa, non discussa prius causa; nec perpensis circumstantiis vel per crassam ignorantiam deobliget pœnitentem ab onere restitutionis, cum tamen sit restituendum, v. g. absolute dicendo, non esse restituendum, tenetur Confessarius in defectum pœnitentis ipse restituere; quia tunc positive concurrit ad damnum injustum, nisi postea in confessione alia adhuc posset monere pœnitentem, quod teneatur ad restitutionem. Ideoque non erubescat Confessarius (antequam casus intricatos de restitutione ultimato resolvat) denuo ad se vocare pœnitentem, & jubere, ut in proxima confessione omnes circumstantias clare explicet; ipse interim probatos AA. consulat, ut possit juvare pœnitentem. R. 2. Si vero solum negative se habeat v. g. tacendo, & non imperando restitutionem, ad summum peccat contra officium suum, vi cujus tenetur procurare bonum sui pœnitentis; non autem tenetur ex justitia procurare bonum temporale tertii, aut impedire illius damnum temporale, sicut ad ea ex officio tenetur judex sæcularis. *Suarez* 3. p. tom. 4. Diss. 32. Sect. 6. *Laym.* l. 3. t. 4. c. 7. n. 6. *Bonac. Leonardelli* casu 29. q. 2. Contraria sententia *Nav. Rosell.* pro praxi est nimis dura.

788. *Quæst.* III. An Cæsarius peccaverit auferendo aliquid ex joco? R. *per se* loquendo non peccavit; quia tunc proximus non censetur esse invitus; peccasset tamen, si ex ablatione jocosa prævidisset Cajum ad gravem iracundiam, blasphemias &c. excitatum iri. Nec licet diu retinere res jocose ablatas, quia alias præbetur occasio suspicionum, rixarum &c. Pariter non censetur furari, qui aliquid surripit ab amico, non dubius, quin id ab illo acciperet, si peteret: quia sic non surripitur aliquid

Domino invito. Si tamen prævideatur, invitus fore saltem quoad modum, peccatur contra Charitatem. Si postea resciat, amicum esse invitum quoad substantiam, scil. quod hæc vel illa res contra voluntatem sit ablata, debet restitui illa; quia tunc reipsa committetur injustitia, detinendo rem alienam, invito rationabiliter Domino, quamvis antea per errorem non putarit, ablationem esse injustam. *La Crix* l. 3. p. 1. n. 946.

789. *Quæst.* IV. An Cæsarius peccaverit graviter peccato furti, in ebrietate auferendo pixidem pretiosam? R. Si plene ebrius fuerit, non peccavit; quia ablatio non fuit voluntaria, nec libera; hinc etiam non tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis. 1. Quidem non ex re accepta, cum ea non amplius extet: 2. Nec ex injusta acceptione: hæc enim non fuit voluntaria; secus, si intendisset prius in ebrietate auferre aliquid; tunc enim volens ebrietatem cum tali animo conjunctam etiam censeretur voluisse furtum.

790. Eodem modo, qui alteri infert damnum in ebrietate, tenetur illud reparare, si illud vel intenderit, vel probabiliter præviderit; volens enim ebrietatem cum tali damno conjunctam interpretative vult ipsum damnum. Si vero non prævideret, aut moralem diligentiam ad illud præcavendum adhibuerit, non obligatur ad reparationem damni ante sententiam judicis, quia illud nullo modo ipsi fuit voluntarium.

791. *Quæst.* V. Quid confessario agendum, si pœnitens se accuset, quod furatus sit modicum? R. Interroget 1. an habuerit animum aliquid gravius, vel plura auferendi, si fuisset occasio? tunc enim in executione quidem non peccavit graviter, sed in intentione & affectu contra decimum præceptum: nam juxta c. ult. causa 14. q. 6. ex *S. Hier.* in Epist. ad Tit. c. 2. *Fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur; non enim id, quod furto ablatum est, sed mens furandi attenditur*, scil. in foro conscientiæ. Monet hic P. *Laym.* l. 3. t. 3. p. 1. c. 1. n. 3. Si quis modicum auferat, sciat tamen, Dominum ea re valde delectari, qualis est imago rara, artificiosa, flos rarus, cujus pretium illi ignorant, &c. ita ut ex amissione capturus sit magnam tristitiam; hoc casu talis peccabit graviter non quidem in genere furti gravis, sed potius contra charitatem; quia, ut supponitur, auferens non infert grave damnum in rebus fortunæ.

2. Quia Cæsarius addidit: *sæpe modicum abstuli*, quærendum, an pervenerit ad notabilem quantitatem, sic enim graviter obligatur ad faciendam restitutionem. Vide propos. 38. *ab Innoc.* XI. damnatam, item, an in singulis furtis parvis habuerit animum, notabilem quantitatem auferendi, tunc distinctis moraliter vicibus peccavit graviter.

792. *Adverte*: Major quantitas regulariter requiritur (scil. plus

plus dimidio, ut ait *Babenſt.* t. 4. d. 5. a. 5. n. 26.) ad peccatum mortale per furta parva conſtituendum, ſive quis ſucceſſive ab eodem, ſed longiore interpoſita mora, ſive a diverſis modicum furetur; quam eſt illa quantitas, quæ ſimul ab eodem ablata mortale conſtituit: quia Domini non ſunt tam graviter inviti ob furta levia ſucceſſive facta, ſicut ordinarie ob quantitatem notabilem uno furto ablatam; ita *Sanch.* præcipue vero hæc ratio tenet, ſi modica ſurripiantur a diverſis. *Laym.* L. 3. t. 3. p. 1. n. 6.

Casus II.

Conradus ſartor ſubinde plus panni exigit, quam requiratur ad veſtem conficiendam; alias ſæpe retinet diverſa fragmenta pannorum, fimbriarum, & filorum, quæ a veſtibus confectis ſuperſunt partim in compenſationem occultam, partim ut ſe indemnem ſervet, & in complementum mercedis alioquin debitæ.

793. *Q.* I. Quid agendum Confeſſario, dum in genere ſe accuſat ſartor: fragmenta panni retinui? R. quærendum eſt: an ſint notabilis pretii? ſic per ſe loquendo peccavit graviter. *Si reſpondeat ſartor:* juſtam mercedem non accipio a Dominis, nec tamen ſine gravi damno laborem poſſum recuſare, quia Dominus ex Sartorum copia decem pro me uno facile reperiet; & ſic me, meoſque alere non poſſem. Si vere res ita ſe habeat; excuſant ejuſmodi opificem a peccato, & reſtitutione, *Sanchez*, & *Sporer* hic n. 68. vide dicta de compenſatione occulta. Si vero Sartor juſtum pretium a Domino accipiat, nec aliunde debitum ab eo non ſolutum reſtet, non excuſatur a furto, nec a reſtitutione; quia ſic alienum retineretur rationabiliter invito Domino. Si vero fragmenta tantum exigua ſint, veluti pro derelictis haberi ſolent, adeoque licite retinentur; quia tam modica & exigua prudenter judicantur non curari a Dominis, *Stoz*, *Herzig*, P. 2. n. 376.

794. *Q.* II. Quomodo peccaverit Conradus plus panni exigendo, quam opus ſit? R. Si id exegerit eo animo, ut habeat, quod ſibi retineat ſine juſto titulo, peccavit graviter, vel leviter, prout levis, vel gravis pretii fragmentum retinuit. Si vero bona fide plus exegerit, nec intenderit retinere quidquam, non peccavit quidem, notabile tamen fragmentum, quod ſupereſt, tenetur reſtituere.

§. II.

Casus III.

De furtis domeſticorum.

Cæcilia uxor Colmanni prædivitis civis, ſed valde ferocis,

quoties pecuniam ab eo petit pro honesto vestitu filiarum, pro medicamentis filiorum ægrotorum, bilem leoni movet: hinc clam ex bonis communibus accipit, quidquid sibi, & familiæ ad honestas vestes, & alios usus est necessarium: item contra voluntatem Colmanni distribuit eleemosynas. Denique etiam tantundem sibi a bonis communibus reservat, quantum scit male expendi a marito.

795. *Q.* I. Quotuplicia sint bona conjugum? R. quadruplicia: 1. *Dos*, sive illa bona, quæ uxor dat viro ad sustinenda onera matrimonii; hujus dotis dominium naturale habet uxor, dominium vero civile, seu usumfructum, & administrationem maritus. 2. Bona uxoris *paraphernalia* scil. illa, quæ uxor præter dotem marito allatam ex hæreditate, legato, aut labore familiæ non debito acquirit: quorum dominium, ususfructus, & administratio est penes uxorem, nisi consuetudo loci aliud ferat. 3. Sunt bona *antiphernalia*, sive contradotalia, quæ maritus assignat in recompensationem dotis; horum dominium, & administratio est penes maritum, ususfructus pro consuetudine loci vel penes maritum, vel simul penes uxorem. 4. Sunt *bona communia*, & superlucrata, quæ durante matrimonio accedunt ex communi labore & industria, quorum medietas quoad jus, ad maritum, & medietas ad uxorem spectat. De his vide Jurisconsultos. Item *Gobat*, *La Croix* L. 3. p. 1. n. 1020.

796. *Q.* II. An Cæcilia peccaverit clam accipiendo ea, quæ sunt necessaria ad honestum vestitum, & sustentationem familiæ? R. Non peccavit: quia circa ista maritus non potest esse rationabiliter invitus, imo ipse tenetur congrue sustentare uxorem, & proles. Peccant vero illæ uxores, quæ invito marito nimias faciunt expensas, ad filias ultra conditionem vestiendas, quia tunc rationabiliter maritus est invitus; docet quotidiana experientia, quod sæpe uno die plus in luxum vestium impendatur ab uxoribus, quam mariti possint suo labore lucrari per integrum annum; inde contingit, ut filiæ civium extra domum paternam circumornatæ vestimentis nobilium appareant, domi vero sæpe prandio mendicorum contentæ esse cogantur.

797. *Q.* III. An Cæcilia peccaverit distribuendo eleemosynas contra voluntatem mariti? R. Non peccavit servato moderamine status, scil. elargiendo, quantum aliæ ejusdem status uxores juste solent elargiri. *Ratio est*: quia ipsa consuetudo ipsi tribuit hoc jus, quo eam non potest privare maritus, nisi ipse velit satisfacere huic Christianæ obligationi. *Confirm.* Uxor non est mancipium, sed socia viri; ergo non est plane expers administrationis domesticæ, etiamsi sit viro tanquam capiti subjecta, ne quid inordinate, aut superflue faciat. Ita *Dicastilio* l. 2. tract. 2. D. 9. *Molina* T. 2. S. 2. D. 274. *Dixi*, *servato moderamine status*: si enim invito marito, vel non prudenter præ-

præsumpta inscii voluntate ultra statum suum in eleemosynas, donationes, itinera &c. notabilem summam ex bonis, quæ subjacent administrationi viri, impendat, peccat graviter; quia hoc modo prudenter invitus est maritus; & nisi mariti invigilarent, plurimæ familiæ perirent ex nimia uxorum licentia.

798. *Q.* IV. An Cæcilia peccaverit, & teneatur ad restitutionem, clam ex bonis communibus tantundem sibi reservado, quantum scit a marito male impendi? R. Non peccavit, saltem ubi per consuetudinem loci certum jus habet ad medietatem bonorum communium; quia hoc modo nihil aliud fecit, quam ut se servaret indemnem; nec proprie potest dici rapere aliena; juxta alios ad summum uteretur licite compensatione occulta, vide *Zetl.* de restit. p. 3. Instruct. 6. q. 1. Dico II. cum *Molina*, *Dicast.* contra *Nav.*

799. Porro resolves I. Non peccat uxor, per se loquendo, si accipiat aliqua, quæ maritus facile ac certo concederet, si rogaretur; tunc enim adest licentia præsumpta, & justa causa non petendi, ne se ostendat velut ancillam. Item *Jansen.* Cas. 30. n. 6. cum *Molina*. II. Similiter quando Maritus dilapidat bona propria uxoris, aut communia, peccat graviter contra justitiam cum onere restitutionis ex bonis propriis; id quod notandum a Confessariis, ne habituatos lusores, bibulos &c. facile absolvant, nisi data fide de corrigenda prava ac pernicioſa consuetudine. III. Juxta *Leonardelli casu* 2. n. 8. cum *Diana Lug. Less.* & aliis uxor vidua, si sit pauper & non dotata, post mortem mariti potest tantum subtrahere, quantum sibi ad necessariam sustentationem necessarium est, quia parens ex jure naturæ tenetur alere proles, & uxorem. Vide *Haun.* t. 6. c. 8. n. 501.

Idem *Leonard.* cas. 16. n. 88. cum *Sanch. Bonac. Laym.* & alii ait non peccare uxorem, si post mortem mariti, qui antea plura contraxit debita, quam sit solvendo, clam quædam ex illius bonis subtrahat pro necessaria sui, & liberorum alimonia, ex suppoſito, quod ex propriis bonis dotalibus non habeat, unde se, & suos liberos alat; in tali enim casu maritus moriens censetur bona sua relinquere creditoribus, & sicut ipse, si feciſſet in vivis hanc cessionem bonorum, potuiſſet licite pro foro conscientiæ aliqua occultare, quibus se & familiam *parce* sustentaret, ita idipsum licite p.o foro conscientiæ talis uxor post mortem mariti potest facere; æquum enim non est, ut uxor, & filii repræsentantes personam patris omni sustentatione priventur; unde nec creditores possunt esse rationabiliter inviti. Idem n. 89. affirmat, talem uxorem non obligari ad præstandum juramentum, quod nihil subtraxerit; si vero cogatur, posse eam affirmare, a se nihil fuisse sub-

tractum, intelligendo, *injuste*, vel *quod tibi in his circumstantiis teneor dicere*, judex enim *non interrogans juridice*, non interrogat tanquam superior, sed tanquam persona privata, cui nemo tenetur *per se* pandere crimen occultum, quod non est famosum, aut semiplene probatum. Vide dicta n. 537. de *Jurament.*

800. IV. De obligationibus reparandi damna, & restituendi ex fornicatione *Laym.* l. 3. de just. Tr. 3. P. 3. tradit sequentia. *Primo* C. 13. n. 2. ait, quod stuprator virginis consentientis, si nullum dolum, vim, aut injusti metus incussionem adhibuit, nullam vel ipsi vel parentibus ejus restitutionem damni in conscientia facere teneatur; eoquod neutri injuriam intulerit: *Non consentienti puellæ*, volenti enim non fit injuria; *non parentibus*, quia filia non est possessio parentum, sed illa liberum corporis sui usum habet. Ibid. excipit casum, si stuprator, cum facinus occultum esset, puellam non sine injuria infamasset, tunc enim teneretur damnum inde secutum filiæ, & parentibus ejus resarcire: Item si judex in foro externo condemnet ad pœnam solvendam. *Secundo* ait: Qui stuprum puellæ per vim infert, contra justitiam peccat, & omne damnum, quod inde provenit, in conscientia tenetur restituere. Idem dicendum, si eam per fraudem induxit v. g. falsis pollicitationibus, vel per precum importunitatem conjunctis minis, secus est, si eam ordinariis blanditiis induxerit: quia sic libere consensit. Ordinarie autem damnum compensatur, si eam vel ducat, vel dotet, ut æque honestas nuptias adhuc consequi possit: ibid. affirmat, quod corruptam non teneatur absolute ducere ante judicis sententiam, nisi sub pollicitatione matrimonii vel vera vel ficta eam ad fornicationem induxerit. De hoc in P. II. *Tertio* ibid. n. 4. asserit, si puella ob illatum stuprum per vim, fraudem &c. nullum aliud damnum passa fuit, puta si facinus occultum mansit, & illa æque honesto viro nupserit, probabile esse, ad nullam restitutionem obligari stupratorem ante judicis sententiam; eo quod tunc puella nullum damnum passa censeatur, præter virginitatem deperditam, quod damnum reparabile non est, nec pecunia æstimabile.

801. V. De obligatione adulteræ docet idem *Laym.* l. c. c. 14. *Primo*, quod adultera enixa prolem spuriam, quæ publice existimatur legitima, ordinarie non sit obligata facinus manifestare, ad avertendum damnum mariti, & legitimarum prolium. Arguitur ex c. *Officii* 9. L. 5. tit. 38. de pœnit. & remiss. ubi *Innoc. III.* respondet, quod adulteræ pœnitentia non sit deneganda, quamvis adulterium nolit manifestare marito: atqui si teneretur manifestare, nolenti manifestare esset deneganda pœnitentia: ergo. Idem tenet *Gabriel*, *S. Antonin.* *Cajet.* & alii. Et *Ratio* est: quia hæc obligatio esset nimis difficilis,

pa-

parum utilis, & plus noxia: Adde, quod proles ſpuria, quæ hactenus fuit in poſſeſſione legitimæ nativitatis, matri aſſerenti, ſe ex adulterio conceptam eſſe, fidem habere non teneatur, niſi liquidis & indubiis probationibus id oſtendat, puta quia tempore conceptionis maritus abſens fuiſſe certo cognoſcatur. Ut docet gloſſa in cit. c. officii. Verb. *deneganda*. 2. Tenetur tamen adultera operam dare, ut marito, legitimiſque prolibus quantum fieri poteſt, illatum damnum compenſetur, ſcil. rem familiarem diligentius adminiſtrando; de cultu corporis ſui & ſumptibus detrahendo; ſi habeat bona propria, plus liberis legitimis, quam ſpurio, relinquendo: & ſi hæc non ſufficiant, ſuadendo, ut ſpurius renuntians hæreditati vel in totum, vel ſecundum partem, ſtatum Eccleſiaſticum, vel Religioſum amplectatur, ſi idoneus ſit. Affirmant quidem graves AA. cum *Abbate*, *Silveſt.*, & *Molina*, quod teneatur adultera per ſe vel per alium ſignificare ſpurio natalium defectum, ſi ſperet, id fieri poſſe bono ſucceſſu, & ſine majore vel ſuo, vel filii ſecuturo damno; *Laymann* tamen ſubjungit, in praxi raro ejuſmodi obligationem adulteræ imponendam eſſe, ſi res alioquin occulta ſit. Ibid. contra *Mol.* & *Vaſq.* reſolvit, filium ſpurium non eſſe obligatum in conſcientia, ut hæreditate abſtineat, etiamſi mater fide digna illegitimam nativitatem manifeſtet, ſufficientibus tamen indiciis non probet, eoquod jure gentium, boni communis cauſa, introductum eſſe videatur, ad multas hominum aſtutorum fraudes, vitandas, ut nemo unius, quamvis minime ſuſpecti hominis, teſtimonio debeat credere in grave ſuum præjudicium; id quod confirmat ex c. *cum a nobis* de teſtibus.

Denique ibid. cum *Molina* affirmat quidem, adulteram obligari ad revelandum, quotieſcunque ex eo, quod ſpurius pro legitimo habetur, majora vel æqualia damna aliis ſecutura ſunt, quam ſit damnum infamiæ ſpurio vel adulteræ inde oriturο, ſi defectus natalium palam oſtendatur, ſcil. ſi fama adulteræ, ipſiuſque filii jam ante læſa fuit: negat tamen obligandam eſſe, ſi ex crimine plane occulto integra gaudeant fama. Excipit ibid. caſum rarum, ut ſi agatur v. g. de ſucceſſione in regno, vel ducatu, & ſpurius ſit peſſimis moribus imbutus, legitimus autem filius, cui reipſa hæreditas debetur, reipublicæ valde utilis futurus ſperetur.

802. VI. Adulter, ſi ex ſufficientibus indiciis, & dictis adulteræ ſciat, prolem ex ſe genitam eſſe, tenetur in conſcientia reſtitutionem facere imprimis patri putatitio, qui ſpurio alimenta præſtitit, vel filiæ ſpuriæ dotem dedit, præterea debet compenſare damnum reliquis liberis legitimis, quod per ſucceſſionem ſpurii patiuntur; quia adulter hujuſcemodi damni cauſa moralis extitit, quando injuſtam actionem poſuit, ex qua

ſua-

suapte natura prolis generatio sequitur, ordinarie conjuncta cum damno mariti & legitimarum prolium. Exceptionem ab hac obligatione vide n. 67. Quid dicendum sit si dubius sit adulter, an proles ex se genita sit, vide n. 66.

Casus IV.

D. Canutus Studiosus annulum pretiosum e cista parentum auffert. 2. Idem pro libris scholasticis neo-impressis duos carolinos a patre petit, cum vix constent duobus imperialibus. 3. Idem singulis annis hucusque notabilem summam præter victum ordinarium consumpsit potando, ludendo &c. pretiosum vero tempus mero otio transegit. 4. Libros, ac vestes sæpe vendidit, & collectum pretium in Symbolas, & liberrimam vitam impendit.

803. *Q.* I. Quid sit observandum circa furta filiorum? R. Peccant filii, si Patre invito aliquid surripiant, quod est sub dominio, vel administratione patris. Ut patet ex *Proverb.* 28. cit. supra n. 633. sub fin. & quidem graviter peccant, si tantum surripiant, ut parentes quoad substantiam judicent esse graviter invitos: tenentur etiam ad restitutionem vel ipsius rei ablatæ, si adhuc extet, vel in æquali ex bonis propriis (de quibus infra) si vero talia non habeant, debent deducere in divisionem hæreditatis, ne cæteri fratres vel sorores defraudentur. Excusantur autem a restitutione 1. si fratres cæteri etiam notabilem quantitatem furati sint. 2. Si pater condonaverit. 3. Si pater, & fratres resciant furtum, nec petant compensationem; sic enim censentur condonare. Ut ait *Burg.* Cent. 2. cas. 36.... 4. addunt alii, etiam tum excusari furem filium a restitutione, si parens prudenter præsumatur condonaturus, modo rogaretur, quod præ verecundia non audet; id tamen limitandum est, scil. *modo summa non excedat illam quantitatem, de qua Pater disponere non potest citra gravem diminutionem portionis legitimæ cæterarum prolium.* Ita *Zetl.* p. 1. instruct. 1. de oblig. restit. n. 15.

804. *Q.* II. Quomodo peccaverit Canutus in Casu posito. R. Annulum pretiosum furando peccavit graviter; quia quoad talia furta parentes ordinarie graviter solent esse inviti quoad rem, & quoad modum. 2. Petendo cum palmari mendacio duos Carolinos loco duorum Imperialium *per se loquendo*, etiam graviter peccavit, quia excessus supra necessarias expensas est valde notabilis? Dixi, *per se loquendo*. Quia, cum juxta omnes major quantitas ad furtum filiorum grave requiratur, attendendum est in ejusmodi furtivis petitionibus ad Patris divitias, item an liberalis sit, & quomodo affectus erga filium, præsertim an plures alat proles, ut prudenter possit judicari, quod in his vel illis circumstantiis fuerit graviter invitus.

tus. 3. Consumens notabilem summam præter ordinarias expensas ludendo &c. peccavit itidem graviter, & merito censetur parens graviter invitus non tantum quoad absumendi modum, sed etiam quoad rem ipsam. *Burgh.* l. c. Ex eadem ratione peccavit adhuc gravius vendendo libros, vestes &c. non tantum contra Justitiam, sed etiam contra pietatem erga parentes, quia his injustis vivendi & agendi modis ad iram, & tristitiam moventur. De restitutione, quæ incumbit Canuto, applica ea, quæ dicta sunt num. præced.

„ 805. *Adverte* 1. Filius familias est *filius legitimus*, *qui* „ *nondum est sui juris*, *sed sub patria*, (id est, patris aut pa- „ ternorum ascendentium,) *potestate in ordine ad aliquos effe-* „ *ctus constitutus*, sive sit impubes, sive pubes. 2. *Effectus po-* „ *testatis patriæ* sunt, quod *pater* acquirat Usumfructum in bo- „ nis adventitiis filii: quod loco filii, etiam inviti, adire pos- „ sit hæreditatem filio delatam: quod testamento suo possit „ impuberi assignare tutorem, pupillariterque substituere: quod „ olim potuerit filium in necessitate vendere: quod *filius* fiat „ hæres non tantum necessarius, sed etiam suus: quod sine „ consensu patris aliquas dispositiones nequeat facere &c. 3. „ Quod quadruplicis generis bona possunt competere filiofami- „ lias: 1. *Castrensia*, quæ filius ratione militiæ sagatæ acqui- „ rit; talia sunt stipendia militum, prædæ ex hostibus, dona- „ tiones &c. item quod filius in famulatu Principis lucratur. „ 2. *Quasi castrensia*, quæ filius ratione togatæ militiæ acqui- „ rit; v. g. ex publico officio Doctoris, Consiliarii, advoca- „ ti, medici, Judicis, item ex functione Sacerdotii, vel cle- „ ricatus. Horum & priorum bonorum, filius, si sit pubes, ha- „ bet & dominium *naturale*, seu proprietatem, & *utile*, quod „ hic per usumfructum intelligitur, & *civile*, seu administra- „ tionem, vindicationem &c. 3. *Bona profectitia*, quæ filius „ accipit a Patre, vel intuitu patris, vel quæ ex rebus & sub- „ stantia patris negotiatione, opera, industria lucratur: ho- „ rum Pater habet plenum & triplex hoc dominium. 4. *Bo-* „ *na adventitia*, quæ filio adhuc sub patria potestate consti- „ tuto, a matre, materna linea matrisque intuitu, aut aliun- „ de hæreditate, donatione, fortuna e. g. inventione Thesauri, „ adveniunt; horum pater habet usumfructum, & administra- „ tionem, filius proprietatem, & hoc dicitur *Regulare*, *& or-* „ *dinarium*; quandoque filius proprietatem, usumfructum, & „ administrationem, e. g. si filio cum hac conditione donatum „ est ut etiam usumfructum habeat: si filius una cum patre „ fit hæres fratris sui ab intestato &c. & hoc dicitur adventi- „ tium *irregulare*, *& extraordinarium*. Ex quibus patet, dari „ posse justitiam commutativam inter patrem & filium, si con-

side-

„ siderentur quoad sua bona fortunæ & famæ &c. licet quo-
„ ad gubernationem, & educationem paternam, obedientiam
„ & amorem filialem fictione juris considerentur ut una per-
„ sona.

Corroll. 1. Filiusfamilias *impubes* non potest facere ullam dis-
„ positionem circa bona etiam cum consensu patris; sed re-
„ quiritur decretum Magistratus, in quo differt a pupillo ha-
„ bente consensum tutoris in mobilibus non adeo pretiosis. 2.
„ *Pubes* vero potest facere dispositiones de bonis Castrensibus
„ quidem, & quasi Castrensibus per contractus, donationem
„ mortis causa, & testamentum sine consensu patris: de ad-
„ ventitiis irregularibus autem per contractus, & donationem
„ mortis causa, non item per testamentum; de regularibus ve-
„ ro nullas; multo minus de profectitiis; quia dispositio sine
„ patris consensu præjudicaret in ultimis duobus juri reali pa-
„ tris. 3. *Majorennis* tamen, disponens sine consensu patris in
„ adventitiis regularibus, obligatur personaliter in tempus ha-
„ bile; hoc est, ut alienet bona vi præsentis dispositionis tunc,
„ cum postea erit sui juris; dum Minorennis nec personaliter,
„ nec realiter obligetur, hæcque deobligatio sit probabilius tam
„ *civilis*, ut pro foro externo conveniri non possit; quam *na-*
„ *turalis*, ut etiam in conscientia non obligetur, ad contra-
„ ctus quidem alios *conditionate*, nisi inde factus sit ditior;
„ ad mutuum autem vi senatus consulti Macedoniani *absolute*,
„ etiamsi ex mutuo factus esset ditior, aut nummi mutuo ac-
„ cepti extarent, ut Haunoldus, Ininger *lib. de dominio*, cum
„ aliis probat. *De pupillis & minoribus dicetur infra post n.* 891.

806. *Q.* An si pater filio in domo paterna instar famuli la-
boranti non det salarium; filius possit illud sibi clam surripe-
re? R. *Negative*, quia occulta compensatione uti non licet,
nisi debitum sit certum, certum autem non est, sed tantum
probabile, quod ipsi salarium ex justitia debeatur. *Sylvest.*
V. peculium, *Pet. Navarrus*, *Laym.* l. c. n. 12. Si tamen e-
jusmodi filius assiduus in domo patris subinde aliquid peculii
pro honesta recreatione surripiat, non videtur ad restitutionem
facile esse obligandus, eoquod pater prudenter possit præsu-
mi, illam condonare, nec esse solet invitus, nisi quoad mo-
dum.

Casus V.

*Celerina ancilla sæpe unum, alterumve crucigerum ex Heri pe-
cunia retinet: 2. Dum nuper fregit vitrum pretiosum, subtracti
ab hero fuerunt de salario duo floreni, ideoque usa est occulta com-*

pen-

pensatione, uti & alias ob salarium tenue. 3. Eadem sæpe clam absumit varia esculenta, & poculenta, illa sæpe donat tum pauperibus, tum iis, a quibus subinde juvatur in laboribus domesticis; quædam etiam vendit.

807. *Q.* I. Quomodo *Celerina* peccet, toties retinendo sibi crucigeros? R. Si notabilem quantitatem sibi acquirere intenderit, peccat singulis furtis graviter, ex dictis. Si vero id non intenderit, sed tamen jam retinuerit notabilem quantitatem, etiam ultima acceptio parva est peccatum grave, *si in hac ultima acceptione meminerit præcedentium furtorum, & agnoscat summam notabilem*; & sic etiam ratione injustæ acceptionis tenetur sub gravi peccato ad restitutionem; quia per ultimum frutum completur acceptio integra in ratione acceptionis gravis, & Dominus tunc graviter damnificatur, & rationabiliter est invitus. *Suar.* l. 3. de LL. c. 28. *Covarruv.* t. 2. var. resol. l. 1. c. 3. n. 12. *Haunold.* t. 1. tr. 4. n. 156. *Zetl.* p. 1. Instr. 6. n. XVII. vide *Burgh.* Cent. 1. cas. 32. *Cardenas* id probat ex propos. 38. ab Innocent. XI. damnata. Si tamen Famuli & Ancillæ ante ultimam acceptionem seriam habeant voluntatem subtracta levia compensandi ex sua mercede, aut, cum ab heris discessuri sint, humiliter rogandi, ut ejusmodi damna condonentur, a gravi peccato excusantur, quia tunc ultima acceptio nullam amplius cum prioribus habet connexionem, ut ait *Stoz* l. 1. p. 3. n. 450. Nihilominus famuli ab ejusmodi furtis in confessionali omnino absterrendi sunt, etiamsi prædictas excusationes afferant, quia plerumque restitutionem impedit oblivio, vel verecundia vel cupiditas integræ mercedis, ita *Molina*.

Dixi: si meminerit in ultima acceptione præcedentium furtorum levium &c. Si enim plane immemor fuerit, non quidem peccavit graviter; quia a gravi peccato excusat inadvertentia; tenetur tamen sub gravi ad restitutionem, quamprimum agnoscit notabilem quantitatem, jam a se esse injuste acquisitam. *Tambur.* l. 8. t. 3. c. 2. §. 5. *Confirm.* ex damn. 38. cit. Regulariter tamen plus requiritur ad notabilem quantitatem in domestico, quam in extraneo, quia Dominus circa illum censetur esse minus invitus, quam circa extraneum.

808. *Q.* II. An Celerina licite fuerit usa occulta compensatione? R. Si citra propriam culpam fregerit vitrum, non tenebatur ad restitutionem, ergo licite usa est compensatione, si adfuerint necessariæ conditiones. Secus, si ex ira & studiosa malitia fregerit. *Burghab. Cent.* 1.

809. *Q.* III. An ob tenue salarium licite compensatione occulta usa fuerit Ancilla? R. Per se loquendo *Negative*. Patet ex propos. 37. ab *Innoc. XI.* damn. cum *Lug.* & *Lessio*. *Ratio*

tio est: quia herus habet in res suas jus certum: ergo non potest per jus incertum famulorum deturbari. *Conf.* Quia alias famulis ingens daretur licentia dominos defraudandi. *Vasq.* de Restit. c. 6. n. 83.

Sed quid? si famulus coactus sit paciſci pro inæquali, & valde tenui salario? R. Si sit coactus ab intrinseco v. g. ob paupertatem suam, tunc non potest sibi compensare; quia cessit juri suo. Secus, si fuerit coactus ab extrinseco. Vide *Card.* hic D. 23. n. 65.

810. *Adverte*: Salarium *justum* est. 1. Si alii eodem pretio servire parati sint. 2. Si ipse famulus Dominum pro servitio rogavit, contentus constituto salario. 3. Si famulus partem salarii sponte remiserit. *Viva* hic n. 6.

811. *Q.* IV. Quomodo peccaverit Celerina clam absumendo esculenta & poculenta, aliis ea dando, vendendo &c. R. *ad primum*. Si successive & in modica quantitate residua & ordinaria esculenta, vel poculenta consumpserit, non peccavit mortaliter; quia omnes fere Patresfamilias optime norunt, cibos ac potum non tam fideliter custodiri, ut ii, quibus concreditæ sunt res domesticæ, fere quotidie non aliquid subtrahant; ideoque spectata humana fragilitate non tam inviti sunt circa hæc quoad substantiam; quam quoad modum. Ita *Laym.* l. 3. t. 4. p. 1. c. 1. n. 5. *Dixi*, *esculenta residua &c.* Si enim ancilla vel famulus auferret cibos integros, vel residuos pretiosos, quos Dominus cupit asservari, vel si quotidie e cella acciperet vinum pretiosum, aut in loco, ubi vinum rarum & carum est, peccaret graviter, dum ad notabilem quantitatem perveniret; quia in his Dominus etiam quoad substantiam rationabiliter est invitus. Denique si certa quantitas cibi ac potus pro singulis diebus porrigatur famulis, *per se loquendo*, famuli non peccant contra justitiam, vendendo portionem residuam, vel quam sibi ipsis subtrahunt; quia sic non vendunt rem domini, utpote quæ per traditionem spectat ad servos; peccant vero contra justitiam, vendendo portionem sibi determinatam, si nihilominus aliunde esculenta, & poculenta clam a domino surripiant, & consumant; sic enim consumunt vere rem alienam Domino rationabiliter invito. Si vero nihil subtrahant, & nihilominus vendant portionem sibi assignatam contra expressam prohibitionem domini, peccant saltem venialiter contra obedientiam domino debitam; hoc bene notetur etiam pro iis, qui degunt in hospitalibus. R. *ad secundum*. Celerina non peccat dando residua esculenta ordinaria pauperibus vel indigentibus amicis, aut illis personis, quarum opera subinde in negotiis domesticis adjuvatur, quibus illa obeundis vix par est; quia neque in his Dominus censetur rationabiliter invitus; imo præsumendum est, quod prudens Dominus potius velit, ut residua, & modica

dica esculenta dentur pauperibus, quam ut ex negligenti incuria ancillarum pereant. Peccat vero ancilla graviter, & tenetur ad restitutionem; si extraneis justo liberalius esculenta donet; gravius adhuc peccat, si illa aliis vendat, & pecuniam in usum suum convertat. Ita *Laym.* l. c. *Amicus* de *Just.* t. 38. n. 51. *Ratio Primi est*, quia nulla rationabilis causa est, quod Domini illis, quibus nullo titulo obstricti sunt, esculenta sua liberalius dispensari permittant, ergo merito & rationabiliter sunt inviti. *Ratio secundi*. Quia debitum ancillæ statutum est salarium, & neutiquam ullo pacto tacito contractum est cum ancilla, ut e rebus domini diteſcat. Quid? quod Dominus ejusmodi venditiones facile permitere nequeat, eoquod ancillæ & famuli lucro inhiantes ex conniventia facile arriperent occasionem plurima vendendi cum ingenti damno Dominorum. Ex hoc capite illæ ancillæ peccant graviter, quæ Netrici, Sartori, aut Sutori compensare solent mercedem ex poculentis & esculentis domini pro vestibus suis, vel calceis refectis, quæ ad plures ordinarie florenos ascendit. Ita *Zeil.* l. c. n. IX. *Sed quid? si non possit restituere in ære?* R. Tenetur extraordinaria industria adhibenda conari compensare damnum, quantum potest.

Juxta *Burghaber* Cent. 3. cas. 92. famuli e bonis Domini licite aliquid pauperibus largiuntur 1. in extrema necessitate. 2. De rebus sibi ad victum concessis, si paucioribus contenti laboribus suis adhuc commode possint fungi. 3. Si detur modicum quid, non admodum frequenter. 4. Quoties adest Domini consensus, saltem interpretativus, scil. si videat, aut sciat Dominus, & non contradicat. 5. Si prudenter speretur ratihabitio Domini. 6. Si Dominus non possit esse rationabiliter invitus v. g. quia alias res male perirent. Si istæ aliæve justæ conditiones desint, famulis non licet ex bonis Domini dare eleemosynam, hæc enim facienda est ex bonis propriis, non alienis; quia injustitia non est committenda, ut charitati subvenias, ut ait *S. August.*

§. III.

De variis titulis Restitutionis.

Casus VI.

Cajetanus emit, & possidet bona fide prædium rusticum ex domo, agris, & vineis constans: domum ruinosam pro commoditate sua immutat; agros hucusque steriles, & vineas pinguiores facit, & copiosos inde fert fructus. Idem frumenta a Callisto emit, & alio deportat, ubi majori pretio ea vendit: postea certo experitur, prædium illud de jure pertinere ad Carpophorum, frumenta vero ad Clarentium, a quo fuerant furto ablata.

812. *Q.* I. Ad quam restitutionem teneatur Possessor *bonæ fidei?* R. Talis possessor postquam *certo* cognoscit, rem, quam hactenus possedit, esse alienam, tenetur eam restituere, si adhuc extet; si vero eam bona fide consumpsit, destruxit, vel alienavit & postea experiatur, eam fuisse alienam, non tenetur restituere, præter id, in quo ratione rei alienæ factus est ditior, nisi quoad hoc legitime præscripserit. Dixi 1. *postquam certo cognovit*: Si enim rem ulterius detineat, postquam certo cognovit, eam esse alienam, tunc incipit esse possessor malæ fidei; quia ulterior detentio (ex supposito quod sit occasio restituendi) æquivalet injustæ acceptioni; ideoque si interim res pereat, etiam citra culpam, tenetur ad restitutionem, quia censetur esse in mora culpabili, ut ait *Lessius* de Just. l. 2. c. 14. dub. 1. n. 2. *Dixi* 2. *Si vero eam b. f. consumpsit &c.* Quia non tenetur restituere ex injusta acceptione (supponitur enim possessio b. f.) neque ex re accepta, quia supponitur, eam nec in se, nec in aliquo ejus effectu habere, nec potest assignari alius titulus; ergo. *Confirm.* ex l. *item veniunt* 20. §. *præter hæc* ff. de hæreditatis petitione. *Dixi* 3. *Præterquam id &c.* Quia id, in quo factus est ditior, succedit, quoad valorem & effectum rei acceptæ, ergo res accepta hac ratione merito dicenda est extare apud possessorem b. f. in æquivalenti; si enim rem b. f. acceptam non habuisset, modo haberet minus ex suis bonis, quam habet (hoc est fieri locupletiorem ex re aliena) ergo cum rem ipsam non possit restituere; æquum est, ut restituat id, quod in locum rei successit, & ex quo factus est ratione rei acceptæ locupletior.

Q. II. An bonæ fidei possessor teneatur restituere fructus ex re aliena perceptos? ante Resp.

813. *Nota*: Fructus alii dicuntur *naturales*, qui ex ipsa rei substantia sine ulla fere, vel modica hominis industria proveniunt, ut gramina, fructus arborum, fœtus animalium &c. alii *industriales*, qui non proveniunt ex ipsa rei natura, sed potissimum ex industria hominis re illa utentis tanquam instrumento, qualia sunt lucra ex negotiatione pecuniæ, quæ de se est res sterilis, item ex frumento &c. Alii *mixti* qui quidem ex ipsa rei substantia proveniunt, non tamen sine notabili industria hominis, ut segetes, uvæ, caseus, butyrum &c. hisce prænotatis.

814. R. Possessor b. f. tenetur fructus *naturales*, & *mixtos* ex re aliena perceptos restituere, si adhuc extent, vel quatenus inde factus est locupletior, *nisi legitime præscripserit*, scil. expleto triennio circa bona mobilia: fructus autem *industriales* non tenetur restituere. Ita *Laym.* l. 3. t. 2. c. 3. & *Comm.* Ratio primi est: tum quia quævis res fructifera domino suo fructifi-

ctificat, apud quemcunque illa existat: tum quia tales fructus sunt adhuc aliquid illius rei: ergo. *Confirm.* ex l. 22. c. de rei vindic. *Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus cum ipsa re solere præstare; bonæ fidei vero extantes.* NB. Potest tamen inde subtrahere expensas non tantum *necessarias*, & *utiles* (scil. sine quibus res vel periisset, deterior saltem reddita fuisset, vel fructus in tanta copia, & bonitate non protulisset) imo etiam *voluntarias*, vel *voluptuarias*, ad æstimationem laboris; tum quia potest se omnino servare indemnem; tum quia ex re accepta non plus restituendum est domino, quam in quantum is passus est damnum; expensæ autem & pretium laboris non spectant ad damnum proximi: ergo. *Dixi, nisi legitime præscripserit:* præscribuntur enim fructus more aliarum rerum mobilium spatio triennii. *Laym.* l. c. *Ratio secundi est*, quia fructus mere industriales non sunt fructus rei, sed propriæ industriæ lucra; ergo sicut quilibet est dominus propriæ industriæ, ita & lucri, quod inde enascitur.

815. *Ex his resolves casum propositum*: Cajetanus tenetur restituere Carpophoro prædium una cum fructibus adhuc extantibus, subtractis expensis, & pretio laboris, Clerentio vero frumentum ejusdem generis, & qualitatis, non vero lucrum alibi inde reportatum ex propria industria. *Laym.* l. c. n. 3.

816. *Q.* III. Ad quid teneatur possessor *dubiæ fidei?* R. Tenetur inquirere serio, an res sit aliena, vel propria: si morali diligentia adhibita maneat dubium, potest licite rem retinere vel distrahere practice se resolvendo, quod melior sit conditio possidentis: si velit eam vendere, moneat emptorem de periculo rei, ne is fraudem & damnum patiatur. Qui oborto dubio negligit inquirere in veritatem, & postea comperit Dominum rei a se possessæ esse Cajum, tenetur Cajo restituere non solum rem illam, sed etiam fructus consumptos vel alienatos ab eo tempore, quo neglexit inquisitionem; quia voluntarie hanc omittens, ad quam ex Justitia tenetur, rem non amplius bona, sed mala fide, & contra conscientiam possidere cœpit: ergo peccat contra justitiam, & tenetur reparare damna, quæ Cajus patitur ex ejus negligentia. *Lessius* l. 2. de Just. c. 14.

817. *Q.* IV. Ad quam restitutionem obligetur Possessor *malæ fidei?* R. Talis tenetur restituere ipsam rem alienam, si extet; alias non satisfit juri, quod Dominus habet ad rem injuste sibi ablatam. Censet tamen *Diana*, quod tum sufficiat restituere valorem rei, si restitutio rei formaliter extantis sine manifestatione criminis, aut alio gravi damno fieri non possit.

818. 2. Si res aliena apud iniquum possessorem pereat casu fortuito, v. g. incendio, incursu hostium, quo similiter periisset apud ipsum dominum, ad nihil tenetur; secus, si

res apud Dominum non fuisset peritura; vel si quidem periisset apud dominum, sed per injuriam, tunc manet obligatio restitutionis. Sic Titius tenetur restituere horologium injuste ablatum, etiamsi sciat, quod fur Cajus idem horologium surripuisset, nisi ipse jam abstuliisset; quia sicut Titius Caji furtum prævenit, ita & prævenit obligationem restituendi. *Laym.* l. c. n. 2. *Juxta eundem*, si iniquus possessor rem alteri donaverit, absumpserit, perdiderit cum, aut sine culpa, vel si eam vendiderit cum aut sine lucro, vel damno, tenetur restituere ejus valorem, etiamsi res quocunque casu apud dominum periisset; quia simpliciter fecit, ut res non amplius existat.

819. 3. Iniquus possessor ordinarie debet restituere lucrum cessans, ac damnum emergens, si Dominus, e. g. pecunia, vel instrumento probabiliter lucraturus, aut negotiaturus fuisset, nisi per injuriam res sua fuisset ablata. Item tenetur restituere rei meliorationem tum intrinsecam, tum extrinsecam: h. e. si res aliena, dum injuste detinetur, in substantia crescat, ac melioretur intrinsece, v. g. si ex vitulo fiat vacca; aut si pretium rei creverit, v. g. medimnus frumenti eo tempore, quo fur illud abstulit, constiterit 6. florentis, tempore consumptionis autem 9. flor., debet solvere 9. flor., quia Dominus accrescit pretium rei, ergo debet ei illud restitui; si vero prius valuerit 9. flor. & iterum 6. tempore consumptionis, ad sex obligatur, nisi dominus ante vendidisset, quando constabat 9. flor. Ita *Nav.* hic n. 17. juxta *Laym.* l. c. n. 6. variante valore rei intra tempus ablationis, & consumptionis satisfacit iniquus possessor, si rem ejusdem generis & bonitatis restituat, vel ejus pretium juxta taxam temporis, quo restituitur. Vide hæc fuse apud *La Croix* l. 3. p. 2. n. 230.

820. 4. Tenetur compensare rei deteriorationem, v. g. si bos pinguis tempore injustæ detentionis factus sit macilentus.

821. 5. Debet restituere omnes fructus perceptos tum naturales, tum mixtos, quantum hi respondent naturæ, etiamsi consumpti sint, nec ipse inde factus sit ditior; quia res fructificat domino. Tenetur etiam restituere fructus percipiendos, h. e. quos ipse quidem non percepit ex propria negligentia, potuisset autem percipere, & dominus percepisset, nisi res sua ablata fuisset. *Ratio est:* Quia dominus sic ex injuria iniqui possessoris patitur damnum, cessante lucro quoad fructus, quos percepturus erat: ergo iniquus possessor debet illud reparare, etsi intulerit sine proprio commodo. Ita *Sanch.* l. 2. in Decal. c. 23. n. 119. Secus, si constet, quod neque dominus eos recepisset ex re sua secum habita, *Sanch.* ibid. n. 118. *Ratio* est, quia dominus quoad fructus, quos neque iniquus possessor, neque ipse erat percepturus, nullum patitur damnum; ergo nec oritur obligatio restitutionis. Iniquus possessor restituendo fru-

fructus prædictos licite deducit expensas, quæ etiam a Domino fieri debuissent; his enim subductis is non patitur damnum.

Denique iniquus Possessor non tenetur restituere fructus mere industriales, quia non sunt fructus rei, sed propriæ industriæ.

Casus.

Conon creditor acceptæ solutionis oblitus, Claudium debitorem suum ad judicem vocat, qui cum non posset probare factam solutionem, a judice condemnatur ad denno solvendum: post paucos dies Conon in tabulis accepti certo rescit, a Claudio factam fuisse solutionem.

822. *Q.* An Conon rescíens, factam esse solutionem, teneatur in conscientia pecuniam secundo datam restituere? R. Tenetur in conscientia: Ita *Sylvest.* V. *Sententia* n. 11. *Sotus*, *Adrianus*, quodlib. 6. a. 1. *Axor.* p. 3. c. 16. q. 3. *Molina* tr. 2. de Contract. D. 568. & 861. *Prob.* 1. Sententia judicis fundata in præsumptione falsa, nihil prodest conscientiæ scientis illam esse falsam: nam sententia judicis fundatur in præsumptione justitiæ, & meritorum causæ ejus, pro quo est pronuntiatum: atqui sententia in nostro casu non fundatur in præsumptione justitiæ, sed falsa, quod Claudius non solverit: ergo. 2. Quod jura faveant expresse huic resolutioni arguitur ex l. si *Mater* 11. princ. ff. de except. rei judic. ubi Mater post sententiæ in rem judicatam transitum ad denuo agendum admittitur. Item ex c. *significantibus* 2. de purgat. vulg. Innocentius III. ei, qui furti in judicio condemnatus fuit, innocentia illius post transitum sententiæ in rem judicatam comperta, præcipit omnia restitui, quæ prætextu illius criminis ab eo fuerant ablata. 3. Quando obligatio aliqua jure naturæ certa est, & deobligatio jure positivo facta, est dubia, standum est juri naturæ; sed obligatio Cononis restituendi secundam solutionem acceptam jure naturæ certa est, natura enim æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, ex l. 14. ff. de condict. indeb.; deobligatio vero jure positivo facta est dubia, ut patet ex diversitate AA. ergo,

Neque dicas cum oppositæ sententiæ Patronis, scil. *Hostiensi*, *Gonzal. Rosella*, *Wiestner* & aliis: Præscriptio transfert dominium; ergo etiam sententia judicis. Nam R. quod Præscriptio absolute transferat dominium, sententia autem judicis tantum respective ad merita causæ, quæ si rescíantur fuisse falsa, etiam revocatur sententia: præscriptio autem legitima, bona fide facta, continuata & legitime completa ex clarissimis verbis LL. *Dominium*, *& plenissimum securitatem* tribuit: ergo.

Nec 2. incertitudo dominii pro sententia judicis quidquam probat, sicut in præscriptione nam creditor certus est, errore

detecto, factam sibi esse primam solutionem: ergo dominium non manet incertum, nisi certis annis esset Creditor in bona fide; tunc enim completo tempore per præscriptionem fieret Dominus etiam secundæ solutionis.

§. IV.

Resolutiones de restitutione ex cooperatione ad damnum alterius.

823. *I. Mandans: Castor Prætor furtivus Pastoris sæpe expresse tum verbis, tum scripto mandat, ut singulis mensibus unam alteramve ovem e grege occidat, sibique mediam saltem partem transmittat, & incuset lupos, ac luem grassantem. Alias implicite mandat furtum, dicens famulis suis: Placeret mihi, si quis Carolo vicino nostro hoc damnum inferret &c. quisquis hoc fecerit, a me insigne donum obtinebit. Quibus permovetur Clodulphus, & dammum infert vicino. Resol.* Furtivus hic Prætor tenetur tum restituere pretium pro ablatis ovibus, tum compensare damnum illatum (in solidum juxta n. 829. & 830.) quia causa efficax damni tenetur ad ejus compensationem: atqui Castor mandando fuit causa efficax furti, & damni: ergo. Vide *propos. 39. ab Innoc. XI.* damn.

824. *Adverte* 1. Mandans, si ante executionem mandatum serio revocet, idque innotescat mandatario, non tenetur ad restitutionem, si mandatarius nulla habita ratione revocationis mandatum exequatur: quia mandatum sic non influit in damnum proximi, utpote quod per revocationem censetur desinere; ergo etsi damnum sequatur, non tamen sequitur vi mandati, sed ex mandatarii malitia. Secus, si revocatio non innotescat; tunc enim damnum adhuc sequitur vi mandati. *Bonac.* de Rest. D. 1. q. 3. p. 6. *Less.* & *Comm.*

2. Si filius nomine Patris, vel servus nomine heri *nescientis* damnum intulit, quod postea pater vel herus ratum habet; peccat quidem uterque approbando malum, sed non tenetur ad restitutionem; quia talis ratificatio non est causa damni, sed illud jam supponit esse illatum. *Filluc.* tr. 32. c. 3. n. 55. *Laym. Less.* & alii. Nec obstat reg. Jur. 10. in 6. *ratificationem retrotrahi, & mandato non est dubium æquiparari;* loquitur enim hæc regula de contractibus, qui nomine alterius nescientis celebrati solent confirmari per subsequentem ratificationem; item de pœnis quæ in foro externo infliguntur illi, qui delictum suo nomine patratum ratum habet: ut ait *Babenst.* tr. 7. d. 4. a. 4. n. 15.

825. *II. Consulens. Cajetanus imprimis consilio simplici h. e. rogando, monendo, promittendo, deinde etiam consilio vestito h. e. animando per varia motiva, docendo modum artificiose auferen-*

ferendi, persuadet Claudium mercatoris famulum, aut auferat e taberna herbam Thèe, saccharum, item pro culina sua piper, flores nucis myristicæ, & alia aromata: Claudius humanitate consiliarii motus omnigena aromata affert.

Resolutio: Cajetanus tenetur restituere ablata, & quidem in solidum juxta n. 829. & 830. quia consulendo, & persuadendo fuit vera, & efficax causa damni. *Excipe;* nisi ante illatum damnum consilium suum revocaverit, & rationes, per quas movit Claudium ad inferendum damnum, contrariis rationibus efficaciter eliserit. *Excipe* 2. Si quis consilium bona fide dederit ad negotium aliquod felicius & utilius curandum, nihilominus grave damnum ex consilio patiatur utens consilio; consiliarius non tenetur ad restitutionem; secus, si datum sit consilium mala fide, dolo, vel fraude. Patet ex reg. 62. Juris in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non sit, obligatur:* vide dicta n. 683. sub fin.

826. III. *Consentiens*, scil. qui suo suffragio, voto, vel sententia alium movet, aut determinat ad illationem damni, v. g. si consiliarius subscribat tributo injusto necdum tamen plene decreto, causæ, vel electioni iniquæ necdum sufficienter conclusæ, tenetur ad compensanda damna, quia hic consensus est causa efficax damni. Qui postremus fert suffragium vel subscribit sententiæ iniquæ, postquam sufficiens suffragiorum numerus jam adest, probabiliter non tenetur ad reparandum damnum, etsi peccet graviter consentiendo in rem injustam; quia ultimum hoc suffragium non est causa efficax damni, sed ratificatio tantum damni per sufficentia suffragia jam illati: ergo non causat, sed supponit illud. Ita *Lessius*, de Just. l. 2. c. 13. Dub. 3. n. 23. *Laym.* l. 3. T. 2. c. 5. n. 6. Ubi addit; si hic postremus sperare possit prudenter, alios ex contradictione vel negatione suffragii ultimi revocaturos iniquam sententiam, tum eum teneri ad damnum secutum, nisi contradicat; quia ex officio obligatur ad id præstandum. Secus, si contradicendo nihil esset profecturus.

827. IV. *Palpo*, qui laudando, adulando, imo etiam exprobrando inducit alium ad inferendum damnum; tenetur ad reparationem, si fuerit causa efficax, ita ut alter sine hac palpatione non intulisset damnum. *Laym.* loc. cit. Laudans vero post illatum damnum, peccat quidem, restituere tamen non tenetur; quia damnum jam præcessit.

828. V. *Qui dat recursum*, tenetur ad restitutionem, si damnificatori facultatem, patrocinium, refugium, aut securitatem *positive* præstat, illum recipiendo, defendendo, protegendo, res furis custodiendo, abscondendo, ita ut per hæc animetur vel ad inferendum damnum, vel ad illatum non reparandum, vel ad furta continuanda. De his furum patronis c. 1.

Causa XIV. q. 6. Sic habetur ex *S. Augusti. illud vero fidentissime dixerim, eum, qui pro homine adhoc intervenit, ne male lata restituat; & qui ad se confugientem (quantum honeste potest) ad restituendum non compellit, socium esse fraudis, & criminis.* Huc pertinent illi caupones, qui filios contra voluntatem parentum recipiunt, ut pecuniam, quam sciunt furto ablatam esse, potu, lusu &c. consumant. Item advocati, qui causis manifeste iniquis patrocinantur. *Excusatur* 1. a Restitutione, qui furem post furtum commissum fugientem recipit & abscondit, ne incidat in manus lictorum, NB. dummodo non præbeat ei spem refugii imposterum: sic enim recipiens non potest dici moraliter influere in damnum, quia furem non recipit ut furem, sed quatenus homo miser, vel amicus, vel consanguineus est. Vide *Josephum Vogler* de Restit. in Gen. q. 19. n. 308. *Less. Lug. Tamb. Excusatur* 2. a restitutione Advocatus, qui in judicio defendit furem in iis, in quibus ipse fur se potest jure defendere, scil. quando factum est occultum, non sufficienter probatum in judicio, quando injuste vexatur non servato ordine juris &c. *Tamb.* l. 8. in Decal. t. 4. c. 2. §. 4. *Excusatur* 3. qui ex metu recipit furem, ut contingit iis, qui solitaria in villa habitant, & obruuntur a furibus minitantibus mortem, incendium &c., nisi recipiantur.

829. VI. *Participans:* hic non intelligitur is, qui simul proxime cum altero damnum infert, v. g. cum fure furatur, vel prædæ partem accipit: talis enim proprie dicendus est concausa principalis; is vero hic intelligitur nomine participantis, qui iniquæ actionis fit consors præbendo auxilium in ordine ad executionem, sive ad actualem illationem damni, v. g. qui furem comitatur præsidii causa, explorat aditum, applicat, vel tenet scalas, per quas fur ascendit, vel ministrat necessaria ad damnum inferendum. Sic participans tenetur ad restitutionem, quia talis formaliter & efficaciter influit in damnum, quoties uno ex dictis modis cooperatur. De his Psal. 49. *Si videas furem, currebas cum eo;* addit *S. Aug. Si non currebas, concurrebas.*

830. *Excusatur* 1. Famulus, qui jussu heri numerat pecunias usurarias, hic enim tantum materialiter, non efficaciter, ad damnum cooperari videtur, & secluso tali auxilio herus ipse numeraret. *Laym.* l. 3. t. 2. c. 5. n. 6. *Excusatur* 2. Qui gravi metu compulsus participiat in damnificatione injusta, dummodo id, quod præstat, non sit per se malum, v. g. si rusticus cogatur injustas militum prædas vehere, pecora furto ablata abducere &c. *Filliuc.* t. 32. c. 3. n. 68. Quia ejusmodi actiones per se non sunt malæ: ergo accedente gravi metu inculpabiliter fiunt a coacto.

831. VII. *De cooperantibus negative sufficiunt ea*, quæ dicta sunt

sunt n. 775. & 776. Ex quibus resolves sequentia. 1. Si famulus advertat alium famulum, vel domesticum furari ex rebus domini, & taceat, non tenetur restituere, nisi custodia rei specialiter ei esset commissa; si vero extraneus furetur, probabilius tenetur ad restitutionem, si taceat: Ita *La Croix* l. 3. p. 2. n. 46. cum *Illsung. Lugo* contra *Rebell. & Bonac.* Eo quod ex communi persuasione, & quasi jure gentium famulo commissæ sunt res domini sui contra injurias externorum, domesticis vero invigilare tenetur ipse Dominus. 2. Inter cooperantes negative restitutioni maxime obnoxii sunt Princeps, Magistratus, Bellidux, si ex culpa gravi non impediant furta, homicidia, spolia injusta &c. Consiliarius non impediens iniquam constitutionem: Canonicus non impediens notorie injustam electionem: Tutor non impediens damna pupillorum. 3. Custodes pecorum, vinearum, stagnorum, sylvarum &c. probabiliter non tenentur restituere pœnas, quas Domini accepissent ex delationibus lignatium &c. Tenentur tamen compensare damna enata ex omissa delatione eorum, qui cædunt ligna, venantur contra prohibitionem &c. *Ratio* utriusque est; quia eorum officium non est, locupletare dominos ex lucro pœnarum, sed tantum conservare res sibi commissas; ergo ex justitia & officio quidem tenentur deferre damnificatores, quia ad hoc sunt conducti; non autem ad restitutionem pœnarum ex omissione delationis ortarum. *La Croix* l. c. num. 48. cum *Lugone*. Addit tamen *Babenst.* l. c. num. 51., quod damnum debeat esse magni momenti, & dominus de eo rationabiliter invitus; ideoque non tenentur deferre pauperes, qui ex urgente necessitate ligna moderate in sylva communi colligunt, hoc enim præsumpta Domini voluntas, ac consuetudo videtur permittere. Eodem modo loquere de Gabellarum præprefectis.

Q. I. An singuli cooperantes teneantur in solidum.

933. Ante Rx. *Adverte* 1. Alii cooperantes concurrunt *principaliter* ad damnum, uti mandans, & executor, ex quibus mandans in genere moris, executor in genere physico est causa principalis. Alii *secundario* & minus principaliter concurrunt, ut consentiens, palpo, mutus &c.

833. *Adverte* 2. Non quæritur, an singuli cooperantes teneantur in solidum *absolute*, h. e. an singuli obligentur ad compensandum totum damnum: patet enim, quod talis obligatio singulis non incumbat: quia alias læso sæpe deberet decuplo plus restitui, quam amiserit; quæritur autem, an *vel absolute*, *vel conditionate* singuli teneantur in solidum, h. e. an quis in particulari debeat compensare totum damnum in defectu aliorum, sive si alii cooperantes non restituant?

834. Rx. 1. Si plures absque conspiratione, & consensu,

ſed tantum caſu concurrant ad damnum inferendum, ſinguli non tenentur in ſolidum, ſed tantum id quilibet debet reſtituere, quod ipſemet abſtulit, vel reſarcire damnum, quod intulit per ſe. *Ratio eſt*: Quia hoc caſu non eſt cauſa influens in totum damnum, ſed ſolum in partem ejus. Ita *Laym.* l. c. c. 6. n. 1.

835. Rx. 2. Tunc ſinguli mutuo ſuffragio, conſilio, conſenſu, cooperatione idem damnum inferentes, aut ad inferendum ſe mutuo juvantes, tenentur ad reſtitutionem in ſolidum 1. *Si quilibet ita influat, ut cujuſvis influxus ſe ſolo ſufficiat ad totum damnum*, v. g. Si quilibet vulnus lethale infligat; item ſi plures conſulentes ſuggerant motivum plene inducens ad damnum inferendum: vel ſi plures admoveant ignem ad domum incendendam &c.

836. Aut 2. *Si influxus ſingulorum non ſit quidem ſe ſolo ſufficiens ad totum damnum, eſt tamen cauſa neceſſaria, ita ut ſine eo damnum non fieret*: v. g. ſi. 6. vel 7. vota ſint neceſſaria ad iniquum tributum, ad condemnandum innocentem, vel ſi tres auferant ciſtam, quam duo auferre non potuiſſent, vel ſi quatuor latrones ſpolient viatorem, quem tres ſpoliare non valuiſſent. *Ratio eſt*; quia obligatio reſtitutionis ſequitur cauſalitatem damni; atqui in dictis caſibus ſinguli movendo, vel concurrendo ad totum damnum æquivalent moraliter cauſis totalibus; ſinguli enim potuiſſent, & debuiſſent impedire damnum non dando ſuum concurſum, vel auxilium: ergo ſinguli tenentur in ſolidum.

837. Econtra ſi ſinguli non moveant alios, nec cujuslibet influxus ſe ſolo eſſet ſufficiens ad totum damnum, neque neceſſarius, v. g. ſi milites inique devaſtent urbem, plures ſtudioſi diripiant vineam (ex ſuppoſito, quod mutuis conſiliis, & conſpiratione non intenderint totum damnum) probabiliter ſinguli non tenentur ad totum damnum, ſed tantum ad partem, quam quilibet abſtulit, quamvis mutua præſentia ſe quodammodo animent. *Ratio eſt*: Tum quia ſingulorum concurſus non eſt ſufficiens ſe ſolo ad inferendum totum damnum; tum quia totum damnum abſque hoc ſingulari a reliquis illatum fuiſſet. *Confirm.* Tota ratio obligationis eſt cauſalitas, & influxus in damnum: ergo non debet eſſe major obligatio, quam ſit influxus: ergo cum hi partialiter ſolum influant in damnum, ſolum partialiter obligantur. Ita *Lugo* t. 1. d. 19. Sect. 1. a n. 89. *Platelius* hic n. 747. *Sporer* Tr. 4. c. 2. Sect. 1. n. 68. hanc vocat communiſſimam ſententiam contra *Molina*, *Covarr.* & alios.

838. *Q.* II. Quo ordine teneantur ad reſtitutionem cooperantes ad idem damnum? Rx. 1. In damnificatione *lucrativa*, ut in furto: 1. debet is reſtituere, apud quem res ablata exiſtit vel in ſe, vel in æquivalenti, ex qua nimirum factus eſt di-

ditior, vel a quo mala fide est consumpta. *Ratio est*: Quia titulus rei acceptæ præcedit titulum injustæ acceptionis, ut ait *Platelius* hic n. 748. *Confirm.* æquum est, ut is, qui lucrum præ aliis ex re habuit, etiam prius sentiat onus restitutionis. 2. loco tenetur mandans, & alii, ut mox dicetur. R. 2. In actione pure damnificativa, qualis est combustio domus, si plures *æqualiter* concurrerint, æqualiter debent restituere, quilibet suam partem, & in defectu aliorum totum; *si inæqualiter*, obligatur 1. mandans; vel qui fraude, vi, minis, aut precibus alium inducit ad damnificandum. *Ratio est*: Quia hic moraliter est causa principalis illati damni, qui suo nomine vult illud fieri, mandatarius autem vel executor est causa tantum instrumentalis, cæteri cooperantes sunt quasi adminicula. Quodsi nemo mandarit, vel si mandans non restituerit, præ cæteris tenetur executor; eoquod hic sit causa principalis respectu reliquorum cooperantium, utpote qui suam cooperationem subordinant arbitrio executoris. Tertio loco, vel his deficientibus tenentur cæteri cooperantes positive, ut consulens, consentiens &c. Post hos, cooperantes negative, idque probabiliter sine ordine. *Laym.* l. 3. t. 2. c. 6. & *Comm.*

Casus.

Cantius vendit Carpophoro sex plaustra vini ea lege, ut solvat intra duos menses; Cantius credens hanc pecuniam sibi certo tempore præfixo tradendam, alium contractum init cum Cajo, cujus solutionem non potest præstare, ob moram Carpophori, unde damnum ingens Cantius patitur ob cessans lucrum.

839. *Q.* An Carpophorus teneatur reparare damnum ortum ex mora solutionis? R. *Negative*. Quia Carpophorus Cantium nullo modo incitavit ad ineundum contractum cum Cajo: ergo nec potest dici causa cessantis lucri, quod alias Cajus ex novo contractu percipisset. Ita *Pontas* V. Restitutio, casu 2. qui hanc resolutionem confirmat ex l. *venditor* fin. ff. de peric. & commodo rei vend. ubi ita: *Venditori, si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras dumtaxat præstabit, non omne omnino quod venditor, mora non facta, consequi potuit; veluti si negotiator fuit, & pretio soluto ex mercibus plus quam ex usuris, quærere potuit.*

840. Pro plurimis aliis casibus resolvendis, ac 1. quidem de bonis in bello ablatis observa: *Bona immobilia justo bello* capta fiunt Principis, vel Reipublicæ bellum gerentis, nisi sint talia, quæ ab hostibus iterum eripiuntur, tunc enim priori Domino sunt restituenda, ut arguitur ex l. 20. §. 1. ff. de capt. & postlim. *Bona vero mobilia* justo bello capta fiunt capientium. Secus est de captis in bello injusto, in quo hujusmodi bona *probabilius* non fiunt capientium, sed dominis sunt restituen-

tuenda, adeoque per se loquendo, nec juste possunt vendi, nec emi. *Ratio est*, quia, cum bellum sit injustum, quod dominium non transfert, etiam acceptio est injusta. Ita docet *S. Thomas* 2. 2. q. 66. a. 8. ad 1. *Si illi, qui deprædantur hostes, habeant bellum justum, ea, quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur, & hoc non habet rationem rapinæ; unde nec ad restitutionem tenentur ... si vero illi, qui prædam accipiunt, habeant bellum injustum, rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur.* Si quæras: An bona bello injusto capta ab hostibus, iisque rursus justo bello erepta antiquis Dominis sint restituenda, an fiant rursus capientium? Respondet *Molina* sub distinctione: scil. jure naturæ talia bona esse quidem restituenda prioribus Dominis, jure autem Cæsareo juxta L. *si quid bello* 28. ff. de capt. & postlim., si tamen hostis ea ad loca tuta deportaverit; imo juxta *Hurth.* si ea hostis saltem una nocte possederit. Vide *Tannerum* Tom. 3. D. 2. q. 6. Porro juxta *Molinam* dictum privilegium jure Cæsareo conceditur solummodo militibus ejusmodi bona hosti eripientibus, non autem aliis, qui ea ab hostibus furto, aut donatione recuperarunt: Nec se extendit ad homines captos, nec ad bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum, quæ proterea non fiunt rursus capientium.

841. *Q.* I. An Miles particularis, qui in bello injusto cum reliquo exercitu urbem deprædatus est, tantum obligetur ad damnum, quod ipse per se intulit? R. *probabilius affirmative*, quia de unoquoque milite in particulari verissimum est dicere, quod sine ejus concursu adhuc a reliquo exercitu totum damnum fuisset illatum: ergo miles particularis non tenetur ad totum damnum compensandum, sed solum ad partem ratam. *Confirm.* Ablatio unius militis non erat ex se sola sufficiens ad totum damnum inferendum: ergo etiam hic ad talem restitutionem tenetur, quæ simul cum aliis sit sufficiens. Ita *Navarr.* c. 17. n. 20. *Pet. Navarrus* l. 3. de restit. c. 4. n. 13. *Sporer* vocat communem, contra *Molina*, *Sotum*, *Covarr.* & alios, quos citat *Laym.*

842. *Q.* II. An miles particularis, qui cum aliquot commilitionibus domum inique exspoliat, teneatur ad restitutionem in solidum? R. *Affirmative*, ex supposito, quod quilibet horum mutuo consilio, comitatu, & adjutorio sit causa damni illati. *Ratio est*: quia obligatio restitutionis sequitur causalitatem damni; atqui in tali casu singulæ causæ partiales æquivalent totalibus: licet enim singulæ non ponant totum effectum physice, moraliter tamen censentur ponere totum, quatenus singulæ possent totum effectum impedire, si subtraherent suum concursum, auxilium, vel adhortationem: nullus enim illorum militum accederet ad damnum inferendum, nisi fretus alterius ope, nec prævalerent singuli damnum inferre, nisi comitati

tati accederent. Confirmat *Sporer* hoc exemplo: Duo pondus grave surripiunt, quod unus solus, nec ferre, nec surripere posset, singuli sunt causæ partiales, & tamen singuli tenentur in solidum, quia quilibet est causa, ut totum fiat; in cujuslibet enim voluntate, ac potestate fuit, ut nihil fieret, si se subtraheret; ergo a pari.

843. Econtrario si miles sine communi consilio & adjutorio aliorum vineam aut hortum ingrediatur, & fructus surriperet, tantum pro rata sua tenetur restituere, licet plures alii ingrediantur, & damnum gravius inferant; quia hic miles nullo modo concurrit ad damnum, quod alii inferunt. *Si dicas*: hic miles aliis præbuit occasionem sequendi. Respondet *Molina*, quod sola occasio comparatione alicujus effectus propterea non possit dici causa talis effectus.

844. *Q.* III. An miles peccet graviter, & in conscientia teneatur ad restitutionem, qui in hybernis verbera, & alia incommoda minitando extorquet a Patrefamilias pecuniam? R. *Affirm.* quia talis Patrifamilias gravem injuriam cum gravi damno infert. *Nec dicas cum Adversariis*, 1. metus injuste incussus tantum est levis; ergo non infertur gravis injuria. R. Metus absolute est gravis, quando mala atrocia, aut ipsa mors intentatur: atqui hoc factum est in casu; ergo. Deinde T. antec. N. cons. quia juxta Comm. DD., ut ait *Laym.* l. 3. T. 4. c. 6. n. 4., *Quæ metu levi directe, & injuste extorta sunt, æque in foro conscientiæ, & secundum legem naturæ obnoxia sunt restitutioni, ac extorta metu gravi*. Neque dicas 2. Paterfamilias in casu potest censeri donasse pecuniam: Respondet *Molina*, *Vasq. Dicastillo* l. 2. t. 4. dub. 3. ad liberalem donationem requiri plenam, & liberam voluntatem, ut transferatur dominium: atqui in casu voluntas fuit injuste, & cum injuria coacta ex metu: ergo etiam non potest censeri adfuisse voluntaria, & liberalis donatio.

§. V.

De restitutione ex injuria in bonis spiritualibus illata.

845. *Nota*. Quatuor sunt genera bonorum: 1. Bona supernaturalia, eaque animæ vel *naturalia*, v. g. usus rationis, ingenium, scientia &c., vel *supernaturalia*, ut gratia, virtus, & alia, quæ pertinent ad salutem & sanctificationem. 2. Alia corporalia, v. g. vita, sanitas, integritas membrorum &c. 3. Fama, honor &c. 4. Bona fortunæ. De bonis spiritualibus hic resolvemus. *Claudia vesano amore saucia Clementem, qui alteri nupserat contra expectationem, medicato potu rationis usu privat, ut ab officio amoveri debuerit, ac propterea ad extremam*

fere

fere egestatem fuerit redactus. Eadem insigni fraude plures adolescentes ad gravia peccata seduxit: aliquos etiam a statu religioso abstraxit.

846. *Qu.* I. Quomodo quoad primum peccaverit Claudia, & ad quid teneatur? R. 1. Peccavit graviter contra justitiam; quia cuilibet non minus competit jus rigorosum in bona animæ naturalia, quam in alia bona temporalia; ergo qui in iis graviter lædit proximum, infert ipsi gravem injuriam; & peccat contra justitiam.

Hinc R. 2. per se loquendo, damnum vi vel dolo injuste causatum in spiritualibus bonis, ex justitia reparari debet, si sit reparabile per bona ejusdem ordinis; dum vero ratio, memoria, & aliæ facultates animæ, sicut & usus sensuum sint bona altioris ordinis, nec compensari possint bonis fortunæ; hinc pro ablato usu rationis, memoriæ &c. nequit fieri restitutio; manet tamen obligatio reparandi omnia damna, quæ ex ablato usu rationis oriuntur, uti in casu posito Clementi satisfieri debet a Claudia, quod factus fuerit incapax ad suum officium, amiserit reditus &c., item pro adhibitis medicinis. *Lessius* de Just. L. 2. c. 8. Dub. 1.

847. Eodem modo, qui philtro conjecit proximum in amentiam, vel maleficiis compulit ad aliquid noxium agendum, peccat graviter contra justitiam, & tenetur ex justitia tollere maleficia, si adhuc durent, & remedia adhibere contra pernicioſam potionem; item reparare damna inde exorta, quando resarciri possunt. *Illsung.* t. 4. D. 3. q. 2. a. 2. n. 58., *Sayrus*, *Lugo* de Just. tom. 1. disp. 9. Sect. 1. contra *Sotum* & alios, qui probabiliter docent, quod pro ablato usu rationis vel memoriæ debeat fieri restitutio pecuniaria, quia pro injuria vera debet satisfieri pro possibili.

848. *Qu.* II. Ad quid teneatur is; qui rationem alterius, aut memoriam destruxit moralirer, illum imbuendo variis erroribus? R. Qui proximum imbuit errore mere speculativo, non censetur saltem ordinarie injuriam gravem illi inferre; communiter enim tale damnum non admodum curatur. Ille vero peccat graviter, qui proximum imbuit errore practico, hoc est, tali, ex quo alia oriuntur incommoda, v. g. si quis Professor Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ doceat *scienter* sententias falsas, ex quibus aliorum damna oriri possunt. Talis tenetur ad compensationem damnorum; quia agit contra jus, quod alius habet, ne ab alio *per fraudem* in errorem vel damnum inducatur. Ita *Sanch.*, *Lugo*, *Babenst.* t. 7. d. 5. a. 1. n. 4.

849. *Qu.* III. Ad quid teneatur is, qui alterum inducit ad peccatum grave? R. 1. Qui absque vi vel fraude alium ad peccatum (si non sit injustitiæ) induxit, non tenetur ex justitia, sed ex charitate procurare, ut damnum spirituale reparetur. *Ratio*

tio primi est; quia, qui peccat nulla vi vel fraude inductus, peccat sciens ac volens; scienti autem & volenti non fit injuria: ergo. *Ratio secundi* est: quia æquitas naturalis juxta leges charitatis exigit, ut auctor talis mali suadendo, monendo &c. procuret ejus conversionem; quamvis extra casum necessitatis probabilius ejusmodi obligatio non sit sub mortali, cum ipse seductus teneatur per pœnitentiam se juvare. *Less.* de Just. l. 2. d. 8. dub. 2. *Bonac. Lugo* & alii. Dixi, *si non sit injustitiæ peccatum*: qui enim induxit ad damnificandum, detrahendum &c. tenetur ex justitia ad restitutionem faciendam non quidem inducto, sed ei, qui passus est damnum, quia est causa damni illati.

850. R. 2. Qui vero vi, vel fraude, vel metu gravi etiam tantum reverentiali ad peccatum grave induxit alium, tenetur ex justitia vim vel fraudem tollere, &, quantum potest, procurare media, queis seductus amissam gratiam recuperet; quia talis est injusta causa damni: ergo. *Confirm.* Qui alium vi vel fraude induxit ad venenum hauriendum, tenetur ex justitia ad procurandas medicinas contra vim veneni, vel ad illud alio modo tollendum; ergo a pari de peccato, quod est venenum animæ. NB. Resolutionem ita intellige: si seductus vel ob ignorantiam, vel aliam causam non habeat in potestate media pœnitentiæ, quibus gratiam recuperet; si enim illa habeat, iisque sponte non utatur, cedit jure suo, & seductor *ex justitia* ad nil tenetur. *Banhest.* l. c. n. 8. cum *Lessio*, *Bonac.* & aliis. Denique qui alterum æterna salute privavit, tenetur ad agendam pœnitentiam, nisi & ipse ea privari velit; salus autem æterna semel amissa in æternum recuperari non potest: ergo privans nec obligatur ad ullam restitutionem, sed ad pœnitentiam.

851. *Qu.* IV. Quomodo peccet, qui alium abstrahit a statu religioso? R. 1. Qui absque vi vel fraude, sed solo consilio, *justis de causis* Candidatum revocat a sua vocatione, vel Novitium ex Novitiatu, non peccat graviter contra justitiam, nec graviter contra charitatem, tum quia, absente vi, & fraude, & alia prava intentione, abest omnis injuria; tum quia abstractio illa nec est inductio ad malum (vivere enim in sæculo non est illicitum) nec aversio a summo Bono. Recte tamen addit *Molina*, quod abstractio facta *sine justa causa* sit peccatum grave, præsertim si ea facta sit contra vocationem alterius moraliter certam, eo quod is, qui sine justa causa a sua vocatione abstrahitur, magis animæ periculis exponatur. Justæ autem causæ sunt: 1. Si parentes valde indigeant ejusmodi Candidati vel Novitii auxilio. 2. Si promiserit matrimonium, aut si habeat æs alienum. 3. Siqua corporis infirmitate laboret. 4. Si in illo Ordine, ad quem quis afficitur, non vigeat disciplina religiosa. 5. Si complexio non sit apta ad talem Ordinem.

6. Si

6. Si mores habeat, ut inde Religioni timendum sit &c. Dixi, *qui absque vi vel fraude*: qui enim per vim vel fraudem abducit Candidatum vel Novitium a Religione, peccat graviter contra charitatem & justitiam, quia eum avertit a magno bono; ideoque tenetur ex justitia vim & fraudem tollere, & seductum liberare ab injuria, ut, si vellit, ingredi possit, vel regredi ad Religionem. 2. Tenetur resarcire damna seducto inde exorta, & procurare media revertendi ad vocationem, nisi seductus ipse ea habeat in potestate; tunc enim si sibi ipsi non consulat, censetur volens pati sua damna, *Filluc.*, *Lugo*, *Pettschacher* & alii.

§. VI.

De obligatione restitutionis ex injuria illata corpori per homicidium, mutilationem.

1. *Cleophas homo rixosus in encæniis Cornelio grave vulnus infligit, accurrit frater vulnerati, volens Cornelium e manibus furibundi eripere, a quo uno ictu exanimis prosternitur: hinc uxor occisi per mortem mariti ad extremam egestatem redacta, petit compensationem damni.*

852. *Quær.* I. An pro damno vitæ præcise, vel membri mutilatione, vel cicatrice homini illata sit facienda restitutio, an vero tantum pro damnis realibus, ex mutilatione vel occisione ortis? R. 1. Probabilius pro cicatricis deformitate, membri, ipsiusque vitæ jactura *secundum se* nulla compensatio est facienda ante judicis sententiam: ita *Laym.* L. 3. de Just. t. 3. p. 3. c. 6. n. 2. *Sanch.*, *Lessius*, *Lugo*, *Illsung*, *Ledesma* & alii contra *Cajet.* *Sotum*, *Azor.* & alios, qui cum *S. Th.* 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. docent, compensationem faciendam esse in pecunia: quia, licet nihil æquale sit restituibile, debet tamen fieri compensatio, qualis possibilis est: atqui possibilis est per pecuniam: ergo. Contrarium AA. primo loco cit. probant ex *l.* 1. §. 5. *ff. de his, qui effuderint vel dejecerint*, ubi diserte innuitur: *Sed cum homo liber periit, damni æstimatio non fit in duplum; quia in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest*: Cujus sensus est juxta *Laym.* quod vita hominis liberi, & integritas corporis sint bona altioris ordinis, quæ nec pecunia æstimari, nec ad æqualitatem (quæ tamen est finis intrinsecus justitiæ) reparari possint.

853. R. 2. Injustus occisor, vulnerator, mutilator tenetur ad compensanda omnia damna realia in bonis fortunæ, quæ ex injusta illius actione sequuntur. Ita *Comm. Ratio* est; quia, quicumque fuit causa injusta damnorum reparabilium, is tenetur ad compensationem illorum: atqui damna realia in bonis fortunæ sunt reparabilia, & occisor injustus fuit causa injusta illorum, ut supponitur: ergo. Ideoque talis tenetur

1. ad

1. ad reparanda damna ante mortem secuta, quales sunt expensæ in Medicos, medicinas; intellige, expensas necessarias, non superfluas: 2. Tenetur vulnerans restituere lucrum operarum, quibus interea vulneratus carere debuit. Patet *l. ult. ff. de his qui effuderint*. Porro si læsus vitam non amiserit, ipsi facienda est dictarum expensarum, & lucri cessantis restitutio; si vero mortuus sit ex vulnere, facienda est hæredibus necessariis, hoc est uxori, parentibus, & liberis. *Ratio est*; quia hi soli censentur una persona cum occiso; ideoque ipsis tantum censetur damnum illatum. Probabiliter non tenetur quid restituere hæredibus extraneis, v. g. fratribus, sororibus, & cæteris amicis, excipe expensas ad curationem factas; si nullus sit hæres, hæc debita pauperibus sunt distribuenda. *Laym.* l. c. *Bonac. Salmant.* & alii contra *Petr. Navarr. Vasquez* & alios.

854. Porro *Adverte* I. Ordinarie nihil est restituendum pro exequiarum sumptibus; quia istæ expensæ etiam fieri debuissent, si occisus morte naturali obiisset. Dixi *ordinarie*: si enim ratione sepulturæ extra patriam, ubi homicidium commissum esset, majores sumptus impendi debuissent, compensandus esset iste excessus. *Less.* L. 2. de Just. c. 9. dub. 24. II. probabilius homicida non tenetur creditoribus occisi debita ab ipso antea contracta solvere: ita *Less.* l. c. dub. 26. n. 151. *Lugo, Dicast.* contra *Laym.* qui tamen ipse affirmat, quod talis obligatio in praxi non observetur. III. Qui occidit injustum aggressorem, non tenetur compensare damna, quæ ejus uxor & liberi inde patiuntur; quia ille suo jure usus est: ergo non intulit injuriam; quid, quod aggressor injustus censeatur tacite cedere juri suo. IV. Provocans ad duellum, & occidens provocatum, tunc non tenetur ad restitutionem, quando provocatus *sponte* comparuit, vel consensit in pugnam; quia hic censetur renunciasse juri suo; secus, si ex metu gravis infamiæ, aut alterius gravis mali comparuerit; quia hoc casu non censeri prudenter potest renunciasse juri suo.

§. VII.

De restitutione ex Gabellarum defraudatione, item ex inventione, lusu, & impeditione alicujus boni.

I. De Gabellis. *Constantinus Rusticus astutus se accusat*: 1. *Gabellas & vectigalia sæpe non solvi*. 2. *Itidem nec decimas*. 3. *Ligna aliquoties ex sylvis abstuli*. 4. *Ad pascua aliena duxi boves meos*. 5. *Artem capiendi columbas alienas jam diu exercui*.

855. *Qu.* I. Quid sit vectigal, gabella, tributum, &c. R. 1. *Vectigal* est pensio pecuniæ, quæ solvitur pro rebus in civitatem

tatem vel provinciam invectis vel avectis. Pensio soluta ex rebus, quæ portantur, dicitur *portorium*. *Gabella* est pensio pecuniæ ex rebus venditis; pensio solvenda ex vendito vino, carnibus vel pane, vocatur *Accisum*. Pensio, quæ solvitur a transeuntibus vel equitantibus pro conservatione pontis aut viæ, vocatur *Pedagium*. *Tributum* late significat omne id, quod Principi vel Magistratui penditur ad onera communia sustinenda: proprie est pensio, quæ subditis imponitur, Principi vel Magistratui solvenda, ut statum ac dignitatem suam tueri, & communibus necessitatibus atque utilitatibus prospicere valeat: & hoc duplex est, unum, quod singulis personis imponitur sine respectu ad bona, & dicitur *capitatio*. l. un. Cod. *de capitatione civium*. Alterum solvitur a subditis secundum æstimationem facultatum.

856. *Q.* II. An gabellæ, vectigalia, aut tributa solvenda sint sub gravi peccato, etiamsi non exigantur; & an non solventes teneantur ad restitutionem? R. Negant utrumque *Angelus V. Pedagium*, §. 6. *Tabiena*, *Navarr.* c. 23. n. 55. & 60. *Henr. a Gandavo* quodlib. 3. q. 22. quorum *ratio* est hæc: lex mere pœnalis non obligat, nisi ad pœnam post Judicis sententiam; atqui lex tributorum, vectigalium, gabellarum &c. est mere pœnalis, eoquod Principis vel Magistratus intentio esse videatur, ut subditi, viatores & negotiatores vel solvant tributum, vectigal &c. vel, si deprehendantur non solvisse, puniantur. Contrarium tanquam longe probabilius præter AA. num. 188. cit. docent *S. Antonin. Covarr. Alph. a Castro* L. 1. de Lege pœn. c. 11. coroll. 1. *Sotus*, *Medina*, *Armilla V. Gabella*. n. 6. *Thom. Sanchez*, *Molina*, *Lessius* de Just. L. 2. c. 33. dub. 2. *Lugo*, *Dicast. Pontas V. Vactigal*, & alii. *Prob.* 1. ex S. Paulo ad Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita*, *cui tributum*, *tributum*; *cui vectigal*, *vectigal*. *Prob.* 2. ex eo, quod fundamentum Adversariorum sententiæ non videatur subsistere, leges nimirum tributorum esse mere pœnales; tum quia vectigal vel alia tributa non imponuntur ut mulctæ, sed Principes & Magistratus, cum Reipublicæ quodammodo serviendo præsint, habent jus strictum illud imponendi; habent enim jus ea exigendi, quæ tam ad sustentationem suam, quam ad sustinenda officii onera, & promovendum bonum publicum sunt necessaria. Nec adjectio pœnæ probat, eas leges esse mere pœnales; siquidem plurimæ leges tum Ecclesiasticæ, tum civiles habent adjectam pœnam, & tamen obligant in conscientia.

857. *Q.* III. Quomodo peccaverit Constantinus, defraudando decimas? Ante R.

Nota. Juxta *Laym.* L. 4. t. 6. c. 1. nomine decimarum venit

nit *decima pars bonorum mobilium juste quæsitorum Ecclesiæ Ministris exsolvenda*. Aliæ sunt *prædiales*, quæ ex fundis, sive bonis immobilibus, scilicet agris, vineis, sylvis, hortis, piscinis &c. penduntur. Aliæ *personales*, quæ ex lucro personalis industriæ, scilicet negotiatione, artificio, venatione &c. solvuntur. Aliæ *mixtæ*, hoc est, partim prædiales, partim personales, quæ ex fructibus pecorum aut avium in propriis prædiis, concurrente industria personali, videlicet ex lacte, caseis, ovis &c. penduntur. His præcognitis R. Si Constantinus defraudando decimas Ecclesiæ aut Parocho damnum notabile intulit, peccavit graviter, teneturque ad restitutionem. Vide *Suar.* Tom. 1. de Relig. Lib. 1. c. 9. num. 10., *Bellarm.* Tom. 1. controv. 5. L. 1. c. 25. Præsertim autem gravis obligatio solvendi decimas eruitur ex *Trid.* Sess. 25. c. 12. de Reform.: *Qui vero eas*, scilicet decimas, *subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plene restitutione secuta, absolvantur*. Plura apud Canonistas.

858. *Q.* IV. Quomodo Constantinus in reliquis peccaverit? R. 1. Si sylvis aut pascuis sive propriæ, sive vicinæ communitatis, notabile damnum intulit, peccavit graviter, & per se tenetur ad restitutionem. *Ratio* est; quia tota communitas rationabiliter est invita; item nec oppidani, nec cives vicini jure suo cedunt in bonum personæ privatæ. *Nec refert*, quod Constantinus sit pars communitatis; hoc ipso enim non potest sibi plus appropriare de lignis communibus, nisi quantum debita ad alias partes proportio permittit. *Th. Sanch.* L. 1. Consil. c. 5. dub. 1. n. 19. Notabile damnum non censetur inferre, qui subinde in suum usum fascem lignorum scinderet, modo non abscindantur arbores, sed rami. Ita *Henriquez*. Porro peccasset Constantinus graviter, si boves suos duxisset in hortos vel agros privatorum hominum; restitutio debet desumi ex quantitate damni. Hoc genus peccati rusticis commune est; ideoque non facile dissimulet Confessarius; inde enim nascuntur ingentia damna, quæ plebeji plerumque parum curant. Huc etiam pertinent varia damna, quæ inferuntur a venatoribus, dum per messes jam albas canibus & equis debacchantur. Maxime vero culpabiles, & restitutioni obnoxii sunt, qui arbusculas in hortis longo labore plantatas ex malitia vel resecant, vel effodiunt; quod peccatum in nonnullis Diœcesibus merito inter casus reservatos recensetur.

859. *Q.* V. Quid dicendum de exercitio capiendi alienas columbas? R. cum *Lessio*: Peccat, & quidem graviter vel leviter pro ratione damni ex frequenti captura orti gravis vel levis, qui alienas columbas capit, quamdiu illæ redeundi ad propria columbaria consuetudinem habent; quia tunc vere sunt res alterius. Secus, si redeundi consuetudinem deposuerint;

unde si alienæ columbæ tuas sæpe comitentur, & alimenta tuis columbis projecta consumant, propriumque columbarium deserant, tuæ fiunt; non tamen licet eas per fraudes, & inusitatis, multo minus superstitiosis modis allicere. Vide *La Croix* l. c. n. 266. Subinde etiam consuetudo, aut mutua Dominorum conventio excusat capientes a furto & restitutione.

860. Porro resolves 1. Probabiliter feripetæ, qui in sylvis apertis moderate venantur, per se loquendo, non peccant contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem. Ita *Vasquez* de Restit. c. 5. §. 2. dub. 7. n. 28., *Lugo* Tom. 1. D. 6. n. 68., *Dicast.*, *Lessius* L. 2. c. 5. dub. 9. n. 44. existimat, transgressorem prohibitionis, ne quis venetur in sylvis communibus, reum esse peccati tantum venialis, per se loquendo, nisi grave damnum inferat, eoquod feræ sint nullius, & sylvæ communes. Contrarium sentiunt *Laym.* L. 3. de Just. t. 4. c. 1. num. 14., *Haun.*, *Illsung* & alii. *Ratio priorum* est, quod Princeps non possit subditos obligare ex justitia, ne moderate venentur; & quamvis concedatur, eum id posse, de facto tamen leges venationem prohibentes videntur mere pœnales ex praxi, & communi consuetudine. De restitutione *Palao* p. 7. t. 31. punct. 14. n. 4. cum *Lessio*, *Rebell.* & *Molina* non veretur dicere: Quinimo verissimile est, venantes in locis Principi reservatis ab obligatione restituendi excusari; quia nihil de hac obligatione Princeps curat, contentus tantum, ut pœnas legibus impositas transgressores deprehensi luant. Dixi tamen 1., *non peccant contra justitiam*: plerunque enim ex aliis causis peccant graviter, tum quia se, suasque familias periculo ruinæ & infamiæ ob gravissimas pœnas statutas exponunt; tum quia feripetæ venationis dulcedine inescati, non raro ad insidiantes ex jussu Principis venatores potius vita privandos parati sunt, quam ut se capi, & ad statutas pœnas trahi patiantur; cum tamen Princeps justissimas subinde causas habeat, sub gravibus pœnis furtivas ejusmodi venationes prohibendi, v. g. ne subditi a suis negotiis domesticis abstrahantur in damnum Reipublicæ, item ne sub specie venationis exerceantur latrocinia &c. Potest etiam merito venationis reservatio fieri ob honestam Principis, eique debitam recreationem. Dixi 2. *in sylvis apertis*: si enim sylva sit circumsepta, & feræ ita inclusæ, ut moraliter sint in manu Principis, eas capere vel occidere non licet citra injustitiam.

861. II. Eodem modo non peccat graviter contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, qui pisces capit in fluminibus, licet sint assignata personis particularibus ad certam distantiam; quia prohibitiones contra has piscationes communiter censentur esse mere pœnales. Peccat autem graviter, & tenetur ad restitutionem, qui pisces capit in aliena piscina,

vel

vel ſtagno minore, tum quia piſces in tali ſtagno ſe habent inſtar ferarum in vivario; tum quia Dominus multis plerumque expenſis ſtagnum comparat, piſces non ſine magno labore alibi captos vel emptos immittit: ergo notabile damnum patitur, ſi quis ex tali ſtagno piſces capiat.

II. De reſtitutione ex rebus inventis. *Cyriacus invenit pretioſum horologium: quærit ex familiaribus tantum, an forte perdiderint horologium; iis vero affirmantibus, nunquam ſe habuiſſe horologium, lætabundus abit, & vendit illud Judæo: paulo poſt in novellis legit, ut, ſi quis horologium pretioſum invenerit, illud ad Janitorem Monaſterii ad S. Antonium ferat: Cyriacus altum ſilet, contentus peculio a Judæo accepto. Idem nuper a Chriſtophoro emit agrum pretio vulgari, in quo (neſcio, qua arte) ſciebat latere theſaurum.*

862. *Q.* I. An Cyriacus recte proceſſerit? R. *Negative*. Vide dicta num. 778. Inventor enim tenetur ſedulo inquirere in Dominum rei, & quidem tunc majore diligentia, ſi res inventa ſit magni pretii, curando (pro cujuslibet loci conſuetudine) ut vel promulgetur e cathedra, vel ut imprimatur in novellis &c., vel denique id faciendo, quod neceſſarium videtur ad hoc, ut fama rei inventæ ad Dominum poſſit pervenire; atqui hoc non fecit Cyriacus, id verbis tantum ambiguis, aut quæſtione generali, an horologium perdiderint, inſinuando: ergo. 2. Peccavit retinendo pretium; quamprimum enim innotuit, inquiri in horologium pretioſum amiſſum, debuiſſet caute de novo inquirere, an tale horologium quæratur, quale ipſe invenerat (facile enim cuilibet inquirenti non tenetur credere) id cum reſciverit ex certis indiciis, tenebatur illud repetere a Judæo, reſtituto pretio, & ad conſtitutum locum deferre. *Ratio primi* eſt: quia, ut ſedulo inquirat in Dominum, exigit charitas, quæ jubet caveri alterius damno; exigit idipſum juſtitia, eoquod inventor tollendo rem alienam ex quaſi contractu obliget ſe ad curandum, ut ea reddatur Domino; ſi curare id nollit, debet potius rem relinquere in loco, ut per alium id curetur. *Ratio ſecundi* eſt; quia poſt illam notitiam incepit rem inventam poſſidere mala fide.

863. *Quær.* II. An theſaurus ab inventore ſemper licite retineatur? R. 1. Theſaurus quocunque modo aut loco inventus de jure naturæ eſt inventoris, quia eſt res Domino carens: nomine autem theſauri intelliguntur *condita ab ignotis Dominis tempore vetuſtiori mobilia*, l. un. Cod. de Theſauris. *Sive vetus depoſitio pecuniæ, aut ſimilis rei, ut de ejus depoſitione & dominio nulla cognitio ſeu memoria extet*, ut ait Laymann L. 3. de Juſt. t. 1. c. 5. n. 23. Juxta eundem jure Cæſareo ſequentia ſunt ſtatuta: 1. Si theſaurus in fundo pro-

prio inveniatur, totus est inventoris; item si in loco communi, v. g. in via publica, foro, flumine &c. NB. Nisi arte magica quæsitus sit; tunc enim per judicis sententiam cedit Fisco in pœnam criminis. 2. Si in fundo alieno alicujus privati hominis *casu* inveniatur, v. g. a mercenario conducto, ut fodiat in fundo tuo alia, quam thesauri quærendi causa, tunc thesaurus partim ad inventorem, partim ad Dominum fundi pertinet, & quidem ante Judicis sententiam, ut docent *Covarr.*, *Molina*, *Lessius*, *Laym.* l. c., quia hæc constitutio non est pœnalis, sed secundum æquitatem naturalem lata est; ergo in conscientia videtur obligare ante sententiam Judicis. 3. Si vero de industria in fundo alieno quæsitus inveniatur sine consensu Domini, totus est Domini saltem post sententiam Judicis, ita ut quoad dimidiam saltem partem sit obligatio in conscientia illam Domino tradendi, eoquod hæc lex videatur esse pœnalis quoad unam partem, ut ait *Laym.* l. c. cum *Less.* & *Rebell.* 4. Si denique non casu, sed cum consensu Domini fodiat quis in fundo alieno, thesaurus est vel solius inventoris, vel Domini, vel utriusque pro ratione pacti cum Domino initi.

864. Porro adverte: non quælibet inventio notabilis summæ pecuniæ debet dici inventio thesauri, maxime si sint monetæ novæ; nec depositio sit in profundiorem terræ partem aut locum ab oculis hominum remotiorem; hoc casu, si pecunia recentius cusa in loco satis aperto inveniatur, tenetur inventor sedulo inquirere in Dominum, juxta dicta n. præced. Vide *Burgh.* Cent. 2. cas. 1. & Cent. 1. cas. 68.

865. *Qu.* III. An Cyriacus potuerit tuta conscientia emere agrum a Christophoro pretio vulgari? &c. Probabilius *affirmative*. Ita *Sotus*, *Navarr.* in Man. c. 17. num. 175., *Lessius*, *Schmalzgrub.* & alii; quia pretium vulgare respectu hujus est justum, & plus dare non tenetur; justum enim pretium non sumitur ex majori utilitate, sed ex communi hominum æstimatione; atqui vulgare pretium communis æstimatio judicat justum: ergo. *Confirm.* Thesaurus reconditus non est fructus fundi, nec pertinet ad alicujus dominium, antequam eruatur; erutus autem a Domino fundi, eidem mox acquiritur: ergo cum emptor post traditionem Dominus fundi existat, jus habet & eruendi, & dominium thesauri sibi acquirendi. Ita *Laym.* l. c.

III. De lusu. *Cunibertus pictis foliis ludendi peritissimus & avidissimus varios innocentes adolescentes seducit, aliquoties lucrum iis fraudulenter permittens, postea ex arte ludens, divites dimittit inanes.*

865. *Qu.* I. Quid sit lusus, & quæ conditiones requirantur,

tur, ut ludens possit licite rem suam lusui exponere? R. ad *Primum*: Lusus juxta *Lessium* est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Hi contractus secundum se sunt liciti, & pertinent ad virtutem Eutrapeliæ pro recreando animo, dummodo non fiant modis prohibitis, & absit periculum blasphemiæ, perjurii, rixarum, furti, scandali &c.

867. R. ad *Secundum*: *Prima conditio* est, ut ludens possit alienare rem, quam lusui exponit: alias enim, invito Domino, exponeret rem alienam, cujus alter colludens non potest fieri Dominus; ergo nec ipse poterit juste acquirere rem colludentis; alias conditio esset inæqualis, nec alter censetur consentire hoc modo. Ideoque uxor, nisi habeat bona paraphernalia &c., filius, nisi habeat propria, non possunt plus exponere, quam maritus vel pater expresse vel tacite concedit; tacite autem censetur concedere, quantum ejusdem conditionis fœminis vel filiis concedi solet.

868. *Secunda conditio*. Ut nemo injusto metu, vi, vel fraude cogatur ludere; ideoque juxta probabilem is, qui injuste pertrahit alterum ad ludendum, tenetur ei restituere, quod lucratus est; quia sicut alter ludit, ita & perdit involuntarie, vel potius perdit per injuriam, quam patitur; secus, si precibus aut suasu pertrahatur, tunc enim censetur consentire. Coactus tamen ad lusum, si quid lucretur, non tenetur illud restituere; quia ex sua parte nulla est injustitia. Vide *Sanch.*, *Less.* & alios.

869. *Tertia conditio*. Ut a lusu absit omnis fraus & dolus pugnans contra regulas hujus vel illius lusus; quia aliter non censetur alter inire hunc contractum, nisi servatis iis, quæ constituunt hunc vel illum lusum. Aliquis tamen accidentalis dolus, vel potius astutia non tollit hunc contractum verb. gra. quando simulas, te habere deteriores chartas, vel si simules metum, ut alter sponsionem augeat &c.

870. *Quarta conditio*. Ut sit æquale periculum perdendi & lucrandi inter ludentes, vel æqualis peritia & pretium. Ideo qui certo scit, se semper victurum, nec ludere licite potest cum eo, quem scit esse ludendi imperitum, nec retinere lucrum; quia tunc nimia est inter ludentes inæqualitas, quam non patitur ratio lusus; secus, si tantum probabiliter credat, se victurum. Si tamen ludendi imperitior scias alterius peritiam, & nihilominus provoces illum ad ludendum, victor non tenetur tibi ad restitutionem; tibi enim volenti non fit injuria, & sponte transfers dominium pecuniæ tuæ in victorem.

871. Ex his facile resolves casum propositum; 1. Cunibertus seducendo alios ad crebriores lusus pro ratione da-

mni, & dispendii temporis peccavit. Si abfuerint conditiones prædictæ, tenetur ad restitutionem lucri. *Sed quid? si adfuerint dictæ conditiones, lusus vero fuerit prohibitus?* R. Victor ex eo præcise non tenetur restituere, quia ludentium pactum manet, ut, qui vicerit, rem sibi lucrifaciat, nisi positiva lege etiam hoc pactum irritum sit. *Sotus*, *Lessius* & alii.

IV. De impediente alterius bonum. *Cyprianus audit Cyrillum hæredem esse institutum a Cyriaco; hinc rogando & consulendo Testatorem eo inducit, ut alium scribat hæredem, eoquod Cyrillus non æque indigeat hæreditate.*

872. *Qu.* I. An teneatur ad restitutionem, qui alterum impedit a consecutione alicujus boni? R. 1. Qui alium rationabiliter invitum impedit a consecutione boni, quod ei debebatur ex justitia, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, sive ex parte modi impediendi interveniat vis aut dolus, mendacium, detractio, sive non; quia violat jus, quod alter habebat in re, vel ad rem; est enim causa efficax, ut alter non accipiat id, quod suum erat, aut sibi debebatur; sic qui impedit, vel removet aliquem a beneficio Ecclesiastico propter indebitam causam, ad quod ipsi jus quæsitum vel perfectum per collationem, confirmationem, sive imperfectum per legitimam electionem, præsentationem &c. compensare ei debet damnum illatum. *Sanctus Thomas* 2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 4., *Laymann* L. 3. de Just. t. 2. c. 7. num. 1.

873. R. 2. Si vero bonum illud non debebatur ex justitia, ut eleemosyna, beneficium, vel aliud donum gratuitum, & quis solo consilio, precibus aut dono *sine vi vel fraude* impediat eum a consecutione illius, non tenetur ad restitutionem. *Ratio* est; quia sic non læditur alterius jus, quod supponitur nec in re, nec ad rem habuisse. *Sotus*, *Navarr.*, *Molina*. Ideoque in casu posito Cyprianus non tenetur ad restitutionem; cum enim testator Cyriacus sine injuria voluntatem suam & testamentum mutare possit; nec Cyprianus intulit injuriam per hoc, quod ei consilio vel precibus ex prudenti ratione auctor fuerit, ut voluntatem mutet. *Sed quid? si id fecisset Cyprianus ex odio & animo nocendi?* R. Peccasset contra charitatem, sed non contra justitiam; jus enim non violatur per pravam intentionem, sed per actionem externam contra jus positam; per animum nocendi peccatur contra charitatem. R. 3. Qui vi, ac fraude, mendacio, detractione alterum a consecutione talis boni impedit, is damnum compensare debet arbitrio viri prudentis juxta certitudinem vel probabilitatem, qua ille tale bonum alias assecuturus fuisse existimatur. Ita *Laym.* l. c. n. 3. *Ratio* est; quia licet talis non habeat jus ad bonum indebitum, habet tamen jus, ne vi, vel fraude, aut detra-

detractione impediatur a consecutione boni alias indebiti.

874. Ex his porro resolves I. Qui leves alterius defectus exaggerando eum impedit a consecutione boni indebiti, si non exaggeret per mendacia, non tenetur ad restitutionem, quia non violat jus alterius saltem graviter. II. Qui a beneficii consecutione impedit dignum, ut illud conferatur digniori, non tenetur ad restitutionem, saltem si sine fraude vel vi impediat, quia ille non habet jus, ut præferatur digniori.

ARTICULUS IV.

De Dominio sive jure.

§. I.

Prænotanda.

875. Prænot. I. *Jus* (cujus violatio est *injuria*) *est potestas legitima disponendi de re aliqua, licite ab alio non impedibilis*; hoc enim jus activum fundat in aliis obligationem, jus illud non impediendi; hinc jus passivum dicitur debitum præstandi, vel omittendi aliquid ut juri activo alterius satisfiat. Jus aliud est *in re*, sive *reale*, quo ipsam rem mihi habeo obligatam, hoc acquiritur contrahenti post traditionem rei, & fundat *actionem realem*, per quam ipsam rem apud quemcunque detentorem repetere, & mihi vindicare possum. Aliud est *ad rem*, sive *personale*, quo non res ipsa, sed persona aliqua mihi ex delicto vel contractu obligata est, ad rem, vel ejus pretium tradendum, hoc acquiritur ante rei traditionem, & parit actionem personalem, v. g. si quis horologium, quod emisti, vendat, & tradat alteri, actionem habes in venditorem; si vero horologium tibi traditum auferatur, actionem habes tum in furem, tum in rem, ad quemcunque devenerit.

876. II. Species juris sunt dominium, usufructus, usus, habitatio, possessio, servitus, pignus & hypoteca. *Dominium* aliud est *jurisdictionis*, estque potestas gubernandi subditos: aliud *proprietatis*, estque jus disponendi de re aliqua tanquam sua; hoc *per se* spectat proprium commodum, illud vero commodum subditorum. Porro dominium proprietatis *perfectum* est jus in re ad omnem ejus usum seu dispositionem authoritate propria, nisi lege prohibeatur, scilicet eam vendendo, donando, destruendo &c. Aliud *imperfectum*, quod continet vel proprietatem sine emolumento, & vocatur *directum*, quale est in iis, qui alteri dederunt quidpiam in emphyteusim, feudum, usumfructum &c. vulgo dicuntur *proprietarii*, vel quod continet emolumentum sine proprietate, &

dicitur *utile*, tale habet emphyteuta, usufructuarius &c. Dominium directum dicitur separatum ab utili, non quod careat omni utilitate, sed quod careat utilitate fructuum. Ita *Platelius* c. 4. de J. & J. num. 520. *Ususfructus* est jus utendi & fruendi, h. e. jus utendi re aliena, & percipiendi ejus fructus, salva tamen rei substantia: in fundo fructus dicuntur segetes, arbores, fœnum, metalla, non autem thesaurus; in animalibus vero fructus dicuntur lac, lana, fœtus &c. *Usus* est jus utendi duntaxat rebus alienis, salva earum substantia, non percipiendi earum fructum ab usu distinctum; tale est jus habitandi in domo aliena, quin eam alienare, vel fructum elocationis percipere liceat; item qui habet usum equæ, potest ea uti ad trahendum currum, non potest tamen ejus pullum, aut elocationis pretium sibi usurpare. *Habitatio* est jus per se, vel alium inhabitandi domum alienam; per hoc habitatio differt a solo usu, quod tribuat jus locandi alteri domum alienam. *Possessio* sumpta pro jure possessionis est jus insistendi rei tanquam suæ, non proibitæ possideri; sumpta pro actu possessionis est corporalis detentio vel insistentia rei animo eam habendi tanquam suam: *corporalis* dicitur, quia rerum incorporearum, v. g. beneficiorum aut jurium potius quasi possessio dicenda est. *Servitus* active est jus in re aliena aut persona, ut tibi, tuisve serviat. De pignore infra.

„ *Q.* 1. An homo habeat dominium vitæ suæ?

„ R. Non habet, sed vel *usum*, vel *usumfructum tantum*, „ quemadmodum & membrorum suorum, ut arbitrio boni vi„ ri vitam & membra servare sarta tecta debeat, læsaque or„ dinariis expensis reparare, donec adveniente vitalitii hujus „ termino a Deo vitæ & necis Domino statione sua migrare „ compellatur. *Rat.* 1. Authoritas. Sap. 16. *Tu es Domine*, „ *qui vitæ & mortis habes potestatem*. Consentit Augustinus, „ S. Thomas, communis. 2. Constat, quod Deus habeat do„ minium, non constat, quod communicaverit homini; imo „ contrarium docet instinctus naturæ, universalis persuasio, „ utilitas Reipublicæ, quæ cum damno passim diminueretur ob „ causas exiguas. *Certe* pollutio est illicita, cum homines pas„ sim sectarentur voluptatem sine oneribus matrimonii: ergo „ cum hæc sit impedimentum vitæ humanæ &c.

„ *Ex quo sequitur* 1. hominem nunquam posse se *directe* „ occidere, hoc est, intendere privata authoritate sua mor„ tem vel ut finem, vel ut medium. 2. Ex gravi ta„ men causa posse se occidere *indirecte*, non intendendo, „ sed præcise permittendo mortem suam ut conjunctam ali„ cui omissioni, vel actioni. 3. Quamvis autem difficilli„ mum sit determinare, quandonam moraliter permitti dica-

„ tur

„ tur mors propria, præplacet hæc regula. *Quando actio, habens conjunctam sibi mortem, tamen consequeretur finem magni momenti, licet mors propria non esset conjuncta, tunc mors non intenditur directe.* Ex quo principio *licite posset* Titius 1. ad evitandum incendium, aut necem crudelissimam ab hoste insequente semet præcipitare de turri. 2. ad vincendum hostem turrim pulverariam incendere, licet certo obruendus. 3. ad submergendum hostem se cum eo in mare præcipitare, propriam navem incendere &c. 4. ad servandum Principem se medium interponere, licet certo enecandus globo &c. *illicitum tamen foret* se enecare in carcere, ad evitandum infame supplicium; abstinere ab alimento ad evadendas hujus vitæ miserias, &c. Vid. n. 658.

„ *Dices*: 1. Multi laudantur a Scriptura, qui *seipsos directe* interemerunt, e. g. Samson, Eleazarus &c. idem est de Lucretia, Catone &c. 2. Potest homo vitam *abbreviare negative*, non subeundo curationes arduas, non sumendo medicinas aliquantum pretiosiores &c. & *positive* per abstinentias, pœnitentias &c. 3. Homo potest se *mutilare*; hoc enim fecit Origenes: ergo habet dominium membrorum. R. *ad* 1. Sancti hoc fecerunt vel ex speciali imperio, aut licentia Dei, vel excusantur propter bonam fidem, aut conscientiam erroneam. Catonem & Lucretiam S. Augustinus impietatis damnat *L. 1. de civ. a. c. 16. Ad* 2. immoderata austeritas est illicita; moderata abbreviatio vitæ est licita, tum quia nemo tenetur rem alienam conservare cum extraordinaria molestia, tum quia Deus dat licentiam ob bonum spirituale inde proveniens; maxime, quod ex austeritate moderata non semper ac certo sequatur abbreviatio, nec ista intendatur, sed solum permittatur. *Ad* 3. mutilatio propria propter castitatem est illicita, & Censuræ Ecclesiasticæ obnoxia: propter vitam conservandam est licita; quia ad conservandum totum licet subire jacturam partis integrantis: propter vocis suavitatem conservandam, an licita sit, disputant; affirmant *Salonius*, *Pasqualigo* & *alii*. De eviratione Origenis vid. *Billuart to.* 10.

„ *Q.* 2. An homo habeat dominium vitæ alienæ?

„ R. *1. Dominium Proprietatis in vitam alienam* nec habet homo privatus, nec Dominus in sua mancipia, nec Magistratus in Subditos. Sufficit quippe *Jus Jurisdictionis* ad bonum commune, & jus proprietatis ob affectus privatos foret noxium generi humano: hinc vindicta privata debuit interdici ob nimium ardorem iræ, suspicionum frequentiam, occasionem abusus &c. 2. Licet tamen privata authoritate *occidere proximum ad justam defensionem* vitæ propriæ, pudicitiæ, ac bonorum fortunæ majoris momenti actu possessorum, in

„ con-

„ continenti tamen, si actu invasionis, & servato semper mo-
„ deramine inculpatæ tutelæ, hoc est, ut non adsit alia via
„ mitior conservandi prædicta, & adsit causa gravis tentandi
„ hanc viam. 3. *Ad defensionem honoris* numquam licet pro-
„ ximum occidere, nisi forte in unico casu, quo quis facto
„ ignominioso inique v. g. infami alapa, fuste &c. parat vi-
„ rum honoratum aggredi, aut aggressionem prosequi, potest
„ aggrediendus ferrum opponere, licet inde sequatur occisio;
„ ut sic præter honorem etiam vita defendatur. Ita *Sylvest.*
„ *Navarrus*, *Sotus*, *alii apud Mendo verb. Homicid. Rat.* 1.
„ Deus concedit in his circumstantiis facultatem, cum non
„ censeatur hominem obligare cum tanto suo incommodo
„ ad conservandam vitam proximi. 2. *Vim vi repellere omnes*
„ *leges & jura permittunt*; secus multiplicarentur homicidia, &
„ nemo tutus foret ab injustis damnificationibus cum maximo
„ Reipublicæ detrimento. 3. Vel proximus est invasor propria
„ sponte; & sic potest avertere facile malum a se: vel non
„ est spontaneus invasor; & tunc inter duo jura & damna æ-
„ qualia potest quilibet se præferre proximo. 4. Damnatæ
„ sunt ab Innoc. XI. prop. 31. 32. 33. 30. & ab Alex. VII.
„ 18. quas vide. Nempe in his casibus occisio alterius vel
„ non est medium *necessarium*, cum a Magistratu afferri re-
„ medium possit ac debeat; vel non *sufficiens*; cum per alte-
„ rius occisionem non declaretur innocens, qui calumniam pas-
„ sus est; imo sæpius fiat contrarium.

„ Coroll. 1. Ergo licita est *occisio proximi* in his 4. casibus:
„ si fiat ex mandato Dei speciali: si ministerio publico justi-
„ tiæ: si in bello justo: si in defensione propria inculpatæ tu-
„ telæ contra invasorem privatum, non specialiter exceptum.
„ Æquo liberius hic sentit Billuart de occisione aggressoris *to.*
„ 10. *Dis.* 10. a. 5. §. 4.

„ 2. Peccat Respublica graviter, si *directe innocentem occi-*
„ *dat*, etiam ad avertendam ab hostibus depopulationem, ac
„ ruinam; si hosti, petenti illum ad necem, extraderet &c.
„ quamvis possit illum extra portas urbis exponere, ad vigi-
„ lias agendas compellere &c. quæ sunt actiones indifferentes.
„ Peccat victor, si obsides occidat, eo quod victi ad tempus
„ præfixum non præstent præstanda; si filios Principis obsessi oc-
„ cidat, ut sic facilius Patrem compellat ad deditionem &c.
„ quia Deus illimitate prohibuit: *Exod.* 23. *Insontem & ju-*
„ *stum non occides*; ut dictum est *n.* 659. & directe occisionis
„ licentia sit desumpta ex illa Machiavelli Gnome: *Nihil est*
„ *nefas*, *quod est utile ad rationem status*. *Si dicas*: possunt *mem-*
„ *bra abscindi* pro conservando toto corpore; & bonum pri-
„ vatum cedere debet publico &c. R. Membra corporis non
„ habent jura distincta, sed sunt propter bonum totius; ci-

„ ves

„ ves econtra habent jus peculiare vitæ suæ singillatim, &
„ communitas est potius propter membra, estque occisio hæc
„ intrinsece mala, sicut extradere virginem ad eam stupran-
„ dam &c. Dixi *directe*; indirecte autem, & per accidens li-
„ cet in sequentibus casibus. 1. Si in bello justo vinci ho-
„ stis non possit, nisi simul innocentes occidantur, ut dictum
„ est *in Appendice de Bello*, e. g. potest everti turris hostilis,
„ licet innocentes quidam ibidem sint. 2. Si equo vectus
„ fugias invasorem, in arctiori autem via necessario concul-
„ candus sit infans, claudus, dormiens &c. 3. Si invasor se
„ infra infantem colloçet, si aliter te nequeas defendere, pot-
„ es infantem sternere,, aut clypei instar infantem prætende-
„ re. Ita *Bonac. Lugo, alii passim*.

„ 3. Multo probabilius non licet Judici condemnare se-
„ cundum allegata, & probata illum, quem privata scien-
„ tia certo novit esse innocentem; siquidem occidere in-
„ nocentem est æque intrinsece malum, ac fornicare, co-
„ gnoscere non suam &c. licet per sententiam ad hoc adi-
„ garis; estque hæc condemnatio contra finem legum, quæ
„ ideo requirit probationes, ut Judex melius inde rei veri-
„ tatem deprehendat; sane daretur ansa sæpius invertendi or-
„ dinem judiciorum, innocentes opprimendi &c. *Si dicas*: Ju-
„ dex ut persona *publica* debet procedere secundum notitiam
„ publicam, & innocens privatim est publice & *judicialiter*
„ reus: ergo sicut, si Judex privatim sciret eum esse nocen-
„ tem, non posset condemnare, ita &c. R. Si hæc media pu-
„ blica obtineant finem publicum, qui est, *Judici revera cre-*
„ *dibilem reddere noxam accusati*, C. secus, N. Dein nocentem
„ non semper condemnare non est intrinsece malum, & jura
„ semper magis favent reo &c.

„ 4. Non licet Matri *directe* procurare abortum fœtus sive
„ animati, sive inanimati, nequidem ad evitandam mor-
„ tem, multo minus infamiam. Vid. n. 668. & 669. *Si di-*
„ *cas*: Fœtus est *Aggressor* vitæ matris; ergo &c. R. N. Ag-
„ gressor est, qui invadit non per cursum naturæ, sed per
„ actionem voluntariam; quæ si cum apprehensione peccati
„ ponatur, erit aggressor formaliter injustus; si sine apprehen-
„ sione, materialiter &c. *indirecte* vero tunc licet expellere,
„ quando hæc *tria* concurrunt. 1. Ut mater præter fœtum ad-
„ huc aliud patiatur malum periculosum, quod non possit cu-
„ rari, nisi fœtus expellatur. 2. Ut medicina adhuc alium
„ faciat effectum, quam præcise expulsionem fœtus. 3. Ut
„ credatur, etiam stante morte Matris, fœtum animatum non
„ posse vivum pervenire ad Baptismum; si dubium de hoc
„ sit, mater est in possessione vitæ suæ. Ita Mendo *in Statera* &c.

„ Q. 3. An homo sit dominus suæ famæ?

R. Est

„ R. Est Dominus suæ famæ & honoris. Ita *communis* contra Cajetanum. *Rat.* 1. Fama est fructus nostræ industriæ, „ nostris meritis partus. Homo potest disponere de sua fama, „ e. g. alteri remittere restitutionem, ad propriam humiliatio- „ nem, vel petendum consilium famam suam diminuere, cri- „ men de se revelare. Consentit *S. Thomas* 2. 2. *q.* 73. *a.* 4. „ per accidens autem in triplici casu non licet famam suam „ prodigere. I. ob connexionem cum statu; si redundaret in „ despectum e. g. status Clericalis, Monasterii, familiæ &c. „ 2. Ob rationem officii e. g. Parochus malæ famæ præjudicat „ fructui functionem. 2. Ob charitatem, ne aliis sit scandalo. „ Imo etsi quis peccaret famam suam ex levitate prodigendo, „ posset tamen habere dominium, sicut prodigus est dominus „ pecuniæ suæ, licet prodigendo peccet.

„ De bonis & dominio uxorum vide n. 795. & filiorumfa- „ milias n. 805. & infra post n. 891.

„ *Q.* 4. An Beneficiati sint domini redituum?

„ *Nota* Triplex est bonorum genus apud Clericos. 1. *Patri-* „ *monialia*, quæ acquirunt jure hæreditatis, donationis, con- „ tractuum, laboris profani. 2. *Quasi Patrimonialia*, quæ tan- „ quam fructus stolæ per laborem sacrum obtinent e. g. bapti- „ zando, concionando, celebrando propter stipendium &c. 4. „ *Beneficialia*, quæ titulo beneficii stabilis acquirunt vel *neces-* „ *saria* ad congruam sustentationem, vel *superflua* ultra con- „ gruam; quæ capit magis & minus pro diversitate person- „ rum, & beneficiorum.

„ R. Probabilius est, Beneficiatos esse *dominos redituum ne-* „ *cessariorum*, & *superfluorum*; quamvis hæc ultima debeant ex- „ pendere in causas pias *ex lege Ecclesiastica fundata in Religione*. „ ita 100. *facile apud Diesbach. lib. dom. Cler.* Marsilius numerat „ 61. Billuart 17. Lugo 7. inter quos S. Thomas, Scotus & So- „ tus. Bened. XIV. *Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 2. affert duas rationes pro „ hac sententia. 1. Clerici habebant olim in suam partem fru- „ ctuum dominium; ergo cum huic parti *subrogatæ* sint præben- „ dæ, & subrogatum induat naturam illius, cui subrogatur &c. „ 2. Non residentes *non faciunt fructus suos*: ergo a contrario „ residentes faciunt suos; quod autem suos facere, denotet *domi-* „ *nium acquirere*, patet ex c. de Cler. non resid. in 6. ubi di- „ citur: *Rerum sic receptarum dominium non acquirent, ne faciant* „ *eas suas*. His addo alias rationes. *Prima* est negativa: Trid. „ *S.* 25. *c.* 1. *de ref.* solum interdicit Episcopis, *ne reditibus Eccle-* „ *siæ consanguineos*, & *familiares suos augere studeant, sed si pau-* „ *peres sint, pauperibus distribuant*. 2. Julius III. *cum sicut*: „ 1550. fructus Beneficiorum, *postquam ad manus Beneficiato-* „ *rum pervenerint, non amplius in Ecclesiasticis, sed potius in i-* „ *psorum Beneficiatorum propriis judicari*, & *propterea quodammodo*

„ *pro*

„ *pro sæcularibus*, *& profanis haberi*. 3. Sunt *stipendium*, hoc „ est sustentatio data intuitu laboris: ergo sicut miles est do„ minus sui stipendii, officialis salarii &c. Ergo *illi*, quibus „ Beneficiati superflua dederunt contra Legis Ecclesiasticæ „ præscriptum, non tenentur ea ex justitia restituere &c. „ *Dices*. 1. Clerici non habent *titulum* dominii in su„ perflua. 2. Superflua sunt *res Dei*, *patrimonium Chri„ sti*, *pauperum bona*. 3. SS. PP. vacant tales Clericos „ *fures*, aut sacrilegos raptores &c. 4. Clerici non possunt „ *disponere de reditibus suis* ad beneplacitum; non possunt „ testari de illis. 5. *Pensionarii* tenentur expendere in cau„ sas pias titulo justitiæ; ergo magis Beneficiarii. 6. Est „ *mens fundatorum*, adeoque pactum tacitum. 7. Clerici „ dicuntur *Patres pauperum &c.* R. *Ad* 1. N. titulus est „ *stipendii amplioris*, ut liberaliori stipendio suos ministros „ remuneretur Ecclesia, & hi possint etiam alios virtutum „ actus exercere, & nunquam deveniant facile in circum„ stantias, quibus debeant agere in despectum status: *vel* „ stipendium illimitate concessum, non distinguendo inter „ superflua. Ad 2. Dist. Vel istæ denominationes cadunt „ in bona ut affecta prima *intentione fidelium* offerentium; „ vel *lege Ecclesiastica* mere præcipiente misericordiam erga „ pauperes, saltem disjunctive; vel in *primævo* statu Ecclesiæ, „ dum Clerici voto paupertatis obstricti vivebant, vel deno„ tant *quartam partem* bonorum proprie Ecclesiasticorum. „ *Tria enim tempora* distinguenda sunt. 1. usque ad finem sæ„ culi quinti vixere Clerici ex ærario communi cum voto *pau„ pertatis*. 2. tum facta *divisio* bonorum a Simplicio Papa, & „ Gelasio anno 471. in quatuor partes, quarum una esset Epi„ scopo destinata, altera Clericis, tertia pauperibus, quarta „ Ecclesiæ, cujus partis ultimæ solum administratores erant „ Rectores Ecclesiarum. 3. Sæculo nono erecta *Beneficia in ti„ tulum*; erectio autem, juxta Molinam, nihil aliud est, quam „ bonorum prius communium ad particulares Clericos, ac be„ neficia deputatio, ut his fiant propria. *Ad* 3. SS. PP. vel „ loquuntur de primævo statu, vel de quarta portione, vel u„ tuntur exaggeratione oratoria &c. postquam nempe tertia portio „ pauper impensa est ad erigenda Hospitalia, seminaria, & alia „ pia loca, etiam ad plura beneficia accrescente numero Cleri„ corum &c. Ad 4. defectos dispositionis non oritur *ex jure reali* „ alieno, sed lege præcipiente, quæ potissimum habetur a tra„ ditione, vel Tridentino. Cæterum *facultas testandi* etiam li„ cite ad causas profanas teste Haunoldo concessa est Clericis *Ro„ manis* intra aliquot milliaria circa Romam; de nostris diœce„ sibus vero affirmant idem alii: e. g. R. D. Michel de *Frisingen„ si*, Picheler, Zelt, & Schnell. *de Constantiensi*; in Salisburgensi

„ Cle-

„ Clericus debet prius habere *licentiam*, in Auguſtana *ratifi-*
„ *cationem*, in Paſſavienſi diœceſi *libere* ad profana teſtatur
„ Clericus. *Ad* 5. N. de diſtributionibus, & penſionibus libe-
„ ram diſpoſitionem defendunt 21. Auctores *apud Vind. Taber-*
„ *næ prop.* 8. *Collect.* quorum aliqui dicunt eſſe communem.
„ *Ad* 6. Mens fundatorum *immediata* eſt cultus Dei juxta ar-
„ bitrium Eccleſiæ, *mediata* eſt pia expenſio a Clericis; ſed ut
„ deſiderium tantum, non pactum rigoroſum. *Ad* 7. Patres
„ pauperum ſunt ex titulo functionum ſpiritualium, dum pau-
„ peribus evangelizant; vel in horum gravi neceſſitate &c. ſe-
„ cus deberent Clerici etiam ex patrimonialibus expendere, nec
„ ſatisfacerent dando ſuperflua beneficialia ad ornatum templi,
„ vel aſſervando ſuperflua in cumulum ad faciendam fundatio-
„ nem piam. Cæterum *major quantitas* requiritur hic ad mor-
„ tale; juxta Lugonem pars vigeſima rediturum. Juxta Inin-
„ ger res determinanda arbitrio prudentis: quæ omnia proce-
„ dunt, licet Beneficiati habeant *Patrimonialia*.

„ Q. 5. An Religioſi habeant dominium?

„ *Nota*. Cum Paupertas in communi ſe extendere poſſit *ad*
„ *proprietatem rerum*, quæ communiter *bona fortunæ* appellan-
„ tur, quibus homo dives proprie efficitur & *ad jus reale*,
„ quale datur in poſſeſſione, uſu juris, uſufructu &c. atque *ad*
„ *uſum facti* independentem a voluntate alterius &c. ideo tri-
„ plicis generis vota Eccleſiæ in uſu ſucceſive fuere, *ut teſtatur*
„ *Suarez*. Primum quo nec valide, nec licite haberi poteſt do-
„ minium. Secundum quo valide quidem habetur dominium,
„ ſed non licite. Tertium quo & valide & licite habetur do-
„ minium, ſed non uſus ſine conſenſu alterius. Omnia hæc vo-
„ ta ſufficiunt ad votum paupertatis conſtituentis Religioſum,
„ ut ex Bulla Gregorii XIII. *Aſcendente Domino*: & *Quanto*
„ *fructuoſius* de Scholaſticis Societatis, ſub reatu cenſuræ incur-
„ rendæ, certum eſt.

„ R. I. Religioſi poſſunt habere *dominium in communi*; ubi
„ communitas eſt perſona ficta, penes quam eſt dominium;
„ ſicut dominium ſtricte Eccleſiaſticorum eſt penes Eccleſiam
„ particularem, per quam intelligitur, vel ipſe locus pius tan-
„ quam perſona ficta, vel Capitulum Clericorum, ſi aliquod
„ datur, vel communitas fidelium ad hanc Eccleſiam pertinen-
„ tium: ita *Trid. S.* 25. *c.* 3. *de Regul.* ubi excipiuntur ſolum
„ PP. Capucini, & Minores de obſervantia. 2. Quamvis Re-
„ ligioſus ſimpliciter poſſit habere dominium, Religioſus tamen
„ *ſolemniter profeſſus* eſt incapax omnis dominii, ex quo vulga-
„ tum illud ortum eſt: *Quidquid acquirit Monachus, non ſibi*
„ *acquirit, ſed monaſterio*; quod magis verum eſt, quam in
„ ſervo. Occaſione hujus opinionis natæ ſunt illæ controver-
„ ſiæ. 1. an dominium rerum *primo uſu conſumptibilium*,

„ e. g.

„ e. g. vini, ciborum &c. ſeparari poſſit ab uſu facti illarum?
„ Negabat hoc olim Joannes XXII. & hinc rejecit dominium
„ ejuſmodi rerum, quod FF. Min. Sedi Apoſtolicæ conceſſerant.
„ *Extrav. ad Conditorem. Nicolaus* III. *hoc rurſus recepit. Extrav.*
„ *Exiit, de Verb. ſignif. in 6. Vid. Nitelam Franciſcanæ Religionis.*

877. III. Ordinarie dominium ſolet acquiri *titulo & traditione*, titulus eſt velut radix, origo, & ratio fundandi dominium; ſic emptio dicitur titulus, quia eſt juſta cauſa acquirendi dominium mercis. Non tamen ſufficit ſolus titulus, ſed etiam requiritur traditio ſeu apprehenſio rei; hinc ſi aliquam rem emiſti, venditor autem eandem alteri vendat ac tradat, huic poſteriori acquiritur dominium, tu vero ex titulo acquiſiviſti tantum actionem perſonalem adverſus venditorem. Unde Gloſſa Baldi in *quoties* Cod. de rei vindic. ait: *Ille eſt potior in dominio, cui res prius traditur, licet alius in titulo prævenerit.* Neque tamen ſola traditio etiam ſufficit ad dominium, ut conſtat ex l. 31. ff. de acquir. rer. dom. *Nunquam nuda traditio transfert dominium, ſed ita, ſi venditio, aut aliqua juſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur.* Variis modis acquiritur dominium rerum temporalium, præſertim 1. occupatione, 2. acceſſione, 3. per præſcriptionem, 4. per contractum dominii traslativum. Commode ad tres modos revocat *Sporer*, dicens: Dominium acquiritur tribus modis: jure naturali, civili, & jure contractus: *vel enim res ſunt nullius*, utpote vacantes, derelictæ, aut pro derelictis habitæ, & jure naturali fiunt primo occupantis; vel *ſunt poſſidentis præſumptive*; ſic jure civili fiunt legitime præſcribentis etiam in foro conſcientiæ; vel *ſunt poſſidentis vere*; & jure contractus fiunt, v. g. ementis, donatarii &c.

878. IV. Uſusfructus, uſus, habitatio, ſervitus *acquiruntur lege & conventione*; amittuntur autem 1. *Rei deſtructione*. 2. *Si ſint ad tempus, eo exſpirante*. 3. *Morte uſufructuarii*. Poſſeſſio *acquiritur* apprehenſione vera aut ficta, & diſpoſitione legis: *amittitur* 1. *Voluntate nolentis poſſidere*, niſi ſit pupillus. 2. *Oblivione, quod res ſit ſua*. 3. *Rei ablatione*. 4. *Fuga animalis non habentis conſuetudinem redeundi.*

§. II.

Principia generalia de primis modis acquirendi dominium.

„ *Nota. Exercitium* Juſtitiæ commutativæ conſiſtit in acquiſi-
„ tione, translatione, & reparatione juris rigoroſi. 1. *Acquiſi-*
„ *tio juris* fit vel titulo juris naturalis, qui eſt Occupatio, &
„ Acceſſio; vel titulo juris poſitivi humani, qualis eſt potiſſi-
„ mum Præſcriptio; vel titulo mixto ex utroque, cujuſmodi

„ eſt

„ est successio ab intestato. 2. *Translatio juris* contingit aut dis-
„ positionibus gratuitis maxime ultimæ Voluntatis, aut Contra-
„ ctibus onerosis. 3. *Reparatio* fit per restitutionem ex re accepta,
„ & injusta acceptione, de qua jam supra satis dictum est.

„ 1. Aliqua Bona *nunquam* fuerunt in dominio alicujus, ut
„ sunt feræ, pisces, volucres, uniones, & metalla; 2. aliqua
„ fuerunt, sed *desierunt* esse in patrimonio seu dominio alicu-
„ jus, ut Thesauri, Bona vacantia, & derelicta. 3. Aliqua
„ sunt in dominio, sed *incerto*, ut res deperditæ sine delicto,
„ vel ignotis ablatæ cum delicto. 4. Aliqua sunt in dominio
„ certo, sed *non hominis privati*, ut sunt res sacræ, quæ ad
„ cultum divinum per consecrationem dedicatæ sunt, e. g.
„ templa, altaria, calices, campanæ &c. vel Religiosæ, quæ
„ piis usibus sine consecratione ab Ecclesiasticis Superioribus
„ destinantur, e. g. Monasteria, Hospitalia &c. vel publicæ,
„ quæ sunt res Universitatum, e. g. portus, viæ &c. res ergo
„ sub nullius privati dominio hoc versu continentur.

„ Natura, facto, censura, tempore, casu,
„ Res sub nullius dicitur esse bonis.

„ Natura libera, seu animalia obtinentur *venatione*: facto
„ libera seu derelicta, item tempore libera, seu Thesauri, ac-
„ quiruntur *inventione*: censura libera, seu sancta, & casu li-
„ bera, seu hæreditates vacantes, quas moriens reliquit sine
„ hærede necessario ac dispositione ultima, & jacentes, quas
„ hæres adire recusat, habent *specialia*; nam bona vacantia
„ pertinent ad fiscum &c.

879. Princip. I. *Occupatio est rei vacantis* (hoc est, quæ nullum habuit Dominum, ut feræ sylvestres & vagæ, aves in aere &c. item gemmæ, lapilli in littore &c.) *vel derelictæ* (quæ Dominum habuit, sed habere desiit) *corporalis apprehensio cum animo eam habendi ut suam*. Res *vacantes* & *derelictæ* fiunt primo occupantis. De rebus vacantibus animatis constat ex l. 1. ff. de acquir. rerum domin. Huc non pertinent feræ mansuetæ & domesticæ, ut bos, ovis, gallina &c. etsi a custodia Domini sui longius absint, pertinent adhuc ad Dominum suum; ideo, ubicunque fuerint repertæ, vel etiam incendio, naufragio vel lupo ereptæ, restituendæ sunt Domino.

De rebus vacantibus inanimatis constat ex l. 3. ff. de rerum divis. Inter res *derelictas* eæ tantum debent recenseri, quas Dominus non amplius vult esse e numero rerum suarum, nec curat eas recuperare, cum facile possit; ideo res metu naufragii vel incendii ejectæ, vel e tali periculo ereptæ non fiunt primo occupantis. *L. Navigia*. Cod. de furtis. De thesauris supra egimus.

880. Princip. II. *Accessio est jus, quo res aliqua fit tua, quia rei tuæ tanquam præsuppositæ & principaliori accedit*. Accessio *naturalis* fit

1. per

1. per *nativitatem*, sic Dominus pecoris fit Dominus fœtuum; Dominus fundi fit Dominus arborum, quæ in illo crescunt; accessorium enim sequitur principale, juxta reg. 42. in 6... 2. Fit per *alluvionem*, quæ est incrementum ex eo, quod uni prædio, alluente flumine, demitur, & alteri adjicitur; id si fiat quasi insensibiliter, dicitur *alluvio latens*, & pertinet ad eum, cujus fundo adjicitur: si fiat avulsio per manifestum fluminis impetum, vocatur *incrementum patens*; si partem notabilem vis fluminis de tuo prædio subtraxerit, manet tua; si vero fundo alieno adhæserit, & arbores, quas secum traxit, in eo radices egerint, ex eo tempore censetur alieno fundo acquisita. Accessio *industrialis* fit 1. per *plantationem*: 2. per *implantationem*: unde si quid inædificetur, aut implantetur fundo alieno, Dominus fundi fit Dominus ædificii & plantæ, sive arbores, postquam radices egerint, cedunt solo tanquam principaliori. 3. Per *intexturam*. 4. Per *scripturam & pictionem*. 5. Per *specificationem*, quæ fit introductione novæ formæ in materiam, ita ut censeatur produci quasi nova species, v. g. quando ex lana fit pannus. Juxta communiorem ad acquirendum dominium rei alienæ per specificationem requiritur, ut facta sit bona fide. Vide *La Croix* L. 3. p. 2. n. 135. cum *Haun.*

881. Principium II. *Præscriptio* est acquisitio dominii per possessionem bona fide cum debito titulo, & tempore legitimo continuatam; juxta *Laymann* l. c. differt ab usucapione, sicut effectus a causa: *Usucapio* enim juxta l. 3. ff. de usurp. & usucap. *est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti*. Hinc fere pro eodem accipiuntur. Præscriptio transfert dominium non tantum *in foro externo*, ita ut completa præscriptione repetenti rem suam negetur actio, hoc est, non audiatur in judicio, sed etiam in *foro conscientiæ*; ita ut ille, qui legitime præscripsit, & postea advertit, rem fuisse alienam, non teneatur illam restituere priori Domino. Ita *Covarr. Haun.* t. 8. n. 164. *Less. Lugo*, *Engel*, *Schmalzgr. Laym.* L. 3. de Just. t. 1. cap. 8. *Plat.*, & alii contra *Hugo* & *Rosel.*, qui absolute negant; item contra *Adrianum*, *Medinam*, & paucos, qui ad hoc requirunt negligentiam culpabilem prioris Domini. *Prob.* 1. Hic modus acquirendi approbatur a *Jure civili*, ut patet ex l. 1. ff. de usurp. & usucap. item a *Jure Canonico* l. 2. Decret. c. 6. tit. 26. de Præscript., & Caus. XVI. q. 3. c. 11. Ergo hoc ipso valet pro foro conscientiæ: alias jura non obtinerent finem suum, scilicet securitatem possessionis, *& ne possessores ejusmodi prope immortali timore teneantur*, ut habetur l. 7. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann. Denique hæ leges justæ non essent, si observari non possent, nisi cum peccato. Vide *La Croix* L. 3. p. 2. a n. 470.

882. Conditiones requisitæ ad legitimam præscriptionem

sunt I. *Res apta præscribi*; specialiter jure prohibentur præscribi *res sacræ*, Monasteria, Ecclesiæ, calices, jura spiritualia, v. g. jus cognoscendi & judicandi causas Ecclesiasticas &c. Jus decimandi ex dispositione Legum non patitur præscriptionem, ideoque non valet talis præscriptio ordinaria, vel extraordinaria sine titulo; valet tamen, ut hodie multi defendunt, extraordinaria cum titulo, vel immemorialis. Item præscribi nequeunt *res communes* sive *publicæ*, ut forum, viæ, plateæ, pontes. l. 9. ff. de usurp. & usucap. Plura de his vide apud *P. Engel.*

„ *Quæritur*. Quæ res præscribi non possunt?

„ *Nota*. Alia est *præscriptio positiva*, qua alicujus rei dominium auferetur alteri, & transfertur in præscribentem e. g. si quis præscribat pecuniam inventam. Alia *privativa*, qua priori Domino auferetur quidem jus activum, nullum autem præscribenti novum acquiritur e. g. si ager Caji liberatur a servitute patiendi transitum Titii: in primo dicitur *jus præscribi*, in secundo *præscribi juri*, seu præscribi immunitatem a jure, extinctionem juris.

„ R. Præscribi non possunt quæ *non sunt in commercio privatorum*, *aut alienari non possunt*, tum quia præscriptio est species alienationis; tum quia fit mediante possessione: ergo cum ea, quæ sunt extra commercium humanum, possideri non possunt &c. quare præter res supranumeratas præscribi nequeunt 1. *Aliqua jura ecclesiastica*: sic contra subjectionem erga Sedem Apostolicam, jure divino constitutam, item contra immunitatem Ecclesiasticam nulla prævalet præscriptio; nec contra res Ecclesiæ male alienatas a Prælato, quamdiu hic vivit; nec a laicis jus conferendi Beneficia, aut jus decimandi &c. quamvis jure decimandi possit præscribi. 2. Nec *Jura majestatis intrinseca*, quæ Principi debentur ratione supremæ potestatis e. g. jus exigendi homagium, ferendi leges, dominium altum in bona subditorum pro exigentia necessitatis, potestas judiciaria in controversiis civium, jus exigendi tributa in recognitionem supremæ jurisdictionis, dirigendi rem annonariam, commerciorum &c. 3. Nec *res Pupillorum*, bona adventitia filiorum familias, bona prodigorum, aut Ecclesiarum, quæ destituuntur Rectore &c. 4. Nec *actus meræ facultatis*, qui fiunt sine animo obligandi. 5. Nec *res furtivæ*, nisi sit præscriptio extraordinaria 40. annorum, vel ordinaria purgato prius vitio, quæ purgatio fit per hoc, quod res furtiva prius redeat ad Dominum, & tunc primum ad alium bona fide; ut docet P. Soel *lib. de Præscrip.* & P. Boechn *Append. de præscriptione*. Aliud est, si accedat privilegium Papæ pro præscribendis quibusdam juribus Ecclesiasticis, aut si decimæ non possideantur titulo spirituali, sed sint sæculares &c.

„ *Di-*

„ *Dices* 1. Ergo neque potuerunt præscribi *jura alia* e. g. ser-
„ vitutum &c. quia non possunt possideri, & sunt spiritualia.
„ 2. Nec *jura Episcopalia*. 3. Nec *Exemptio a subjectione* er-
„ ga Superiorem Ecclesiasticum &c.

„ R. *Ad* 1. N. possidentur enim *quasi possessione*, quæ ha-
„ betur *per usum juris non vi, non clam, non precario exerci-*
„ *tum*; & solum sunt spiritualia, prout hæc opponuntur cor-
„ poralibus, non prout naturalibus. *Ad* 2. *Jura Episcopalia*,
„ solam jurisdictionem requirentia e. g. instituendi & destituen-
„ di Beneficiatos, ferendi, & solvendi censuras, jus sepulturæ,
„ quartæ decimarum & funeralium &c. posse præscribi cum ti-
„ tulo 40. ann. sine titulo tempore immemoriali docet *P.*
„ *Boecha* ex regula Bonifacii VIII. qui tantum tempus exigit
„ in iis, quibus jus commune fortiter resistit, & alter habet
„ intentionem fundatam in Jure, *c.* 1. *h. tit. in* 6. *Ad* 3. si sub-
„ jectio est juris tantum humani, potest illi præscribi, licet
„ subjectione stante non possit essentialibus subjectionis præ-
„ scribi.

883. II. *Bona fides*, quæ est credulitas, qua quis sibi ratio-
nabiliter persuadet, rem, quam possidere incipit, esse suam,
aut saltem nescit, esse alienam, ut ait *Patel.* hic n. 593. Un-
de possessor malæ fidei, qui scit vel credit, rem esse alienam
nequidem tempore immemoriali præscribit, juxta reg. 2. juris
in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscripsit*. Item c. fin.
l. 2. Decret. tit. 26. *Synodali judicio definimus, ut nulla valeat*
absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam civilis. Nec
sufficit tantum bona fides ab initio, sed quamdiu currit præ-
scriptio, ita ut hæc interrumpatur, quamdiu desinit bona fides;
in hoc correctum est jus civile a jure canonico, c. enim cit.
porro ita statuitur: *Cum generaliter sit omni constitutioni atque*
consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest
observari; unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis
parte rei habeat conscientiam alienæ. Vide ibid. *c. vigilantis*.
Hæc confirmata vide in Tom. III. Bullarii Bened. XIV. Epist.
quæ incipit: *Urbem Antibarum*. §. 23. Si dubitans possessionem
inchoet, nulla est bonæ fidei, quia stante dubio non habetur
judicium prudens de re ut sua; ergo talis se exponit periculo
occupandi rem alienam, & formaliter peccandi: Qui de re jam
bona fide possessa incipit dubitare, tenetur inquirere; si dubium
vincere nequeat, licite potest se resolvere ad eam detinendam;
quia melior est conditio possidentis. Porro fides requisita debet
esse theologice & juridice bona, hoc est, non tantum debet
esse absque peccato, sed etiam non debet adesse *ignorantia ju-*
ris, bonæ tamen fidei non obest *ignorantia facti*. l. 4. ff. *de ju-*
ris & facti ignorantia.

884. III. Requiritur *titulus*, qui triplex est: alius verus,

qui nullo subſtantiali vitio laborat, v. g. valida emptio. Alius *coloratus*, ſive apparens, qui occulta laborat nullitate, v. g. ſi a Titio emas rem, quam putabas eſſe Titii, cum tamen ſit Caji. Alius *exiſtimatus*, qui prudenter creditur interveniſſe, & tamen non intervenit: v. g. ſi ex hæreditate poſſideas rem, quæ a patre tuo dicitur empta fuiſſe, cum tamen empta non ſit; alius eſt *præſumptus*, quando nequidem allegari poteſt certus titulus, ſed tantum præſumitur interveniſſe ob longitudinem temporis. Hæc conditio expreſſe habetur l. 24. Cod. de rei vind. *Nullo juſto titulo præcedente, poſſidentes ratio juris quærere dominium prohibet*. Non tamen requiritur titulus verus; hic enim ſtatim ſe ſolo ſine præſcriptione dominium transfert. In præſcriptione ordinaria brevis vel longi temporis, ſcilicet 3. 10. 20. annorum debet poſſe allegari, & probari certus titulus coloratus vel exiſtimatus. In præſcriptione longiſſimi temporis 30. vel 40. annorum vel extraordinaria præſumitur ex diuturnitate temporis titulus, *niſi jus commune præſcribenti reſiſtat*; ſic qui contra Eccleſiam Parochialem præſcribere vult decimas, præter poſſeſſionem 40. annorum debet vel docere titulum, vel tempus immemoriale.

885. IV. *Requiritur poſſeſſio continuata per tempus lege definitum*. Vide dicta n. 863. ſub finem. Tempus in jure aliud dicitur *breve*, quod eſt infra decem annos: aliud *longum*, quod inter præſentes (qui habitant in eodem territorio) eſt ſaltem 10. annorum, inter abſentes 20.: aliud *longiſſimum*, quod eſt ſaltem 30. annorum. Tempus *immemoriale* dicitur, cujus neſcitur initium. Ad præſcribendum *res mobiles privatorum*, ut ſunt pecuniæ, veſtes &c., requiritur triennium tum ex l. 2. Inſtit. tit. 6. de uſucap. & longi temp. præſcript. init. *Res mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis poſſeſſionem* (*id eſt, inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis*) *uſucapiantur* tum ex l. un. Cod. *de uſucap. transform.*, ſi præſcriptio fiat cum titulo & bona fide; ſi fiat ſine titulo, requiruntur 30. anni. Eadem præſcriptio triennalis etiam procedit adverſus res pertinentes ad Eccleſiam. *Laymann* l. 3. de Juſt. t. 1. c. 8. n. 13. Res vero mobiles ſine titulo uſucapiuntur triginta annorum ſpatio: excipiuntur etiam res mobiles furtivæ, vel vi acceptæ res immobiles, ad quarum præſciptionem requiruntur 30. anni. Inſt. l. 2. tit. 6. §. *furtivæ*: non eo ſenſu, quaſi fur poſſit præſcribere, cum ſit poſſeſſor malæ fidei, ſed hoc ſenſu, quod alius, qui rem furtivam bona fide emit, vel ejus hæres factus eſt, ſpatio 30. annorum poſſit præſcribere, ut habetur ibid. §. 3. Item eo caſu, quo ipſi furi ſupervenerit bona fides, v. g. quia a Confeſſario ei dictum eſt, licite tunc rem potuiſſe accipi vel retineri, ut ait *La Croix* l. c. n. 531. 2. Res minorennium non præſcribuntur, niſi triginta

ta annis. ibid. 3. *Res immobiles spectantes ad privatos* præscribuntur cum titulo inter præsentes decennio, inter absentes spatio 20. annorum: sine titulo spatio 30. annorum. Excipe etiam, si res immobilis a possessione malæ fidei ad te pacto vel contractu translata sit, non poteris, Domino ignorante, ante 30. annos usucapere. *Laym.* l. c. Dixit, *Res immobiles privatorum:* nam bona tum mobilia tum immobilia fisco jam incorporata 30. vel 40. annis usucapiuntur: adversus Ecclesiam Romanam h. e. Lateranensem, & summum Pontificem centum annis præscriptio perficitur, c. *ad audientiam;* c. *illud* de præscript. adversus Ecclesias inferiores, hospitalia, causas pias, & civitates spatio 40. annorum. Vide *Laym.* l. c. Res pupillorum tantum præscribuntur tempore immemoriali l. 3. Cod. de præscr. 30. vel 40. annorum.

886. Porro, juxta reg. 3. Jur. in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit*; ad eam inchoandam requiritur possessio naturalis, & civilis; ad continuandam vero sufficit civilis, L. 1. 6. & 25. ff. de acquir. possess. item l. 4. cod. de acquir. & retin. possess. diserte dicitur: *licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Possessio facti* dicitur, qua insistitur rei, præscindendo, an juste: vel injuste: *Juris* vero, qua juste rei insistitur. Possessio facti iterum alia est *naturalis*, qua quis corpore & animo insistit rei; alia *civilis*, qua solo animo res tenetur, etsi alius insistat re, & facto. Denique possessio debet esse propria sive fieri nomine proprio, non alieno; Hinc qui detinent rem non ut suam, sed nomine alterius, ut depositarius, commodatarius, locatarius, tutor &c. non possident, nec unquam præscribunt. Probabiliter creditori intra 30. annos debitum non petenti etiam opponi juste potest exceptio præscriptionis. Plura apud J. C.

„ *Quæres*. Quæ impedimenta præscriptionis?

„ R. Aliqua faciunt, ut *non procedat, non currat* præscri-
„ ptio, hoc est, ut initio statim defectus se opponat, vi cu-
„ jus ne quidem inchoari possit e. g. Antecessor rem furto aut
„ vi possedit, si hoc deprehendat successor, nunquam po-
„ test hic Successor inchoare præscriptionem; si vero non de-
„ prehendat, poterit successor particularis cum bona fide tem-
„ pore ordinario præscribere, Successor univarsalis vero solum
„ tempore longissimo: est autem *universalis*, qui titulo hære-
„ ditatis immediate Authori fidei succedit, *particularis*, qui
„ titulo alio e. g. empti, donati, legati &c.

„ Aliqua præscriptionem *interrumpunt*, hoc est, inchoatam
„ jam ita extinguunt, ut remoto etiam impedimento tempus
„ præcedens computari non possit e. g. si detegatur defectus
„ bonæ fidei, si oriatur inhabilitas possessionis, si lis coram
„ Judice desuper fuerit contestata &c.

„ Aliqua præscriptionem faciunt *dormire*, id est, inchoatam „ inhibent interim, ita tamen, ut remoto hoc impedimento „ tempus præcedens cum subsequente queat computari e. g. re„ spectu omnium dormit præscriptio tempore belli grassantis, „ pestis &c. ubi nemo potest in tribunalibus jus suum perse„ qui; respectu Ecclesiæ, quando hæc viduatur Rectore; re„ spectu filiifamilias quoad Bona adventitia, quando est adhuc „ sub patria potestate, respectu uxoris quoad bona dotalia, „ quamdiu vivit maritus &c. Denique *rescinditur* præscriptio „ per restitutionem in integrum, qua gaudent Minores per 4. „ annos post adeptam Majorennitatem, Ecclesiæ 4. annis ab „ inito contractu vel sententia, & omnes illi, qui aliena vo„ luntate reguntur, ut Communitas, hospitalia &c.

„ De successione ab intestato vid. post. n. 956.

ARTICULUS V.

Principia generalia de Dominio ex contractibus.

§. I.

De Contractibus in genere.

887. *Nota*. Contractus late sumitur. 1. Pro quolibet pacto, aut conventione, sive inde oriatur obligatio sive non, & definitur: *Duorum pluriumve in idem placitum consensus* l. 1. ff. de pactis. 2. Stricte pro tali conventione aliquorum inter se, ex qua utrinque nascitur obligatio: & dicitur contractus *onerosus*: sic l. *Labeo* 19. ff. de V. S. definitur: *ultro citroque obligatio*, scil. causaliter, contractus enim causat obligationem. 3. Sumitur modo quodam medio, vi cujus in una tantum parte oritur obligatio, hic vocatur contractus *lucrativus*, ut donatio. Porro pactum stricte tale per se quidem obligat in conscientia sicut contractus; differt tamen ab eo, quod hic simul pariat actionem civilem, pacto autem tantum concedatur actio prætoria. Ex his contractus, de quo hic agemus, recte definitur: *duorum vel plurium in idem consensus liber & legitimus, quo vel se invicem, vel saltem unus se alteri obligat ad aliquid dandum, vel agendum*. Inter alias divisiones contractus celeberrima est in Nominatum, & Innominatum: *Nominatus* est, qui in jure habet proprium nomen; *Innominatus* venit nomine communi conventionis, pacti, commutationis &c. Hic fit variis modis, v. g. *do tibi, ut des*: *do, ut facias*: *facio, ut des*: *facio, ut facias*: l. 5. ff. de præscript. verb.

888. *Principium*. Ut validus sit contractus, & inducat obligationem in conscientia requiritur, I. *Consensus internus* h. e. voluntas explicita vel implicita se obligandi. *Prob.* 1. ex l. 3. ff. de oblig. & act. *Non satis est dantis ess nummos, & fieri accipien-*

cipientis, ut obligatio nascatur: sed etiam hoc animo dari, & accipi, ut obligatio constituatur. &. l. 1. ff. de Pact. *Nam & stipulatio, quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est.* Prob. 2. Obligatio, quæ est ex contractu, nascitur a voluntate se obligantis; ideo enim obligor, quia volui; ergo ubi non est voluntas se obligandi, non est obligatio: ergo cum contractus essentialiter causet obligationem, deficiente voluntate se obligandi, deest essentia contractus. Ita *Sanch. Lugo* hic D. 22. n. 45. & alii contra *Vasq. Dicast.* Dixi, *voluntas ex-vel implicita*; *explicite* enim se obligat, qui id verbis, signis, aut scriptura exprimit; *implicite*, qui vult aliquid cum tali obligatione connexum. Sic admittens officium Judicis se obligat ad ferendas sententias justas.

889. II. Requiritur *Consensus liber* scil. ab inadvertentia, ut fiat cum tali deliberatione, quæ sufficeret ad peccatum grave. Item *liber* ab ignorantia, & errore circa *substantiam* contractus; hinc nullus est contractus, si emas vitrum, putans esse gemmam; validus autem est contractus, licet interveniat error vel dolus circa circumstantiam accidentalem; quia manet consensus circa substantiam, nisi contrahens expresse intendat se non obligare non existente hac vel illa qualitate, ut ait *Laym.* l. 3. t. 4. c. 5. n. 3.

890. III. Requiritur, ut consensus sit etiam externe manifestatus. Quia contractus est actus humani comercii; homines autem non penetrant interna, ergo, ut valeat, & obliget contractus, debet fieri per signa externa. *La Croix* l. 3. p. 2. n. 654. cum *Lugone*, & *Dicast.*

891. IV. Reliquæ conditiones sunt. 1. Ut consensus fiat a persona habente rerum suarum administrationem. 2. Ut sit legitimus, sive lege non prohibitus. 3. Ut sit circa materiam possibilem, & honestam.

„ Quæritur. Quinam contrahere possint?

„ *Nota* 1. *Pupillus* est impubes qui desinit esse in patria „ potestate per emancipationem expressam coram Judice, & „ hodie per tacitam ineundo matrimonium, & erigendo pecu„ liarem familiam; per professionem Religiosam, per electio„ nem ad Episcopatum, per mortem Patris naturalem, aut „ civilem alterutrius, id est diminutionem capitis maximam „ vel mediam: *Minor* vero pubes, qui nondum annum 25. „ de jure communi implevit: *differunt* 1. *ætate*; nam pupil„ lus mas nondum implevit annum 14. & si nondum atti„ git annum 10. cum dimidio, dicitur infantiæ proximus; „ fœmella autem 12. & 9. cum dimidio. 2. Pupillis datur „ Tutor ad eorum *personas*, & *bona*; Minoribus solum ad „ bona Curator. 3. Pupillis *invitis* potest tutor dari ad „ omnia, minoribus invitis tantum ad litem. 4. Pupillus

„ nondum est *omnino liber* quoad obligationes personales e. g. „ vota personalia, matrimonium, statum Religiosm, nec pot- „ est ante professionem Religiosam per ultimam voluntatem „ disponere, prout Minor &c.

„ R. *Generatim* illi possunt contrahere, qui habent usum „ rationis, & liberam bonorum administrationem. *In specie.* „ 1. *Pupillus* proximus infantiæ nihil potest disponere *sine con-* „ *sensu tutoris*; ob defectum rationis enim, ait jus, non mul- „ tum a furioso differt: pubertati vero proximus, seu ut hodie „ volunt, usu rationis præditus probabilius valide contrahit „ cum Majore in suum commodum, id est, si & in quantum „ factus est ditior; in Contractibus autem onerosis vel dete- „ riorativis datur claudicatio, ut Major obligetur, non item „ Pupillus, & si contractus executioni datus est, habet pupil- „ lus privilegium restitutionis in integrum intra 4. annos ade- „ ptæ pubertatis, & non impeditæ actionis. Ita *Antoine*, *Bi-* „ *ner*, *Rosmer cum communi*. 2. Potest tamen *cum consensu* „ *tutoris* contractus etiam onerosos & alienativos inire circa „ bona mobilia non valde pretiosa, circa mobilia vero valde „ pretiosa, aut immobilia solum potest sub triplici conditione: „ consensu tutoris, decreto judicis, vel Magistratus, cognitio- „ ne causæ. *Ratio* est favor ætatis, & conditionis pupillaris. „ Minor *non habens Curatorem* potest valide, & simpliciter „ contrahere de mobilibus minus pretiosis, aut pretiosis, sed „ servando non servabilibus; habet tamen restitutionem in in- „ tegrum, si ex contractu læsus est *L.* 3. *C. de integ. rest.* 2. „ *Habens Curatorem* sine hujus consensu potest solum valide in „ suum commodum de dictis bonis contrahere; de immobili- „ bus vero, & mobilibus pretiosis, quæ servando servari pos- „ sunt, necessarium est decretum & approbatio Judicis vel Ma- „ gistratus. Quare multum interest inter Contractus *lucrativos*, „ *seu melioratívos*, & inter onerosos vel deteriorativos.

Casus I.

Damasus ebrius vendit equum, altera die facti pœnitens confirmat contractum, si emptor Cajus velit auxilium præstare ad inferendum grave damnum Davidi: consentit Cajus; uterque confirmat contractum juramento.

892. *Q. 1.* An valeat contractus a Damaso in ebrietate initus? R. In plena ebrietate initus non valet, ob defectum usus rationis, consequenter etiam deliberationis. Eodem modo non obligantur, nec obligant, dormientes, furiosi, & fatui, nisi tempore lucidi intervalli. Sunt tamen capaces illarum obligationum, quæ non fundantur in potentia proxime libera, sive ad quas non requiritur ipsorum consensus; sic amens, si fiat

si fiat hæres, debet solvere legata; hinc jus providit, ut alii scil. tutores, curatores, vel administratores, vel ipsæ Resp. eorum personas repræsentent. Denique cum vere probabile sit, & in praxi tutum, ut ait *Platel.* hic n. 593. quod pupillus non obligetur in conscientia, si pubertati proximus contrahat sine auctoritate tutoris; hinc in praxi tuta conscientia potest se conformare sententiæ sibi faventi; ita ut non teneatur ad solutionem, nisi in quantum factus est ditior: vide Theol. Schol. de J. & J.

893. *Q.* II. An contractus secundus cum conditione inducente ad peccatum obliget? R. *Negative*: contractus enim de re illicita omni jure est irritus, quia non potest dari obligatio ad peccatum, nec contractus potest esse vinculum iniquitatis. Nihilominus conditione impleta (dummodo pretio sit æstimabilis ob laborem, periculum, commodum, delectationem) contrahens obligatur ad implendum promissum; item si unus contrahens expleverit suam partem, obligatur alter explere suam partem, *si licita sit*, secus si & illa illicita esset: vide dicta n. 542. Sic contractus cum meretrice, turpi opere impleto, obligat promissorem in conscientia pactam mercedem dare, & promissaria potest acceptam retinere. *Platel.* hic num. 589. cum *Covar. Cajet.* & *Less.* Solutio enim mercedis de se non est mala.

894. *Q.* III. An contractus ad inferendum damnum proximo, saltem juramento firmetur? R. *Negative*: vide dicta n. 525. *Adverte* hic sequentia 1. Contractus jure naturæ aut divino irriti, aut qui vel cedunt in præjudicium tertii, aut Reipubl., vel qui sunt de re intrinsece inhonesta, vel qui perpetuam ex parte jurantis, vel etiam creditoris, aut promissarii, turpitudinem continent, ut est pactum de usuris, de prostitutione corporis &c. Juramento non confirmantur; quia ubi nulla est substantia contractus, nihil est, quod possit firmari: at qui in dictis casibus non adest substantia contractus: ergo. 2. Nec juramento firmantur illi contractus, qui jure humano absolute prohibiti sunt sub peccato in conscientia, vel irritati ob bonum publicum; hoc ipso enim, quod tales contractus absque peccato iniri nequeant, non tantum ipsi, sed etiam juramentum irritatur ob causas publicas, & graves; utpote quod non potest esse vinculum iniquitatis. 3. Nec illi, quos jus humanum non tantum irritat, sed etiam juramentum eis adjectum expresse vult esse sine viribus; tunc enim illud nequidem parit obligationem religionis. *Piehler.* l. 2. t. 24. n. 2.

895. *Q.* IV. An juramentum firmet illos contractus, qui a jure humano præsertim civili invalidantur principaliter propter bonum privatorum? R. Affirmativam tenent *Covar. Suarez. Azor. Haun.* & plures alii: Negativam *Gletle*, *Wistner* de *Jurejur.*

rejur. n. 78. *Pichler* l. c. n. 48. Hinc Confessarius potest in favorem pœnitentis resolvere, præsertim si sequentibus actibus Juramentum sit adjectum. Si alienationi rerum dotalium & donationum propter nuptias. 2. Si pacto, quo filia renunciat hæreditati paternæ. 3. Si contractui Minoris absque auctoritate tutoris. 4. Si donationi omnium bonorum præsentium & futurorum. 5. Si donationi 500. solidos excedenti, & factæ absque insinuatione apud judicem. 6. Si promissioni non revocandi testamentum, aut instituendi certum hæredem. 7. Si fidejussioni mulieris renunciantis S. C. Vellejano. 8. Si mutuationi filii familias renunciantis S. C. Macedoniano &c. In his & similibus juramentis prudens Confessarius potest suadere relaxationem petendam, ut liberetur ab obligatione religionis; Juramentum enim etsi non firmet contractum, servandum tamen est, quoties servari potest sine peccato, non quidem ex justitia, sed ex religione: Sic qui metu mortis aliquid jurato promisit latroni, vel usurario promisit solvere usuras, tenetur solvere, vel petere relaxationem a latrone, vel usurario, qui eam ex justitia dare tenetur vel si nolint, ab Episcopo. Vide c. 6. 18. & 26. de jurejur. *Suar. Less. Haun. Jansen.* casu 50. n. 15.

Casus II.

Dunstanus nuper contraxit, sed ex errore egregie deceptus est: Idem ex metu iniit contractum; dubitat proinde an obligetur ex utroque contractu.

896. *Q.* I. Quid ad primum? R. Si error vel dolus fuerit circa substantiam, non obligatur, v. g. si aurichalcum emerit pro auro; quia error circa substantiam facit non cognosci substantiam, ergo impedit consensum in substantiam, qui est de essentia contractus. Valet vero contractus, si erraverit circa qualitates impulsivas, etsi error sit antecedens, vel proveniat ab altera parte contrahente, aut aliquo tertio, v. g. si emerit equum decennem, quem putavit esse quinquennem. Si tamen accidens vel qualitas teneat se ex parte motivi, aut materiæ primario intentæ, error vitiat contractum, v. g. si promittam eleemosynam Petro diviti, putans me promittere Paulo pauperi, error afficit substantiam; quia motivum principale erat sublevare pauperem, qualis non erat Petrus. *Laym.* l. c.

897. *Q.* II. An metus vitiet contractum? R. 1. Nullus metus intrinsecus (h. e. ortus a causa naturali v. g. a morbo, a tempestate, a bestia &c.) nec extrinsecus, scil. incussus a causa libera, si juste incussus sit, invalidat contractum, nec facit rescindibilem: quia stante tali metu simpliciter manet voluntarium; & cum justus sit metus, nulla intervenit injustitia: ergo. R. 2. Metus gravis, qui vehementer conturbat, nec facile su-

ſuperari poteſt, injuſte incuſſus ab extrinſeco non quidem invalidat contractum ordinarie, facit tamen eum reſcindibilem ob injuriam, quæ per talem metum cauſatur. *Laym.* l. 3. de *Juſt.* tit. 4. c. 6. n. 2. cum *Vaſq. Suar. Coninch.* & aliis contra *Molin. Rebell.* & *Sporer*, qui dicunt ejuſmodi contractus jure naturæ eſſe nullos, eoquod ex actione injurioſa nemo ſibi poſſit acquirere jus. At negatur ſuppoſitum, quod metum incutiens acquirat jus ex iniqua ſua coactione, id enim oritur ex alterius conſenſu ſimpliciter voluntario. Dixi, *ordinarie*, excipitur enim 1. Contractus matrimonialis c. 15. de Sponſ. 2. Profeſſio Religioſa c. 1. de his, quæ vi in 6. . . . . 3. Traditio vel promiſſio de Rebus Eccleſiæ c. 2. de Jurejur. 4. Abſolutio a cenſuris c. 1. de his, quæ vi in 6. &c.

§. II.

Principia Generalia de Promiſſione, donatione, Commodato & depoſito.

898. Princip. I. *Promiſſio eſt deliberata, & ſpontanea fidei obligatio facta homini de re quapiam bona & poſſibili*, addunt alii: *exterius manifeſtata, & ab altero acceptata*. Promiſſio nuda probabilius obligat de ſe ex ſola fidelitate ſub veniali. Ita *Cajet. Diana, Babenſt.* t. 7. D. 6. a. 2. n. 11. Dixi 1. *promiſſio nuda*: Si enim veſtiatur juramento, Chirographo, adhibitione Notarii vel Teſtium, obligat ex Juſtitia, & ſub peccato gravi, ſecundum quantitatem materiæ, quæ tamen juxta *Steph.* duplo, juxta *Reginaldum* l. 25. n. 84. cum *Th. Sanch.* quadruplo major contra *Navar.* requiritur ad mortale injuſtitiæ ex liberali promiſſione, quam ex furto; quia homines magis inviti ſunt, & gravius conqueruntur de re ſua ablata furto, quam de non impleta promiſſione liberali. Dixi 2. *obligat ſub veniali*: quia nuda promiſſio manet ſub ſolo debito fidelitatis, juxta *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. Atqui ſola fidelitas obligat tantum ſub veniali de ſe ad conformanda facta promiſſis, ſicut veracitas ad conformanda dicta menti: ergo. Dixi 3. *de ſe*; quia ſi promiſſor intendat, ſe ex juſtitia in re notabili obligare graviter, orietur obligatio gravis; obligatio enim pendet ex intentione promittentis. *Ex his reſolves ſequentia.*

Dativa promiſit Daroſæ novam veſtem, dubitat autem, aut nequidem cogitavit, an ſe voluerit obligare ex ſola fidelitate, an ſub veniali, aut mortali.

899. *Q. I.* Quo modo obligetur? R. Probabilius ſub veniali, etſi materia ſit gravis; quia ſic promittentes non intendunt, nec cenſeri poſſunt, ſe velle obligare, niſi ad id, quod exigit natura promiſſionis liberalis: atqui hæc exigit obligationem tan-

tantum levem ex sola fidelitate: ergo. *Confirm.* promittens in hoc casu est dubia: ergo sicut in lege, quando dubium est an obliget graviter, vel leviter, possum eligere, quod minus est, ita in promissione, quæ est quasi lex privata. *Sporer t. 6. c. 2. n. 69.* cum *Mol.* & *Lug.* Ideo juxta *Sanch.* l. 1. de Matrim. D. 5. n. 21. plurimæ promissiones excusantur a mortali, quia non intendunt homines se præcise, & simpliciter obligare, sed ex quadam benevola honestate.

900. *Q.* II. Quando promissio non obliget? R. Non obligat 1. Si non sufficienter deliberate facta sit, nimirum deliberatione tali, quæ alias sufficeret ad peccatum mortale: semiplena enim non sufficit ad imponendam sibi obligationem gravem. *Babenst.* l. c. n. 2..... 2. Si non sit Spontanea: ideo promissio fraude, vel metu injusto etiam levi extorta, ab eo, qui fraudem, vel metum passus est, pro libitu potest rescindi, nisi firmata sit Juramento. *Jansen.* casu 51. n. 1. 3. Si mere interna sit: nam licet talis sufficiat in voto, quod sit Deo; non tamen sufficit, si homini fiat, utpote qui eam non potest cognoscere. 4. Si mere externa absque animo se obligandi. 5. Si non acceptata.

901. Denique promissio cessat; 1. si res promissa fiat illicita, vel promissario inutilis. 2. Ex partium consensu. 3. Si promissarius tuus non stet promisso tibi facto: hæc enim prudenter censetur fuisse voluntas promissoris, ut frangenti fidem fides frangatur eidem. Ita *Sà*, *Babenst.* l. c. n. 15. Generaliter si notabilis facta sit vel promittentis, vel rei mutatio; ita ut ante traditionem rei promissæ grave, & novum obveniat promissori incommodum, quæ conditio juxta Dicast. etiam locum habet in promissione jurata; quia liberalis promissio prudenter censetur facta sub conditione; nisi status ante traditionem notabiliter mutetur; prævisa enim tali mutatione promissio non fuisset facta. *Bonac.* de Contract. D. 3. q. 12. pu. ult.

902. *Princip. II. Donatio est rei propriæ collatio nullo jure cogente, sed mere liberaliter alteri facta.* Donatio *Antidoralis* fit ex gratitudine ob præstitum beneficium, vel obsequium, hinc non est mere liberalis, nec stricte dicta donatio. *Dixi collatio rei*; quia per donationem transfertur dominium rei in donatarium, eique *post acceptionem* acquritur jus, & actio contra donantem; ante acceptationem donatio non parit obligationem; ideoque potest revocari; etiamsi donans voluerit se absolute obligare. Ex his resolves sequentia:

Daniel donavit Domitillæ pretiosum annulum pertinentem ad sororem suam: Idem verbaliter donat Daciano horologium aureum, Damiano autem illud donat realiter cum traditione; mox facti pœnitens horologium repetit; cum uterque donatarius non acquiesceret; utrique rem pretiosiorem donat, sed mortis causa.

903. *Q.*

903. *Q.* I. An donatio Domitillæ facta valeat? R. *Negative*; quia nemo potest donare, nisi rem suam, de aliena autem disponere nequit; ergo cum ille annulus non fuerit Danielis, sed ejus sororis dominio, & dispositioni subjectus, tenetur illum repetere & restituere sorori.

904. *Q.* II. An Damianus possit retinere horologium antea verbaliter donatum Daciano? R. *Affirmative*; quia hic per traditionem acquisivit jus in re, Dacianus autem per donationem tantum jus ad rem obtinuit; unde habet tantum actionem contra donantem ad restituendum valorem rei, nisi donans revocasset ex justa causa donationem. *Jansen. casu* 52. n. 2.

905. Adverte I. *Donatio inter vivos* dicitur, qua quis se vivo rem absolute vult esse alterius: Ea regulariter non potest revocari, nisi in tribus casibus in jure expressis. 1. Ob *ingratitudinem*, quæ de jure quinque casus comprehendit, scil. 1. Si donatarius verbo vel facto injurias atroces in donatorem effundat, lædendo ejus honorem. 2. Si atrocem injuriam in bonis fortunæ. 3. Si per se, vel per alium impias manus injecerit. 4. Si vitæ periculum aliquod ei intulerit, etiam morte non secuta. 5. Si conditiones donationi conjunctas non impleverit, l. fin. cod. de revocand. donat. Debet tamen ingratitudo probari coram judice, post cujus sententiam donatarius tenetur rem cum fructibus post litem contestatam perceptis restituere, non vero ante sententiam. *Excipiuntur* donationes ob ingratitudinem non revocabiles. 1. *Donatio facta Ecclesiæ, vel loco pio*. v. g. monasterio, quia hæc donatio primario facta est Deo, qui ingratus esse nequit. *Barbosa* in cit. c. fin. n. 15.... 2. *Donatio remuneratoria*, quia in odiosis non venit nomine donationis. *Barb.* ibid. n. 17. 3. *Donatio facta filiæ in dotem* l. si dotem 24. cod. *de jure dotium*. 4. Si donator scivit ingratitudinem, & donationem non revocavit, censetur eam remisisse, nec hæres, vel successor ejus potest revocare; secus si donator lite contestata contra ingratum decesserit, vel ingratitudinem ignoraverit. *Reiffenst.* hic n. 64. contra *La Croix*.

906. 2. Revocari potest donatio, si donator carens prole magnam partem bonorum suorum donarit, eique postea nascatur proles l. *si unquam* cod. de revoc. dot. *Excipe* donationem Antidoralem, & factam Ecclesiæ, quæ tantum revocatur usque ad legitimam filiis jure debitam; quamvis ob ædificationem populi præstet totum refundere.

907. 3. Revocari potest, si sit *inofficiosa* donatio, sive contra officium paternæ pietatis in filios, v. g. si Pater uni vel alteri ex filiis, aut extraneo tantum donarit, ut reliqui filii priventur sua portione legitima. Donatio filio, aut Ecclesiæ facta revocari solet per sententiam judicis usque ad legitimam

alio-

aliorum; facta extraneo revocatur in toto l. 1. & seq. de in offic. donat.

907. *Adverte* II. *Donatio mortis causa* dicitur, qua quis sic donat, ut rem velit esse alterius, sed nonnisi post mortem suam, v. g. si dicas *do tibi hoc post mortem: vel cum moriar, vel quia timeo, me nunc morituram. Busemb.* Revocari hæc potest. 1. Si donatorem pœniteat expresse, vel implicite, v. g. si rem alteri donet. 2. Si donatio fuit facta ex metu periculi, ex quo donator timuit mortem, v. g. instante prælio vel gravi morbo, illudque periculum evaserit, censetur tunc tacite revocata promissio. 3. Si donatarius ante donatorem moriatur, ipso jure revocata est. In dubio, an donatio sit facta inter vivos, vel mortis causa, censetur facta inter vivos, quia hæc est principalior. Denique si donator mortis causa promittat, se donationem non revocaturum, ea transit in donationem inter vivos. *Less.* hic n. 114. *Laym.* l. 3. t. 4. c. 12.

909. *Princip.* III. *Commodatum est contractus gratuitus, quo res aliqua mobilis vel immobilis conceditur ad solum usum pro certo tempore*: Si concedatur pro indeterminato tempore, donec revocetur, est *precarium*. Res, quæ usu statim consumuntur, ut pecunia, vinum, frumentum, proprie commodari non possunt, nisi forte ad pompam vel ostentationem. Dixi 1. *Gratuitus*; per hoc distinguitur a locato, & aliis contractibus onerosis. Dixi 2. *ad solum usum*, per quod differt a pignore, & deposito, quorum usus non conceditur. *Obligationes* commodatarii sunt. 1. Tenetur restituere rem numero, & qualitate eandem. 2. Ei non licet rem commodatam ad alium usum impendere, quam ad eum, ad quem concessa est; si adhibeat eam ad alium usum, & ipsa pereat, vel si pereat alia ex culpa, tenetur restituere in æquivalenti. 3. Si non restituat tempore determinato, & mora sit culpabilis, tenetur reparare damnum ex mora emergens. 4. Commodatarius tenetur ad expensas *ordinarias* v. g. ad pabulum, aut soleas equi reparandas; Non autem ad *extraordinaria*, quæ v. g. in curationem equi infirmi fieri debent, ad has enim tenetur commodans. Nec Commodatarius tenetur ad casum fortuitum, nisi sua mora causa sit, quod tali casu res commodata pereat, eodem tempore non peritura apud dominum. Ita *Less. Reiffenst.* & alii. Vide l. fin. ff. commodati.

910. Q. Quid si Titius commodaret Cajo equum morbo contagioso infectum, a quo inficerentur equi ipsius Caji? R. Debuisset vitium aperire; hinc tenetur commodatario de omni damno, quia illius causa est. Ita *Jansen.* cas. 53. n. 8.

911. *Princip.* IV. *Depositum est contractus, quo rei alienæ custodia gratis suscipitur*. Obligationes depositarii sunt. 1. Ut depositum statim reddat deponenti, si illud repetat. Si res depo-

si-

posita sit furtiva, eamque & fur, & dominus repetant, si certo constet de jure domini, reddenda est domino, non furi. 2. Tenetur per se loquendo eandem rem numero reddere, nec licet ea uti, l. 3. cod. depos. Nisi bona fide, & prudenter existimet, fore, ut depositori non displiceat, si ea utatur, maxime si res non consumatur usu, aut saltem in eadem bonitate reddi possit, quamprimum depositor voluerit. Ita *Less. Excipe*: Nisi res deposita inclusa sit arcæ. 3. Tenetur ad diligentem rei depositæ custodiam; hinc si ea pereat ex dolo, vel alia culpa theologica gravi, tenetur eam compensare depositarius. Ita *Communis*; an vero teneatur ex culpa juridica lata, levi, & ut quidam volunt, etiam levissima disceptatur. *Laym.* l. 3. de Just. t. 4. c. 25. tradit sequentes regulas dicens: in tribus casibus fortuitis tenetur de culpa depositarius. I. *Si ita conventum sit; nam contractus ex conventione legem accipiunt.* II. *Si aliquis deposito se ipsum obtulit; quia majorem præ aliis custodiendi curam promittere videtur*, nisi, ut sæpe fit, simul dicat, quod velit quidem id officii in se suscipere, nolit autem damnum præstare. III. *Si depositarius mercedem accipiat sive pro custodia, sive quod rem elaborare debeat*, v. g. *Sartor vestem sarciendo, vel aurifaber aurum elaborando, transit enim tunc contractus in locationem* &c. ideo aliqui volunt, tales teneri etiam ex culpa levi, quia depositio transit in eorum commodum.

912. *Q.* De qua culpa teneantur caupones, nautæ, stabularii circa res apud se depositas? item molitores circa frumenta sibi commissa? item balneator circa vestes apud se depositas? Respondent quidem graves AA. eos teneri etiam ex culpa levissima, modo viderint, res apud se deponi, nisi prædixerint deponentibus, ut suarum rerum curam gererent, & ii consenserint. Probant ex l. Nauta, ff. *Nautæ, caupones, & Stabularii*, ibid. ex l. ult. At respondet *Reginald.* l. 25. n. 568. quod hæ leges de culpa levissima in conscientia non inducant obligationem, nisi post sententiam judicis, eoquod sint pœnales, fundatæ in præsumptione contra nautas &c. vel intelligendæ sunt de eo custode, qui mercede specialiter conductus, aut expressa conventione obligavit se ad exactissimam diligentiam præstandam, qui utique de culpa levissima tenetur: secus est de culpa lata, quæ cum æquipararetur dolo, ante sententiam judicis obligat in conscientia. Denique deponens tenetur aperire vitium rei, ex quo depositario potest damnum obvenire v. g. si res deposita sit peste infecta, item ad expensas forte faciendas in servando, aut reddendo deposito. *Platel.* hic n. 620.

913. Species depositi est *sequestrum*, quo res controversa deponitur apud tertium eo fine, ut post sententiam judicis ea vincenti tradatur. Vide *Laym.* l. c. n. 7.

§. III.

§. III.

Principia Generalia de Mutuo, & Usura.

914. *Principium* I. *Mutuum* (prout hic sumitur) *est contractus, quo rei alicujus numero, pondere, vel mensura constantis dominium transfertur in alium cum onere restituendi similem in specie, & qualitate tempore a mutuante præfixo.* Obligatio *mutuatoris* est, 1. Ut tradat rem absque vitio occulto. 2. Ut non repetat ante tempus præfixum, vel saltem non in continenti, ne videatur illusorie agere, ita *Patel.* hic n. 622. Obligatio *Mutuatarii* est. 1. Ne petat mutuum ab usurario, nisi urgente necessitate. 2. Tenetur reddere tempore præfixo: excipe filium familias adhuc constitutum sub patria potestate, qui mutuam accipiens pecuniam sine consensu patris, non tenetur ipse, nec ejus parentes eam restituere; quod non teneatur *civiliter*, nequidem post mortem patris, aut emancipationem, patet ex l. 1. & seqq. ff. de Maced. Probabilius etiam in foro conscientiæ, vide Theol. Schol. de J. & J. *Molinam* t. 2. *Lessium*, l. 2. c. 20. Dub. 2. *Laymann* l. 3. t. 4. c. 15. nu. 5. contra *Covarr. Excipe*: nisi filius habeat bona castrensia, vel publice putabatur sui juris, vel pecunia sit expensa in utilitatem patris; alias exceptiones vide apud *Laym.* l. c. 3. Tenetur mutuatarius de omni casu fortuito; quia res perit ipsi tanquam domino. *Patel.* n. 623. 4. Tenetur restituere rem absque mutuantis damno.

915. *Principium* II. *Usura* communiter sumitur pro *lucro ex mutuo*, hinc definitur lucrum immediate proveniens ex mutuo tanquam debitum scil. ex justitia, vel ex prætenso titulo gratitudinis, vel benevolentiæ; hinc omne id, quod vi contractus mutui exigitur supra sortem h. e. rem mutuatam, usura est. *Contractus usurarius* juxta *Sotum*, *Mol. Lug.* est, quo mutuans obligat mutuatarium ad dandum aliquid pretio æstimabile supra sortem solo titulo mutui, seu propter usum ejusdem. Usura alia est *mentalis*, quando quis intendit lucrum ex mutuo tanquam ex justitia debitum, quamvis id in pactum non deducat. *Realis* alia; quando id clare, vel saltem signo aliquo pacto inferitur. Item alia dicitur *aperta*, formalis, sive expressa, quando aliquid in ipso contractu mutui ultra sortem, titulo, sive ratione formalis mutui exigitur: alia *palliata*, seu virtualis, & implicita, quando mutuum accipitur ratione alterius contractus v. g. venditionis aut emptionis, qui virtualiter in se includit mutuum, v. g. si ob dilatam solutionem aliquid de justo pretio subtahitur; vel ob anticipatam aliquid supra justum pretium exigitur.

916. Usura *mere lucratoria*, hucusque descripta non solum ex genere suo est peccatum mortale, sed etiam parit obligationem

tionem restitutionis. *Prob. I.* ex c. *Consuluit*. l. 5. Decret. *de Usuris*. Ubi relatis variis speciebus usuræ Urbanus III. ait: *Verum quia, quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ* cap. 6. v. 35. *manifeste cognoscitur, in quo dicitur: date mutuum, nihil inde sperantes: hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis usura, & superabundantia, prohibeatur in lege) judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi.* *Prob.* 2. ex Clementina unde Usuris: *Si quis in illum errorem incideret, ut pertinaciter affirmare præsumat; exercere usuram non esse peccatum, decernimus velut hæreticum puniendum.* Excusat tamen parvitas materiæ, sicut in furto, usuram a peccato gravi, ut ait *Babenst.* t. 7. d. 6. a. 4. n. 13.

917. *Q.* An ex nullo titulo liceat unquam aliquid ultra sortem exigere? R. Ratione mutui præcise nunquam id licet, sed ratione alterius tituli justi cum mutuo per accidens vel, ut ajunt, non ratione, sed occasione mutui, conjuncti, & sic vocatur *usura compensatoria*. *Primus* ejusmodi titulus est, *damnum emergens*, quod mutuans patitur præcise ratione mutui, v. g. si mutuans indigeat pecunia sua ad emenda necessaria familiæ suæ, quæ modo potest emere minore pretio, ex eo autem, quod alteri pecuniam suam det mutuo, & aliam non habeat, cogitur postea majore pretio ea emere. *Secundo titulus est lucrum cessans*, quod scil. mutuans certo, aut probabilissime fuisset consecuturus, nisi pecuniam suam dedisset mutuam. *Ratio* utriusque est: quia hac ratione non accipitur aliquid ultra sortem præcise ratione mutui, sed ratione damni pretio estimabilis per accidens mutuo annexi, quod mutuans nullo titulo tenetur gratis subire, vel ratione lucri, cujus certa vel probabilissima spes pariter pretio æstimabilis est: ergo ejus compensatio in pactum juste deduci potest. *Confirm.* sicut ratio dictat, mutuantem non debere fieri ditiorem ex damno mutuatarii, & solo titulo mutui lucrum accipere; ita pariter dictat, mutuantem in beneficio mutui debere servari indemnem: ergo a mutuatario juste potest exigere compensationem damni; quod ob mutuum prævidet sibi oriturum, vel lucri, quod alias fuisset facturus. Hanc doctrinam *Laym.* l. c. vocat communiter receptam contra *Scotum* in 4. d. 15. q. 2. a. 3. *Tertius* titulus est *periculum amittendæ, vel difficulter recuperandæ sortis*, eoquod nemo pro sorte fidejusserit, aut mutuatarius sit homo non industrius, decoctor, aut pluribus debitis jam obstrictus. Hunc titulum tanquam justum approbant Joan. *Medina*, *Corduba*. *Valent. Sà*, *Less.* *Lugo*, *Palao*, *Laym.* *Viva*, & alii. *Ratio est*, quia hoc periculum est mutuo extrinsecum, & pretio æstimabile; quod quis se in tale periculum, vel difficultatem conjiciat; ergo quod propter istud periculum

lum exigitur, non exigitur præciſe ratione mutui, ſed ratione alicujus pretio æſtimabilis mutuo per accidens annexi. Negant vero ob periculum ſortis amittendæ poſſe aliquid ultra ſortem accipi *Covar. Sot. Tolet. Rebell.* & alii. *Platelius*. n. 639. utramque ſententiam vocat valde probabilem; ſecundam quidem tutiorem, primam tamen certo probabilem, in qua fundari poſſit dictamen practice certum de licentia aliquid ſupra ſortem iſto titulo accipiendi.

918. *Adverte*: ut prædicti tituli excuſent, requiritur. 1. Ut mutuatarius moneatur expreſſe de præſtando damno, ſive ut lucrum ceſſans, vel damnum emergens, vel ſortis periculum deducatur expreſſe vel tacite in pactum, fiatque contractus innominatus v. g. deſiſtam ab hoc lucro, aut ſubibo hoc damnum, vel periculum, ut des mihi quinque; ne decipiatur, forte enim nollet accipere mutuum cum tanto onere. *Laym.* l. c. n. 10.... 2. Ne plus exigatur, quam valeat damnum, vel periculum in æſtimatione prudentum, mutuans enim tantum habet jus, ut ſervetur indemnis; ſi aliam obligationem mutuario imponat, ab uſura non poterit excuſari. *Duarte* V. uſura. n. 543.

919. Confirmantur hucuſque dicta ex lit. Encycl. Ss. D. N. *Bened. XIV.* de uſuris, aliiſque injuſtis quæſtibus, quæ incipiunt: *Vix pervenit*. Tom. I. Ejuſd. Bullarii pag. 578. ubi §. 3. ita habetur I. *Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantundem duntaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum; ideoque ultra ſortem, lucrum aliquid ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum & uſurarium eſt*. II. ait: quod nec quantitas lucri, ſcil. *quod lucrum non excedens & nimium, ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit*: nec qualitas mutuatarii, nimirum, *quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat*; hujuſmodi lucrum ab uſuræ labe liberet. III. ſubdit: *per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos & intrinſecos, forte concurrere, ex quibus juſta omnino legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari, & impendi, ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda*. IV. monet, vitandos tamen eſſe exceſſus contra juſtitiam. V. denique animadvertendum eſſe concludit, *falſo ſibi quemquam & non-*

nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis, & catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur .... Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit; inquirat prius diligenter, oportet, verene cum mutuo justus alius titulus; verene justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

Casus.

Dion minoris emit a Domitio chirographum sive debitum mille florenorum, quos Nobilis quidam debet Domitio, a quo Domitius ægre, & non nisi post multa incommoda vix tertiam partem solutionis extorquere poterit; facilius autem Dion integram statim extorquet ob gratiam, qua pollet apud eundem Nobilem.

920. *Q.* I. An talis emptio chirographi fieri possit sine usura? Respondet *Leonardelli* in decis. pract. Cas. 4. *Affirmative*, cum *Molina* de Just. tr. 2. D. 361. *Lessio*, & aliis. *Ratio* est, quia pretium rei emptæ non debet esse majus, quam quanti res tum in se valet, tum quanti valet ipsi creditori respectu status præsentis, & circumstantiarum, in quibus tunc versatur, quando venditur: atqui in nostro casu chirographum 1000. flor. neque in se, neque ipsi creditori Domitio valet mille florenis ratione difficultatis, molestiarum, expensarum pro extorquenda solutione faciendarum: ergo. Adde quod ipse emptor plerumque se exponat eidem periculo; cum gratia Nobilium facile possit excidere. Notandum tamen 1. cum pretium determinatum & taxatum non sit a lege, taxandum illud est (ut ait *Lessius*) judicio Prudentum, & Doctorum pro ratione majoris vel minoris spei, ac difficultatis ad obtiendam integram solutionem. Notandum 2. quod in ejusmodi emptionibus facile peccetur contra charitatem, si nimirum venditoribus chirographa vendere coactis justum ac rationabile pretium non detur: & emptor ingens lucrum inde reportet. 3. Notandum, quod ejusmodi chirographa non possint emi ab ipso debitore, vel ejus ministris, quibus ex officio incumbit præstare solutionem; hi enim sunt causa difficultatis, & periculosæ solutionis, quam tenentur tollere, ut elapso termino satisfiat creditori.

921. *Q.* II. An licitum sit mutuanti aliquid supra sortem exi-

exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. R. *Negative*. Vide propos. 42. ab *Alex. VII.* damnatam. Quia per hoc aperiretur janua usuris palliatis.

922. *Q.* III. An aliquid supra sortem liceat exigere ob majorem æstimationem, quam mutuator facit, pecuniæ præsentis, quam futuræ? R. Non licet: vide propos. 42. ab *Innocent. XI.* damn. *Ratio est:* quia, etsi respectu aliorum contractuum possit dici numerata, & præsens pecunia melior; in ordine tamen ad contractum mutui id locum non habet; nam in mutuo non spectatur utilitas, quam potest habere mutuator, si non mutuet; alias hoc ipso jam erit respectus ad lucrum cessans, quod tamen ex pecunia in scrinio asservata æque parum haberet, quam ex futura ibidem inclusa.

923. Pariter illicitus est contractus Mohatræ, juxta propos. 40. ab *Innoc. XI.* damnatam: intervenit autem hic contractus, dictus Hispanis *Mohatra*, Italis *Stocco* seu *Barata*, dum Cajus indigens pecunia numerata adit mercatorem, qui nolens pecuniam dare mutuam offert merces, quibus ille non indiget, ut emat eas pecunia credita 105. flor., ita tamen, ut easdem revendat pecunia numerata 100. flor. *Ratio* est, quia hic contractus continet usuram palliatam; sive lucrum ex mutuo palliato sub prætextu venditionis & retro venditionis, ergo est injustus; mercator enim Cajo indigenti pecunia solvit centum, & imponit onus, ut ille debeat solvere centum & quinque, ergo idem facit, quod usurarius lucrum præcise quærit ex mutuo. *Duarte* V. *Mohatra* n. 424. *La Croix* l. 3. p. 2. a n. 902.

924. *Q.* IV. An committatur usura, quando ultra sortem aliquid exigitur tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & non tanquam debitum ex justitia? R. Committitur usura: vide propos. 42. ab *Innoc. XI.* damnat. *Ratio* est, quia hoc auctarium præcise & immediate exigeretur ex mutuo, quia gratitudo ad nihil determinatum obligare potest. *Confirm.* Si hæc sententia licita esset, via panderetur innumeris usuris. *Viva* in cit. propos. Unde sperare tantum aliquid a mutuatario ex benevolentia, vel gratitudine, non est usura, quia hæc spes non impedit liberalem donationem, nec imponit mutuatario gravamen; si vero exigatur, includitur pactum illam impediens. *Duarte* l. c. n. 545.

925. *Q.* V. Quid sit *mons pietatis?* R. Est ærarium publice constitutum ad mutuandum indigentibus ea lege, ut pro mutuo ipsis dato pignus relinquant, & determinato tempore mutuum restituant recepto pignore, insuper vero exiguum aliquid adjiciant pro ministrorum sustentatione, & publica obligatione; si autem solutio statuto tempore facta non sit, pignus distrahi possit, ut detracta sorte, & exiguo illo adjecto, quod reliquum est, mutuatario restituatur. Hoc ærarium approbatum

est

est a Leone X. in C. Later. sess. 10. vid. *Trid.* sess. 22. c. 8. & 11. de Refor.

§. IV.

Principia generalia de emptione & venditione, Negotiatione, monopoliis & Censibus.

926. *Princip. I. Emptio, & venditio est contractus consensu mutuo constitutus dandi mercem pro determinato pretio, & pretium pro determinata merce.* Ad valide emendum & vendendum requiritur 1. merx, seu res, quæ sit vendentis, 2. pretium, quod sit ementis. 3. Pactio, quæ sit legitima. Ad licite emendum & vendendum requiritur: res sine vitio occulto: pretium justum: pactio sine fraude. Pretium *justum* dicitur, quod rei venalis valori adæquatur: Hoc duplex est, scil. vel *legitimum*, quod lege vel a Magistratu taxatum est: vel *vulgare* sive naturale, quod spectatis variis circumstantiis communi peritorum æstimatione determinatum est. Notandum inter hæc duo pretia esse discrimen, nempe quod pretium legitimum consistat in indivisibili, ita ut non liceat amplius accipere, sed restitutioni obnoxium sit, quod ultra exigitur; vulgare vero non consistat in indivisibili, sed patiatur diminutionem vel excessum, estque triplex, summum, medium, & infimum. *Summum* est, supra quod, *infimum*, infra quod res ab intelligentibus non solet æstimari: *medium*, quod inter illa mediat: ita *Plat.* hic. n. 661. Juxta *Leonardelli* si pretium medium sint decem floreni, infimum erunt novem, summum vero undecim, plus, minus, vel si medium sint certum, infimum erunt 95., summum 105.

927. *Q.* 1. Quænam sint obligationes venditoris? R. 1. Debet vendere rem pretio justo legitimo, vel vulgari. Legitimum debet servari etiam a Clericis, & peregrinis ex justitia sub onere restitutionis, nisi taxa a Magistratu facta ex circumstantiis fieret iniqua. *Laym.* l. 3. t. 4. c. 17. n. 4. *Reinfenst.* hic n. 132. 2. Quando pretium non est taxatum a Magistratu vel Principe, servari debet pretium vulgare; ideoque res sine injustitia potest vendi summo, medio, vel infimo pretio; hinc obligaris ad restituendum id, in quo alterum ultra justum pretium decepisti; quia violatur æqualitas inter datum & acceptum; excipe nisi merces sint subhastatæ, & publice vendantur plus offerenti. 3. Si res vendenda laboret vitio occulto, v. g. si pannus sit adustus, equus morbidus &c. venditor illud tenetur manifestare. De hoc *S. Th.* 2. 2. q. 77. a. 2. in C. regulas sequentes sancte tradit: *Dicendum, quod circa rem, quæ venditur, triplex defectus considerari potest: unus quidem*

dem circa ſpeciem rei, & hunc quidem defectum ſi cognoſcat in re, quam vendit, fraudem committit in venditione, unde venditio illicita redditur. Et hoc eſt, quod dicitur contra quoſdam Iſaiæ 1. v. 22. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua; quod enim permixtum eſt, patitur defectum, quantum ad ſpeciem. Alius autem defectus eſt ſecundum quantitatem, quæ per menſuram cognoſcitur. Et ideo, ſi quis ſcienter utatur deficiente menſura in vendendo, fraudem committit, & eſt illicita venditio. Unde dicitur Deut. 25. non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor .... Tertius defectus eſt ex parte qualitatis, puta, ſi aliquod animal infirmum vendat quaſi ſanum ... In omnibus talibus non ſolum aliquis peccat, injuſtam venditionem faciendo, ſed etiam ad reſtitutionem tenetur. Plura in ſeq.

928. Q. II. Quomodo venditio reſcindi poſſit? R. 1. *Mutuo conſenſu.* 2. *Propter leſionem ultra dimidium.* 3. *Per reſtitutionem in integrum*, quæ juxta *Reiffenſt.* l. 1. Decret. tit. 41. n. 3. definitur; extraordinarium juris remedium, quo graviter læſus ex naturali æquitate per officium judicis reducitur in eum ſtatum ſive jus, in quo fuerat ante læſionem. 4. *Per retractum gentilitium*, qui eſt jus proximioris conſanguinei ad reſcindendam venditionem rei immobilis oblato pretio, quo ab extraneo, vel remotiore conſanguineo res fuit empta; hæc fieri debet intra annum & diem. 5. Per *Evictionem*, quæ eſt rei ſuæ ab altero poſſeſſæ recuperatio, differt a vindicatione, quod hæc ſit actio perſonalis, iſta realis. Ita *Platel.*

929. *Principium II. Negotiatio* eſt quando merces eo animo emuntur, ut carius poſtea vendantur lucri capiendi gratia. Alia eſt proprie dicta, quando res empta v. g. vinum, frumentum &c. non mutata carius poſtea venduntur quæſtus gratia. Altera improprie dicta, qua res empta poſtea melior effecta venditur lucri faciendi gratia. Utraque de ſe eſt licita: præterquam Clericis &c. Religioſis. Vide Diſt. 88. *Excipe* tamen, ſi eos ratio neceſſitatis excuſet ſcil. quando alio modo vitam ſuſtentare nequeunt: Item licitum eſt Clericis & Religioſis, ſi empta pecora, & in propriis prædiis nutrita vendant. Vide *Laym.* l. 3. de Juſt. t. 4. c. 17. Huc pertinet Conſtitutio *Ss. D. N. Benedicti XIV.* in ejuſdem Bullarii Tom. I. decima tertia, quæ incipit: *Apoſtolicæ ſervitutis.* Vi cujus interdicitur Clericis quælibet negotiatio, etiam ſub alieno Laici nomine; ibid. §. 2. ſtatuit, ut Negotia a Laicis inchoata, & ad Clericos delata, ſtatim dimittantur; ſi vero negotium hujuſmodi ſine ipſius Clerici temporali detrimento ſtatim dimitti nequeat, non continuetur, niſi de licentia congregationis Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italia. Ibidem contravenientium bona pœnæ ſpolii ſubjicit. §. 3. declarat, quod exempti a ſpolio ad

effe-

effectum testandi aut transmittendi non intelligantur exempti quoad bona per interdictam negotiationem acquisita.

930. *Princip. III. Monopolium* est, quando unus vel plures e republica consequuntur, ut ipsi soli aliquod genus mercium pretio certo vendant. Vide l. un. Cod. de Monopoliis. Si unus vel plures ex rationabili causa, & servata pretii justitia id impetrent a Magistratu, non est illicitum; secus, si excedant justum pretium. *Laym.* l. c. *Platel.* hic n. 678.

931. *Principium IV. Census* est contractus, quo quis sibi pro certa pecuniæ summa emit jus ex re, vel persona aliena recipiendi pensionem annuam: Jus ex re aliena, v. g. domo, vel agro, dicitur *census realis*, & ordinarie, cum re pereunte perit, trascunte illa ad alium transit illud; jus ex persona vocatur *census personalis*, quia immediate obligat personam. Qui emit jus accipiendi pensionem vocatur *censuista*, vel censualista: solvens pensionem vocatur *censuarius*. Census *pecuniarius* dicitur, in quo solvitur pensio pecuniaria; *fructuarius* in quo solvitur pars fructuum. Iterum alius est census *redimibilis*, qui habet adjunctum pactum revenditionis, vi cujus censualista reddita sibi summa exposita pro censu tenetur cedere juri, quod habet ad pensionem annuam. Porro census realis irredimibilis, vel tantum redimibilis ex parte venditoris est licitus; ut constat ex Extrav. Martini V. Callixti III. de Empt. & Vend. item ex Bulla Pii V. *cum onus*. Quia sic emitur justo pretio jus percipiendi fructus ex alterius re fructifera. Etiam probabilius licitus est census realis & personalis ex utraque parte redimibilis, vulgo germanicus, quia talis census non est palliata usura, sed vera emptio, & venditio, qua justo pretio a Magistratu, consuetudine, aut judicio prudentum taxato emitur verum jus ad pensiones annuas ex re vel persona censita percipiendas. Vide *Laym.* l. 3. de Just. t. 4. c. 18.

932. *Q.* Quid requiratur, ut census sit justus? R. Requiritur *primo* ut census realis constituatur in re fructifera, quæ subtractis laboribus & expensis sufficiat ad solvendas pensiones annuas. Pretium census debet esse justum, h. e. non exorbitans a lege, consuetudine, vel judicio prudentum, sic Carolus V. pro imperio Romano in comitiis Augustanis anno 1545. pro censu perpetuo redimibili ex parte venditoris constituit 5. pro 100., quod pretium ex consuetudine pro censu reali & personali utrinque redimibili hodie justum censeatur. Vide *Sporer* hic n. 29. *Tamb. & Nav.*

„ *Q.* An Contractus trinus sit usura?

„ Nota. Contractus trinus vocatur, in quo concurrunt contra-
„ ctus societatis, assecuratio sortis, emptio lucri e. g. Lucius
„ dat 100. aureos in societatem, & quia ex iis sperat 15. pro 100.
„ quinque ex lucro cedit Titio, ut eidem assecuret sortem, de-

„ cem ſperatos reliquos vendit Cajo pro quinque certo ſolven-
„ dos. 2. Contractus ſocietatis; qui definitur *contractus conſen-*
„ *ſualis, quo plures aliquid conferunt ad commune lucrum*, ha-
„ bet, ut 1. negotiatio debeat eſſe honeſta e. g. non ad uſu-
„ ras, lenocinia &c. 2. Dominium partiale remaneat apud con-
„ ferentem, adeoque & periculum. 3. ut lucra & damna pro-
„ portionaliter dividantur. 4. Præſtetur etiam culpa levis.
„ R. Quamvis hunc trinum contractum licitum defendant
„ *Sylveſter, Armilla, Navarrus, Lopez*, cum 16. aliis apud La
„ Croix l. 3. p. 2. n. 876. nec ulla Sedis Apoſtolicæ ſententia
„ ſit affectus, dico tamen in praxi periculoſum eſſe; quia 1.
„ Benedictus XIV. *de Synodo Diœc. lib. 12. c. 50.* eum diſſua-
„ det. Sixtus vero V. in Bulla: *deteſtabilis*, reprobat. 2. Na-
„ tura ſocietatis eſt, ut omnium ſit commune periculum, nec
„ illud in uno tantum reſideat. Quare Covarruvias dat *hanc re-*
„ *gulam*: quoties aliquid pretio æſtimabile, vel pro mutuo,
„ vel pro aliquo, quod eſt mutuo intrinſecum, vel per quem-
„ cunque contractum exigitur, quod alioqui eſt indebitum, eſt
„ uſura. Atqui ſi Titius & Cajus pro omni caſu debent red-
„ dere Lucio pecuniam, videntur illam habere ut mutuam.

Reſolutiones de emptione & Venditione.

933. I. *Diogenes Œnopola plura & integra vini, ſed aqua liberaliter diluti, dolia vendit; aliquantum tamen deſcendit in pretio.* Reſolutio:

Diogenes peccat graviter, ſub gravi tenetur ad reſtitutionem. Ita *Zelt.* cum viginti aliis. *Prob.* 1. Conſtat ab experientia, quod vinum liberali aqua dilutum citius aceſcat, & longe facilius corrumpatur, ergo periculoſum eſt emptori primo vel ſecundo, a quibus ordinarie ideo major quantitas vini emitur, ut in plures annos aſſervetur. *Prob.* 2. Talis emptor præſumit vinum eſſe purum, ſibique utile ad finem ſuum: cum tamen ipſi vendatur vinum mixtum, & corruptioni facile obnoxium, ergo merito cenſetur graviter invitus, & dolo inductus ad emendum, ergo Diogenes injuriam facit emptori, qui habet jus, ne decipiatur in re gravi. *Reginald.* l. 25. n. 340. *Filliuc.* tr. 35. n. 133. Neque dicas, vinum ſic ſuavius reddi: R. Hanc artem etiam ſciunt emptores; qui tibi nihil aliud ſolvere intendunt, quam vinum.

934. II. Ait Diogenes: *unam tantum alteramve menſuram ſingulis vini dolis infudi: certo ſcivi, vinum ab emptore brevi ad uſus communes conſumptum iri, ab quos ob nimiam meracitatem utile non eſſet, niſi aquam affunderem.* R. ad 1. Ratione modicæ aquæ non quidem peccavit graviter; cum tamen ſit aliqua deceptio, merito diſſuadendum venit. R. ad 2. Cum *Laym.* l. 3. de Juſt. t. 4. c. 17. n. 15. *Lopez*, & Leſſ. in genere Mercatores injuſtitiæ ſtatim damnari non poſſunt, ſi merci alienam

nam ſubſtantiam, puta, vino aquam, ceræ picem admiſceant, modo *inde emptoribus damnum* non inferatur, & merx proportione pretii, quo venditur, ſatis idonea ſit ad uſum conſuetum; nihilominus ibid. *Laym.* addit: cum merx tali admixtione fere ſemper reddatur deterior ad uſum, ita ut nullus emptor cenſeri poſſit contentus, ſi ſolvere eam mercedem debeat, ac ſi pura eſſet, ideo plerumque injuſta fraus committitur, unde facile iſta mixtio approbanda non eſt; & qui ita admiſcent ſine damno emptoris, debent pretium minuere, vel pondus auctius dare; in duplici tamen cauſa a peccato & reſtitutione excuſat *Laym.* talem mixtionem. 1. ſi emptores abhorreant a vino ob nimiam ejus meracitatem, ita ut, niſi aqua aliquantulum temperetur, ejus valor & præſtantia non appareat emptoribus, & ipſe emptor aliter non poſſit conſequi juſtum pretium: quod frequentius accidit iis, qui ad menſuram, vel menſuratim tantum vendunt vinum, ubi nullum aliud damnum emptoribus ſolet accidere, utpote qui ſtatim illud conſumunt, vel ſi in majore quantitate emant, ſtatim tamen menſuratim vendunt, ut fit a cauponibus. Secus foret, ſi vinum aqua mixtum venderetur iis, qui illud longiore tempore ſunt ſervaturi; cum enim ejuſmodi vinum aqua mixtum citius corrumpatur, manifeſta fieret injuria emptori. Vide *P. Zelt.* de hoſpite & caupone n. 25. & 26. & *La Croix* l. 3. p. 2. n. 957. 2. Si pretium vini a Magiſtratu injuſte taxetur, ut œnopolæ damnum pati debeant, niſi aquam admiſceant, vel piſtores panem minoris ponderis conficiant; id tamen non poteſt præſumi fieri a Magiſtratu, qui ſolet accurate examinare circumſtantias, ut juſtum pretium ſtatuat; & plerumque ejuſmodi fraudes ſub graviſſimis pœnis prohibentur. Vide dicta n. 179.

935. III. Si vitium occultum rei vendendæ ipſum quoque venditorem lateat inculpabiliter, ille non obligatur in conſcientia ad præſtanda damna, quæ emptori inde obvenerunt, v. g. quia ovis morbida gregem infecit &c. Emptori tamen competit actio, vi cujus compellitur venditor reddere exceſſum juſti pretii, ſeu quanto minus dediſſet, ſi defectum mercis non ignoraſſet; ut conſtituatur æqualis juſtitiæ inter datum & acceptum. De vitio autem manifeſto, & quod facile poteſt deprehendi, venditor non tenetur monere emptorem, v. g. ſi equus ſit monoculus; dummodo rem juſto pretio vendat. Ita *D. Th.* 2. 2. q. 77. a. 3. in ⊖. Quia emptor ſibi debet imputare, quod rem emerit, cujus vitium per ſe facile cognoſcere potuiſſet. Secus ſi venditor animadvertat, emptorem ex invincibili imperitia vitium non poſſe deprehendere, tunc eum admonere tenebitur; quia reſpectu hujus vitium æque ſe habet, ac ſi eſſet occultum. *Bonac. Laym.* l. c. num. 14. Denique ſecundum Conſtitutiones municipales tenetur manifeſtare vitia

rei

rei vendendæ præcipua, vulgo *die Kaupt--mangel*. Imo si res ob quodcunque vitium sit minus utilis, necessario remittendum est aliquid de pretio; alias ob inæqualitatem inter datum & acceptum in foro conscientiæ committitur injustitia cum onere restituendi. *Laym.* ibid.

IV. *Dionysius Mercator merces suas carius vendit, quam illo tempore valent, partim ob datam emptoribus dilationem ad solvendum, partim ob pretium mercium brevi minuendum: merces autem raras ac novas vendit majore, quo potest, pretio.*

936. *Q.* I. An Dionysius merces licite vendiderit ob datam dilationem solutionis?

R. Supra pretium summum, quo poterant vendi pecunia numerata, illicite eas vendidit ob solam dilationem solutionis, secus, si eas vendiderit intra limites pretii justi. *Ratio* 1. est: quia dilatio solutionis est implicitum & virtuale mutuum: atqui pro mutuo non licet aliquid accipere supra fortem: ergo. *Confirm.* ex c. *in civitate*, item ex c. *consuluit*, de usuris: Item ex propos. 42. ab *Alex. VII.* damn. *Ratio* 2. est: quia nulla committitur injustitia, quando res venditur intra latitudinem justi pretii: atqui summum pretium adhuc justum est, præsertim in tali casu: ergo. Dixi, *ob solam dilationem*: quia si accedat alius contractus vel titulus justus, v. g. ob lucrum cessans, usura non erit, ut diximus supra de usuris. *Palao* D. 5. pu. 12. *Less. Salas. Sà*, & alii.

937. *Q.* II. An Dionysius contra justitiam egerit, vendendo currente, vel majore, justo tamen adhuc pretio merces, quas privata scientia cognovit vendendas minore pretio? R. Non egit contra justitiam. *Ratio* est: quia Dionysius utitur jure suo, vendendo merces justo pretio, quo etiam cæteri vendunt, qui eam notitiam minuendi pretii non habent; nec illa scientia privata illum facit deterioris esse conditionis, nec tollit communem hominum æstimationem, in qua fundatur pretium justum. *Confirm.* ex *S. T.* qui 2. 2. q. 77. a. 3. ad 4. ait: *Venditor, qui vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est, non exponat: si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitiæ debito.*

938. *Q.* III. An res novæ & pretiosæ, nec habentes pretium legitimum, nec vulgare, vendi possint juste tanti, quanti contrahentes inter se conveniunt? R. Affirmativa quidem sententia tanquam vere probabilis defenditur a *Soto* L. 6. de Just. q. 2. a. 3., *Joan. Medina*, *Petro Navar. Valentia* & aliis, quia, cum ejusmodi merces non sint necessariæ usui hominum, simulque non habeant pretium legitimum vel vulgare, debent illud sortiri ex contrahentium voluntate. Præterea si venditor non tenetur has pretiosas merces vendere, poterit

eas

eas vendere pretio, quod placuerit, & si hoc non detur, potest illa nolle vendere, sed sibi retinere; emptor autem, cum nulla necessitas cogat ad emendum, si tamen libere velit emere, censetur sponte dare, quod alter exigit, & excessum pretii gratis donare: sed contrariam probabiliorem judicat *Palao* T. 32. D. 5. q. 3. cum *Nav. Cajet. & Less.* & aliis, ubi asserit, quod illud pretium exigi possit, quod prudentis, & rerum intelligentis arbitrio spectatis circumstantiis justum censetur, non vero quod ex voluntate venditoris, & affectu emptoris constituitur: quia certior regula justi pretii in iis, quæ nec pretium legitimum, nec vulgare habent, constitui nequit, quam judicium intelligentis rem, non vero singularis affectus, aut judicium cujusque, ut habetur in l. 63. ff. ad leg. Falcid. *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, sive taxantur.

V. *Dativus accipit a Diogene annulum vendendum decem florenis, quem eodem die viro perito vendit* 15. *florenis: decem igitur tradit Diogeni, quinque sibi servat.*

939. *Q.* An Dativus juste sibi potuerit retinere residuum pretium? Respondet quidem absolute affirmative *Angelus* V. *emptio*; tum quia Diogenes plus non petiit, quam 10. flor., ergo illi non fit injuria tradendo decem: quia majus pretium censeri potest fructus industriæ Dativi. Rectius tamen sub distinctione respondendum cum *Molina, Silv. Gabriel. Palao* hic D. 5. p. 16. Si Diogenes expresse vel tacite convenerit cum Dativo, ut rem vendat 10. florenis, & siquid ultra acceperit, sibi retineat: hoc pacto Dativus absque dubio juste potest retinere quinque flor. Si vero nec expresse nec tacite talis conventio præcesserit, Dativus tenetur tradere Diogeni præter decem, quinque flor. Imprimis enim non potest aliquid retinere ratione rei venditæ, quia illud est pretium rei: ergo pertinet ad dominium rei; nec ex eo, quod dominus designaverit pretium; quia sine pacto tacito vel expresso retentionis augmenti, illa designatio tantum facta est, ne infra decem flor. venderetur. Denique nec ratione industriæ; quia augmentum pretii non fructus qualiscunque industriæ, sed est fructus annuli spectantis ad dominum, cujus nomine Dativus tantum vendidit: ergo augmentum spectat ad dominum, Dativus autem pro suo labore & industria competentem mercedem exigere potest, siquidem non gratis se id facturum promiserit.

§. V.

Principia generalia de reliquis Contractibus & ultima voluntate.

940. *Principium I. Cambium* est contractus, quo fit permuta-

tio

tio pecuniæ pro pecunia cum aliquo lucro supra sortem: Is, a quo petitur cambium, vocatur *Campsor*; qui petit: *Campsarius*. Cambium duplex est: reale & siccum; *Reale* est legitima permutatio pecuniarum servata æqualitate inter datum & acceptum. Ita *Patel.* n. 697. Hoc iterum duplex est; 1. Cambium *minutum*, quo pecunia unius formæ aut materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ aut materiæ, v. g. aurea cum argentea, vetus cum nova, patria cum externa; vocatur minutum, quia frequenter in eo monetæ minores cum majoribus, vel contra, mutantur; alias etiam vocatur manuale. Hoc cambium ex justis titulis licitum est, quales sunt labor campsoris & diligentia in monetis omnis generis conquirendis, ut campsariis possit satisfacere, quia de manu ad manum eodem in loco & tempore solet perfici. Item locatio obsequii, exspectando, & paratum se præbendo ad commutandas pecunias secundum voluntatem campsariorum; pro quo labore & obsequio juste potest exigere compensationem. *Laym.* l. c. c. 19. 2. Cambium *locale*, sive per *literas*, quod duobus modis fieri solet. 1. Si campsor præsentem pecuniam hic v. g. Herbipoli prius cum lucro accipiat, ut postea alibi v. g. Viennæ per se, vel per suum correspondentem restituat. 2. Si campsor hic pecuniam præsentem prius extradat, ut eam alibi vel per se, vel per suos recipiat cum lucro. Etiam hoc cambium cohonestatur titulo translationis & assecurationis; campsor enim priore modo idem facit, ac si campsario pecuniam alio transferret, posteriore modo, ac si eam huc afferret præsentem. Vide *Laym.* l. c. *Cambium siccum* vel *fictum* dicitur, cui nullus inest titulus justus auctarii capiendi, sed solus titulus lucri; hæc est palliata usura, adeoque prohibita.

941. *Principium* II. *Contractus Societatis* est conventio plurium partem suam conferentium, ad negotiationem in commune lucrum. Hinc contractus duobus modis solet iniri. 1. Quando omnes socii conferunt sortem, sive capitale æqualiter vel inæqualiter. 2. Si unus conferat sortem, alter laborem & industriam. Ad hunc contractum, ut sit licitus, requiritur; 1. ut fiat in negotiatione honesta. 2. Ut communia sint lucra damna & expensæ pro bono societatis factæ. Juxta *Laym.* tamen l. c. c. 20. sæpe juxta varias adjectiones pacti is plus lucri percipit, qui plus pecuniæ operæ contulit; vel alias, qui plus altero contribuit, duas partes lucri accipit; sed periculum ve totum, vel partem majorem in socium rejicit. Vide *La Croix* l. 3. p. 3. a n. 1098.

942. *Principium* III. *Assecuratio* est contractus, quo aliquis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, si perierit. Juxta *Bonac.* si assecurans certus sit, rem esse in tuto, inique petit pretium assecurationis. *Fide-*

jus-

jussio est contractus, quo quis suscipit obligationem alterius debiti solvendi, si debitor ipse non solverit. *Pignus* est, quando debitor tradit creditori rem aliquam mobilem in securitatem debiti. *Hypotheca* vero, quando creditori pro debito obligat rem suam immobilem, sed non tradit.

943. *Adverte* 1. Fidejussor licite potest accipere pretium pro fidejussione juxta periculum, quod subit; imo etsi periculum non timeatur; quia hujusmodi obligatio est pretio æstimabilis: ergo fidejussor non tenetur gratis eam suscipere pro debitore, maxime quia plerumque est periculum sortis. Ita *Azor* P. 3. l. 11. c. 22. dub. 6. contra alios. 2. Debitore deficiente obligatur debitum solvere. 3. Debitor autem tenetur de omni damno sua culpa fidejussori accidente: secus, si id sine culpa sua accidat. *Azor* ibid. dub. 10.

944. *Q.* An licitus sit contractus antichreseos, quando scil. in contractu pignoris convenitur, ut creditor fructus ex pignore lucretur, donec debitum ipsi restitutum sit? R. Tum est usurarius, quando creditor ultra sortem aliquid lucratur, solius mutui causa. Secus, si interveniant justi tituli, v. g. lucri cessantis, vel damni emergentis, & fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quæ jure census super eadem constituti exigi potest cum pacto redhibitionis. *Laym.* l. 3. t. 4. c. 16. n. 17.

945. *Principium* IV. *Sponsio* est contractus, quo duo de veritate, aut rei alicujus eventu certantes sibi invicem aliquid spondent ab eo, qui veritatem fuerit assecutus. Ut licite fiat, requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut sponsio fiat super re dubia; alias non est utrinque æquale periculum. 2. Ut uterque eodem sensu accipiat id, de quo certatur. Illicita autem evadit 1. si sit de re turpi: si adhibeatur fraus: v. g. si is, qui certus est, certitudinem dissimulet. Juxta *Patel.* hic n. 713. adhuc licite certat, si certitudinem profiteatur, & alter nihilominus velit certare. Vide *Laym.* l. 3. t. 4. c. 21.

946. *Principium* V. *Locatio* est contractus, quo quis personam vel rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad certum tempus, infra decennium, utendam vel fruendam concedit, certo pretio, mercede, seu pensione constituta; usui conceduntur v. g. domus, equus, servus &c. fruitioni vero v. g. vacca, fundus, pomarium &c. Ille, qui concedit rem, dicitur *locator*; qui suscipit, *conductor*. Hinc conductio est contractus, quo usus ille vel fructus accipitur. Obligatio *locatoris* est 1. aperire vitium rei locatæ. 2. Solvere expensas ad rei locatæ conservationem necessarias, v. g. servare sarta tecta, tributa & onera publica præstare, nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat. 3. Conductorem non expellere ante elapsum tempus locationis; excipe casus in Jure expressos, v. g.

si in-

si integro biennio non solvat pensionem; si ob casum improvisum res v. g. domus locata usibus domini sit necessaria; item si necesse sit rem locatam reficere, & id nequeat fieri conductore inhabitante, denique si conductor in re conducta male versetur destruendo, abutendo, alendo ibi meretrices &c.

947. Obligationes conductoris sunt 1. Ne re locata utatur, nisi ad usum concessum. 2. Ne eam deserat ante elapsum locationis tempus. 3. Ut rem locatori servet integram. 4. Ut solvat statutam pensionem. 5. Si magna incidat sterilitas, minuendum est de pensione pro rata sterilitatis; item si conductor aliunde v. g. ex cæli injuria, aliave vi extrinseca, seu casu fortuito sine culpa sua affectus sit magno incommodo: nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari. Ut habetur c. propter 3. de *locato* & *cond.* Excipit *Laym.* l. 3. t. 4. c. 22. n. 4. culpam leviſſimam, non autem latam, nec levem.

948. *Principium VI. Emphyteusis* est contractus, quo alteri in perpetuum, vel saltem ad decennium conceditur rei immobilis dominium utile cum onere, ut quotannis certum canonem, sive pensionem solvat proprietario, sive domino directo; habens dominium utile, cum tali onere vocatur *Emphyteuta*. Vide l. 1. & 2. Cod. de Jur. Emphyt. Speciales obligationes pendent ex varia consuetudine locorum & conventione contrahentium, quæ scripto confici debet saltem de jure communi. *Less.* l. 2. c. 24. dub. 8. *Laym.* l. c. C. 23.

949. *Feudum* est contractus, quo conceditur res immobilis quoad dominium utile sub onere obsequii personalis exhibendi domino directo; is, qui concedit dominium utile, dicitur *Infeudator*, vel dominus feudi; qui accipit, dicitur *Feudatarius*, *Vasallus*, vel *Beneficiarius*. Porro Emphyteuta tantum semel solvit *Laudemium*; dum investitur. In feudo autem non tantum primus vasallus; sed quilibet successor, etiam hæres ipsius tenetur intra annum & diem petere renovationem investituræ, & præstare juramentum fidelitatis: item si moriatur dominus directus, debet vasallus ab ejus successore rursus petere investituram intra idem tempus. Vid. *Less.* l. c.

950. *Libellus*, sive contractus libellaticus, aut datio ad libellum est, quo Emphyteuta, vel feduatarius rem illam, quam in feudum, vel emphyteusim accepit, simili contractu tradit tertio, ad hunc tamem requiritur domini directi consensus, si concedatur in decennium.

951. *Principium VII. Ultima voluntas* est dispositio de eo, quod quis vult fieri post mortem suam: Ejus species sunt *Testamentum*, *Codicillus*, *Legatum*, *Fideicommissum*; *Donatio mortis causa*. *Testamentum* est justa voluntatis sententia de eo, quod quis post mortem suam vult fieri cum directa hæredis institu-

stitutione. In quantum continet donationem ab hærede post mortem testatoris præstandam, vocatur *Legatum*; is, cui fit donatio, dicitur *Legatarius*. Si hæredi in testamento imponatur, ut hæreditatem absolute, aut sub conditione (v. g. si ei non nascatur proles) tradat alteri, vocatur *Fideicommissum*, idque vel *universale*, quando tradenda est tota hæreditas: vel *particulare*, quando tantum pars hæreditatis est restituenda. *Codicillus* est dispositio, qua testamentum corrigitur, vel declaratur, vel etiam sine testamento hæredi ab intestato legatum, fideicommissum, vel aliud quid committitur.

952. *Q.* I. Quotuplex sit testamentum? *R.* 1. Aliud est *solemne*, sive scriptum, aut clausum; quod habet omnes solemnitates sive conditiones a Jure Cæsareo requisitas, scil. ut testator coram septem testibus masculis, puberibus, liberis, distinctis ab ipso hærede, & ad id rogatis, non surdis, non mutis, voluntatem suam declaret, eamque in scripto vel sua, vel alterius manu exarato exprimat, cui omnes & singuli testes subscribunt, proprioque, vel communi omnes sigillo consignant. Si ipse testator se subscribere non valeat, octavus pro eo testis sive subscriptor adhiberi debet. Aliud *Nuncupativum*, quod tantum requirit, ut septem testes simul adsint, qui audiant, & intelligant testatoris voluntatem scripto, vel articulata voce prolatam, solet tamen plerumque talis nuncupatio a Notario in scriptum redigi, idque ad majorem securitatem. *Laym.* l. 3. t. 5. c. 1. vide l. hæc consultissima. Cod. *de Test.* R. 2. Subdividitur Testamentum in *Privilegiatum*, quod non requirit omnes juris solemnitates: quale est *Testamentum ad pias causas*, ad quod juxta c. cum esses 10. de *Testam.* sufficiunt duo, vel tres testes; vide etiam c. *relatum*. 11. h. tit. Hinc *Laym.* l. c. resolvit. 1. Si hæredi certo constet, voluntatem testatoris fuisse, ut aliquid in piam causam expenderetur, etsi id in foro externo probare nequeat, in conscientia tamen hunc hæredem teneri voluntati testatoris satisfacere; eoquod tunc non opus sit probatione, ubi de veritate constat. 2. Ibidem ait: si Parochus proferat schedam a Parochiano ante obitum sibi traditam, quæ contineat legata ad pias causas, piam testatoris voluntatem executioni mandandam esse, si manus testatoris agnoscatur, vel duobus testibus probari possit. 3. Monet, ne Parochi vel confessarii ultimas ejusmodi dispositiones ad causas pias excipiant, nisi advocatis duobus testibus (etiam fœminis, si alius testis haberi nequeat) ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, & eviteutur variæ lites.

953. *Adverte* I. Merito damnata est ab *Alex.* VII. propositio 43. quod annuum legatum pro anima relictum, non duret plus quam per decem annos; quia hæc sententia falso nititur fundamento, quod scil. animæ in purgatorio non detineantur

tur ultra decennium, & contraria est praxi Ecclesiæ, quæ anniversaria celebrat per sæcula: præterea retrahit fideles ab operibus satisfactionis, & Missis offerendis pro defunctis. Denique si verba Testatoris non restricta sint ad certum tempus, sumuntur rigorose pro tempore indefinito, ergo legatum solvendum est non tantum decennio.

954. *Adverte* II. Ad testamentum sive scriptum, sive nuncupativum militum, duo, Rusticorum, quinque testes sufficiunt, si plures haberi nequeant. fin. c. h. t. Pariter testamentum inter liberos valet, si illud totum pater manu propria scripserit, etsi nulla alia solemnitas adhibeatur. *Nov.* 107.

955. *Adverte* III. *Testari* 1. *non possunt Impuberes*. 2. *Filiusfam.* pubes, nisi de Cast-vel quasi-Castrensibus; de adventitiis vero possunt testari ad pias causas. 3. *Religiosi Professi*. 4. *Usurarii publici*. 5. *Dammati ad mortem*, etiam civilem. vide *Less.* Hæres institui nequit. 1. Qui non potest testari ob delictum. vide l. 1. Cod. *de Hæred. instit.* 2. Spurius sive natus ex coitu damnato, & punibili; plura apud JC. *Hæredes necessarii* quoad partem legitimam sunt descendentes, scil. filii & filiæ, nepotes & neptes, his deficientibus ascendentes, non collaterales: est autem legitima descendentium tertia pars bonorum, & si plures sint, quam 4., dimidia ex æquo inter illos dividenda. *Nov.* 18. *c.* 1.

956. *Q.* An testamentum non solemne ad causas profanas adhuc valeat saltem pro foro interno? R. Cum utraque sententia sit vere probabilis, potest hæres sic institutus illud reputare validum pro foro interno, adire hæreditatem, & tuta conscientia retinere, donec per sententiam judicis rescindatur; quo casu tamen tenebitur legata non tantum pia solvere, sed etiam profana: vide *de Conscient.* n. 104. Econtra hæres ab intestato potest judicare contra hæredem institutum testamentum esse nullum, sibique usque ad sententiam judicis bona defuncti retinere, vel obtenta rescissione absque injustitia hæreditatem occupare. Vide *Valent. Vict. Sanch. Laym. Tann. Platel.* hic n. 717. contra *Medin. Vasq. Bonac.* & alios.

APPENDIX I.

Pro pleniore intelligentia ultimæ Voluntatis.

„ *Quæritur*. 1. Quæ natura Testamenti solemnis?
„ *Notandum*, quod massa hæreditaria seu *as*, vel *assis* in 12.
„ portiones seu uncias dividatur, quarum aliquæ immediate
„ respiciunt totum, quod dividunt *e. g. semis*, *seu semissis*,
„ quæ est dimidium assis continens 6. uncias, *triens*, quæ
„ est tertia pars assis continens quatuor uncias, *quadrans*,

„ qui

„ qui est quarta pars assis tres uncias complectens, & *sextans*,
„ qui sextam partem assis efficit duas uncias comprehendens
„ &c. aliæ autem respiciunt immediate partes totius e. g. quin-
„ cunx, septunx, deunx &c. 5. 7. 11. uncias indicantes. *Or-*
„ *do est* 1. Uncia, 2. Sextans. 3. Quadrans. 4. Triens. 5.
„ Quicunx. 6. Semis. 7. Septunx, 8. Bes, seu bis triens. 9.
„ Dodrans. 10. Dextans. 11. Deunx. 12. Assis.

„ R. Definitur: *Ultima voluntas directam hæredis institutio-*
„ *nem continens juxta legis præscriptum*; patet itaque, ad testa-
„ mentum solemne duo requiri. 1. Assignatio hæredis. 2. So-
„ lemnitatem actus. Est autem Hæres vel *universalis*, qui suc-
„ cedit in omnia bona defuncti, & hoc deficiente non fit te-
„ stamentum; vel *suus*, qui & necessarius est, & in patria de-
„ functi potestate tempore mortis, quo præterito juxta P. Pi-
„ chler testamentum est invalidum; vel *necessarius*, qui est ex
„ descendentibus, aut ascendentibus, & titulo institutionis ho-
„ norari sine ullo gravamine debet ita, ut hoc præterito va-
„ lidum quidem sit testamentum, sed rescindibile per quere-
„ lam inofficiosi; vel *voluntarius*, aut *extraneus*; ubi hæres
„ universalis debet institui saltem in quartam partem non tan-
„ tum *hæreditatis*, quo nomine veniunt omnia post mortem
„ relicta, sed *bonorum defuncti*, quæ nimirum supersunt dem-
„ ptis debitis, expensis funeralibus, & legatis privilegiatis &c.
„ ut ipsi liceat ex legatis non privilegiatis *Falcidiam*, ex fi-
„ deicomissis *Trebellianicam* deducere, donec quartam bono-
„ rum partem obtineat: hæredes vero necessarii debent institui
„ in legitimam juxta hodiernam regulam: *Quatuor aut infra*
„ *dant natis jura trientem: Semissem vero dant natis jura, vel ultra.*

„ *Solemnitas* tria potissimum complectitur in testamento scri-
„ pto. 1. Est *scriptura*, hoc est, ut testator ipse propria manu
„ scribat, & subscribat; vel alius ejus jussu scribat, & octavus
„ testis coram aliis testibus subscribat testatoris loco; nisi testa-
„ mentum sit holographum, id est totum manu testatoris nota
„ conscriptum. 2. *Testes*, ut sint septem, rogati a testatore,
„ qui sua manu nomen suum subscribant, ac sigillo obsignent,
„ sintque de se idonei, hoc est, masculi, puberes, non da-
„ mnati propter crimen aliquod, non furiosi, non ita propin-
„ qui aut interessati ratione testamenti, ut contra illos excipi
„ queat. 3. *Continuatio actus*, ut totum negotium, excepta scri-
„ ptione testamenti, continuato moraliter tempore, & loco
„ fuerit confectum. Quod si testator *unum ex liberis hæredi-*
„ *tate excludere* vult, requiruntur quatuor. 1. Ut exhæredita-
„ tio fiat justa causa e. g. ob injectionem violentam manuum,
„ insidias vitæ &c. quales 14. refert *Nov.* 115. *c.* 3. 2. Ut cau-
„ sa in testamento exprimatur. Ut ab hærede instituto probe-
„ tur. 4. Ut hæc omnia fiant nominatim.

„ *Q.* 2. An testamentum solemnitate destitutum sit penitus „ nullum?

„ R. Videtur probabilius, testamentum in foro externo nul„ lum, etiam pro foro interno invalidum esse, adeo ut hæres „ ab intestato secure retinere bona testatoris possit, nisi ipse „ privatim sciat testantis voluntatem contrariam, & hanc con„ fiteatur. Ita *Biner*, *Schmalzgr. cum 9. aliis*. Horum *Rat.* „ est 1. actus simpliciter irritatus est irritatus pro utroque fo„ ro, ut jam alibi &c. ita fit in impedimentis matrimonii, „ professione Religiosa, contractibus pupillo pernicios &c. er„ go cum etiam hæredi ab intestato favere natura & jura ve„ lint &c. 2. Secus leges non obtinerent finem, qui est, ad„ judicare successorem legitimum, quia in foro potiori, hoc „ est conscientiæ retinere hic hæreditatem non posset, imo „ nec judex huic juste adjudicare per sententiam. 3. Ode„ runt leges divortium inter forum externum, & internum; „ & lex, *hac consultissima 2. de testam.*, ait: *Ex imperfecto te„ stamento voluntatem tenere defuncti non volumus*. Et *L. Si „ non 9. ib. nullo jure testamentum valet*. Billuart cum 7. aliis „ medium tenet, quod sit simul validum, & invalidum, qua„ tenus hæres testamentarius potest adire hæreditatem, hæres „ intestatus vero agere ad rescissionem testamenti.

„ *Dices*: 1. Tale testamentum, si defectus solum sit in *nu„ mero testium*, est ex toto validum; nam numerus septena„ rius testium est reprobatus tanquam juri divino difformis „ *c. cum esses. 10. de testament. tanquam consuetudo a generali „ Ecclesiæ consuetudine, & lege divina aliena; quia in ore duo„ rum testium stat omne verbum*, ut pauciores non sufficiant „ ad plenam probationem, non requirantur plures. 2. Est sal„ tem validum pro foro *interno*; quia jure naturæ habet o„ mnia requisita, & jure positivo leges odiosæ non debent ex„ tendi ab uno foro, scilicet externo, ad utrumque. 3. Si te„ stamentum est nullum simpliciter, hæres ab intestato non te„ netur solvere *Legata* in eo contenta, potestque bona defun„ cti retinere, licet hæres ex ore defuncti audiverit, se alteri „ disponere sua bona ... R. *ad* 1. N. A. numerus enim te„ stium est tantum reprobatus, ut non necessarius, & pro „ foro Ecclesiastico universim, ac speciatim pro temporali ter„ ritorio Papæ; non item tanquam illicitus, aut pro tempo„ rali foro universim, ita Canonistæ communiter. *Ad* 2. N. „ Quia est de jure naturali solum permissivo, neque fit ex„ tensio quoad jus positivum, si hoc loquitur illimitate, & „ generaliter. *Ad* 3. Jus ipsum *L. fin. C. de fideicommiss.* fa„ cit discrimen inter voluntatem ultimam tantum *testificatam* „ a defuncto, & *confessam* ab hærede intestato, tum quia „ fortissima est probatio hæredis intestati contra seipsum; tum

„ quia

„ quia finis 7. testium est ne quid falsitatis incurrat testa-
„ mentum per duos forte testes compositum; hoc autem peri-
„ culum cessat, quando contra se in causa propria confitetur
„ hæres intestatus. Deinde legata profana corruunt hic, non
„ item pia; utpote privilegiata.

„ *Q.* Quid requirat testamentum ad pias causas?

„ R. *Requirit ea tantum ad valorem, quæ jure naturæ sunt*
„ *necessaria*. Nempe necessaria est 1. *Libertas plena* in dispo-
„ nente; ut potestas disponendi non sit ei a Magistratu ad-
„ empta; ut mens sit præsens; ut non turbetur vi, aut frau-
„ de; non precibus importunis *in morbo*; non precibus etiam
„ de se moderatis *in proximo mortis periculo*, quo in statu
„ juxta Harprecht & Schmalzgr. omnes preces censentur im-
„ portunæ; cum testator solum consentire videatur ad liberan-
„ dum se a molestia. 2. *ultimatio voluntatis* in dispositione,
„ ut testator se non referat ad ulteriorem dispositionem e. g. re-
„ linquam pauperi aliquid in meo testamento, memor ero ho-
„ spitalis, instituam hæredem orphanotrophium, legabo 1000.
„ Ecclesiæ ad B. V. &c. licet enim voluntas non sit perfecta ratio-
„ ne adæquationis, eo quod e. g. defectu virium non potuerit
„ testator absolvere testamentum &c. modo sit perfecta in ra-
„ tione ultimationis. 3. Talis *manifestatio voluntatis* ultimæ,
„ ut sufficienter innotescat; sive hæc notitia e. g. ex nota
„ defuncti manu, duobus testibus &c. sit constitutivum actus,
„ sive tantum probatio. Est autem testamentum ad causas
„ pias, *quod pro hærede instituit aut locum pium e. g.* Ecclesiam
„ &c. aut *personam piam e. g.* pauperes, captivos &c. aut
„ *motivum pium* adjungit ut causam inductivam e. g. consan-
„ guineos, sed ex motivo honoris divini, misericordiæ exer-
„ cendæ, salutis animæ &c. Ita *Collet. perfector Tournelii*,
„ *Pontas Cabassutius, & communis hodie, etiam Legislatorum*,
„ unde hoc privilegium est originaliter a jure Pontificio, pro-
„ xime a consuetudine ad terras etiam Imperiales extenta.
„ *Addo reliqua testamenta privilegiata.*

„ Testamentum *inter liberos* nuncupativum requirit duos vel
„ tres testes mares vel fœminas; scriptum vero nullos exigit
„ testes, sed solum 1. ut præsentes sint liberi. 2. ut subscri-
„ batur simul a testatore, & liberis, vel ut solus testator ma-
„ nu propria subscribat, exprimatque tempus conditi testamenti,
„ nomina filiorum, & eorum portiones, & hoc non per ci-
„ fras, sed per verba integra.

„ Testamentum *Rusticorum* ruri confectum exigit 1. testes
„ quinque, sed sub conditione, si haberi commode septem non
„ possint. 2. Si unus in loco litteratus inveniatur, debet hic
„ pro testibus præsentibus nomina eorum subscribere; si nullus
„ inveniatur, nulla requiritur subscriptio.

„ Testamentum *militum* solum est privilegiatum, quando „ sunt in expeditione bellica, hoc est per se loquendo expedi- „ ti ad pugnandum. Quare 1. si sunt in actuali pugna, nullam „ adhibere solemnitatem tenentur, sed sufficit, si gladio in „ arena, aut sanguine in clypeo scribant. 2. Si in castris seu „ in procinctu ad pugnandum, requiruntur duo testes. 3. Si in „ hybernis, requiruntur septem testes, & solemnitates juris.

„ Testamentum *tempore pestis* conditionatum habet privile- „ gium, si nempe plures testes haberi nequeant 1. Sufficiunt „ quinque, imo etiam duo. 2. Testes non debent esse specia- „ liter ad hunc actum rogati, aut simul præsentes. 3. Proba- „ bile est, hoc Testamentum, si testator finita peste vivat, „ adhuc per annum retinere favorem suum, sicut testamentum „ militis post expeditionem bellicam.

„ Testamentum *Principi oblatum* cum precibus, ut id sua „ auctoritate sustineat, nullis indiget testibus, aut aliis solemni- „ tatibus, utpote quas supplet persona Principis, licet Princeps „ Testamentum hoc solum acceptet per Consiliarium, & testa- „ tor id illi offerat solum per Procuratorem. Testamentum *ad* „ *acta* fit coram Judice, etiam extraneo; quia est actus ju- „ risdictionis voluntariæ; nec per se exigit testes, modo Judex „ factum hoc in acta referat, vel testamentum *apud acta* asser- „ vet; solent tamen frequenter adhibere duos testes, qui solum „ testentur de depositione ad acta, si actuarius forte esset incu- „ rius, non de ipsa ultima voluntate. Cæterum attendi maxime „ debent jura statutaria: sic *Teste Mascardo & Molina* in terri- „ torio temporali Papæ sufficit Parochus cum duobus testibus, „ aut quatuor testes sine Parocho. 2. Venetiis & Viennæ in „ Austria *teste Laymanno* sufficiunt duo testes. 3. *Teste Elbel* in „ aliquibus pagis sufficit præsentia Parochi, cooperatoris, & „ alterius viri e. g. æditui, in aliis Parochus scribens Testa- „ mentum coram duobus testibus a testatore dictatum. 4. Illud „ magnopere *in praxi* notandum, ut Parochus, assistens mori- „ bundo, semper ad voluntatem ultimam ægri excipiendam adhi- „ beat duos vel unum saltem testem alium; cum uni soli, etiam „ jurato asserenti, non facile adhibenda sit fides.

„ *Q.* 4. Quæ natura Condicilli &c.

„ R. *Condicillus*, qui olim erat solumodo epistola, nunc parvus „ quasi codex definitur *ultima voluntas minus solemnis carens di-* „ *recta hæredis institutione*. Quare *convenit* cum testamento in duo- „ bus. 1. Quod sit ultima dispositio. 2. Quod possit esse tam „ scriptus, quam nuncupativus. *Disconvenit* in tribus. 1. Quod „ non directe instituat hæredem, sed vel testamento jam facto „ adjiciatur ad mutandum aliquid in illo, etiam circa hæredem, „ si tamen in testamento aliqua relatio ad codicillum facta est; „ vel se solo factus vim habet hæredi ab intestato designandi sub-

stitu-

„ ſtitutionem, aut fideicommiſſa, aut legata. 2. Quod habeat pau-
„ciores ſolemnitates e.g. ſolum 5. teſtes, prout habent ſubſtitutio,
„ fideicommiſſum, legatum profanum, & donatio mortis cauſa, ſi
„ hæc extra teſtamentum conſtituantur, in teſtamento enim ſe-
„ quuntur ſolemnitates teſtamentorum. 3. Quod plures codicilli
„ fieri poſſint, modo non ſibi oppoſiti; non item plura teſtamenta.
„ *Subſtitutio* eſt deſignatio ſecundi hæredis in defectum prioris.
„ Si teſtator ipſe immediate ſubſtituto confert hæreditatem, e. g.
„ inſtituo hæredem Titium, & ſi Titius hæres non erit, Cajus
„ hæres eſto: inſtituo Terentiam filiam in legitima; & ſi hæc ob
„ vitam meretriciam exhæreditari mereatur, Mævia ſuccedat &c.
„ dicitur ſubſtitutio *directa*, & habet duplex commodum, quod
„ in defectum prioris poſterior proprie fiat hæres, ſicque detur
„ trimeſtre ad deliberandum, an adire hæreditatem velit, & poſ-
„ ſit ſibi detrahere quartam partem. Si vero teſtator vult, ut
„ hæres immediatus ſeu fiduciarius cedat poſtea alteri vel totam
„ hæreditatem vel partem, dicitur ſubſtitutio *indirecta*, ſeu *fi-*
„ *deicomiſſaria*, *e. g.* ſi moriens in teſtamento, vel codicillo,
„ vel per verba, epiſtolam, libellum verbis ſimplicibus, poſt
„ ſublatam nempe precatoriam formulam dicat: *Rogo*, *vel præ-*
„ *cipio hæredi ſcripto vel inteſtato*, *ut hæreditatem totam*, *aut*
„ *partem ex ea tradat Sempronio poſt adeptam pubertatem*, *aut*
„ *abſoluta ejus ſtudia*. Quare
„ Fideicommiſſum particulare eſt ſubſtitutio indirecta particu-
„ laris, qua fidei hæredis committitur, ut aliquid ex bonis de-
„ functi conſignet alteri, ſive *extraneo*, & eſt fideicommiſſum com-
„ mune, ſive *inter familiam* ad hujus conſervationem; & dicitur
„ familiare. Cæterum *hodie* fideicomiſſum dicitur, quod ita
„ alteri relinquitur, ut non poſſit pro libitu de illo diſponere;
„ regulanturque fideicommiſſa ſingularia in effectu juxta legata.
„ *Legatum* eſt donatio quædam a defuncto relicta ab hærede
„ præſtanda; differt ergo legatum a donatione mortis cauſa 1. quod
„ illud dependeat ita a teſtamento, vel additione hæreditatis, ut
„ hoc corruente etiam legatum non privilegiatum corruat; 2.
„ quod legatum perficiatur per mortem, & poſt mortem; dona-
„ tio autem mortis cauſa ſit independens, & per mortem
„ jam plene perfecta ſit. De Donatione *inter vivos & mortis*
„ *cauſa*, vid. n. 905. uſque ad 908. incluſive.
„ *Q.* 5. Quid de Donatione Novitii?
„ *R.* Sicut non valet donatio notabilis inter vivos, quam facit
„ Novitius in Novitatu ante duos ultimos menſes, ut profeſ-
„ ſio ſit quam liberrima, & egreſſus ad ſeculum non reddatur dif-
„ ficilis, ut decernit Trid. S. 25. *c.* 16. *de Regul.* ita nec valet ejuſ-
„ modi donatio, quam facit Candidatus ſuſceptus ante Novitia-
„ tum, ut docet Leſſius cum 6. aliis *opuſc. de ſtatu vitæ relig.* & idem
„ finis ac verba legis citatæ: accedit declaratio Cardinalium, quam

„ refert Laymann *l. 3. tr. 5. c. 7.* aliter loquendum de do-
„ natione notabili mortis causa, aut modica inter vivos. *In*
„ *praxi* adeundus in tali casu a Novitio egrediente foret Epi-
„ scopus, tanquam Judex competens, & petenda restitutio in
„ integrum ob contractum factum in fraudem Tridentini, nisi
„ Donatarius sponte redderet. De Novitiis Societatis Jesu do-
„ nantibus V. Wex. *Epitome Canonica p. 1. c. 5. n. 86.* Ascan.
„ Tamburinum Congreg. Vallis umb. & Karchne *de Jure &c.*

APPENDIX II.

De Successione ab Intestato.

„ *Nota.* Hæc definitur *Acquisitio hæreditatis extra casum ultimæ*
„ *voluntatis Testamento transmissæ;* dicitur: *testamento transmissæ;*
„ quia codicillus sine Testamento relinquit successionem hæredi ab
„ intestato, ut solum habeat vim substitutionis fidei commissa-
„ riæ indirectæ. Potest autem successio hæc esse vel *civilis*, vel
„ *prætoria*, vel *feudalis*, vel *statuaria*, vel *pactitia*, si nem-
„ pe ordinetur a lege vel pactis familiarum, conjugum &c.
„ quamvis hæc pacta passim imbrobentur, quod dent occasio-
„ nem captandæ mortis, exceptis his 4. *parificatione*, *seu unio-*
„ *ne prolium* ex diversis matrimoniis, ut pari modo succedant,
„ *Confraternitate*, ut una familia extincta succedat altera, ut
„ habet domus Brandenburgica, Hassica &c. *Ganerbinatu*, ut
„ succedat altera familia eum in finem, ut expilationes, &
„ hostiles incursiones avertantur, & inter sponsos *pactis dota-*
„ *libus*. Nos pauca, quantum Curato utile est, persequimur.
„ *Quær.* 1. Quæ natura hujus successionis?
„ R. Tria considerandæ: ordo succedentium, qualitas libe-
„ rorum, modus successionis. *Ordo* est. 1. Succedunt descen-
„ dentes. 2. ascendentes. 3. collaterales. 4. conjuges. 5. Col-
„ legium, & Fiscus sive Ecclesiasticus, sive laicalis, ubi ta-
„ men quarta pars cedit Episcopo tunc, quando mortui bona
„ relinquuntur loco sacro vel Religioso non exempto; & pro con-
„ suetudine loci Parocho *aliquota ex bonis funeralibus* tunc,
„ quando extra parochiam defunctus sepelitur. 2. *Qualitas li-*
„ *berorum* est *legitimitas*, *duplicitas vinculi*, *propinquitas san-*
„ *guinis*: hodiernis moribus pro naturalibus nothis habentur
„ illi, qui ex soluto & soluta per fornicationem nati sunt,
„ pro spuriis illi, qui prodiere ex tali prostibulo, quod ita
„ cum pluribus viris consuetudinem habuit, ut nequeat sciri;
„ quis naturaliter pater existat: ex damnata conjunctione orti
„ dicuntur nefarii ex linea recta, incestuosi ex collaterali, ad-
„ ulterini ex ligata, & sacrilegi ex sacra persona. *Præterea*
„ fratres aut sorores germanæ censentur, quæ ex eodem Patre, &
„ ex eadem matre nascuntur; qui vero eadem duntaxat matre, u-

„ teri-

„ terinæ; quæ ex eodem ſolum patre, conſanguineæ. *Denique*
„ computatio graduum propinquitatis fit pro numero perſonarum,
„ ut duo fratres ſint in 2. duo fratrum filii in 4. gradu. 3. *Modus*
„ *ſuccedendi* fit vel *in capita*, quando tot fiunt portiones æqua-
„ les, quot ſunt perſonæ. Vel *in ſtirpes*, quando portionum æqua-
„ lium numerus fit pro numero ſtirpium, ex quibus deſcendunt
„ ſuccedentes, adeoque jure non ſuo, ſed repræſentationis ſucce-
„ dunt. Vel *in lineas*, quando aliqui ex linea materna, alii
„ ex paterna in duas æquales partes ſuccedunt, licet in una
„ linea adſint plures aut remotiores, quam in altera.

„ *Q.* 2. Quæ regulæ pro deſcendentibus?

„ R. 1. *Legitimæ nati*, etiam emancipati, etiam poſthumi, etiam
„ Religioſi ſive mares ſive fœminæ ſuccedunt parentibus & avis
„ ſuis jure æquitatis naturalis cum excluſione reliquarum claſſium,
„ & quidem omnes primi gradus in capita, ulteriorís autem in
„ ſtirpes; quia hoc & naturæ & parentum commune votum eſt,
„ ac debitum quoddam, ut deſcendentes alantur ex bonis eorum, a
„ quibus trahunt originem. LL. potiſſimæ ſunt, *Novell.* 118. *& aliæ*
„ *paſſim*, e. g. Titius moriens reliquit Gajum filium ſuperſtitem,
„ ex Sempronio ſecundogenito præmortuo duos nepotes, ex Mæ-
„ vio tertiogenito tres pronepotes; hæreditas non in 6. ſed in 3. par-
„ tes æquales dividitur, quarum prima Cajo jure ſuo, ſecunda fi-
„ liis Sempronii, tertia Nepotibus Mævii jure repræſentationis
„ obvenit, cum liberi & nepotes parentem & avum velut imagi-
„ nes repreſentent. 2. Si tamen exiſtant liberi *ex diverſis matri-*
„ *moniis*, communi parenti ſuccedunt communiter, proprio pa-
„ renti ſeparatim, & quod ex priori matrimonio ad commu-
„ nem parentem pervenit, acquirunt liberi primi matrimonii
„ ſoli, e. g. prima uxor Cajo in dotem attulit duo millia, mo-
„ riens ambo millia aſſignat duobus liberis ex hoc matrimonio ſu-
„ ſceptis: Cajus poſtea ducit Bertham, quæ in dotem ei agrum
„ & ædem affert, ſed rurſus moriens Cajo agrum relinquit, duo-
„ bus liberis ex 2. matrimonio ædem; liberi immediate acquirent
„ bona ſuarum matrum ſeparatim, in agrum vero Patris ſucce-
„ dent communiter. 3. Quæ omnia communia ſunt *legitimatis*
„ per ſubſequens matrimonium, aut per reſcriptum Principis de-
„ terminate hunc effectum intendentis; *mere legitimi* tamen, ſeu
„ adoptivi ſuccedunt ſoli patri; *de illegitimis* eſt hæc diſpoſitio;
„ nati ex damnato coitu nulli ſuccedunt; debentur tamen illis ex
„ jure Canonico, & æquitate naturali alimenta: ſpurii ſuccedunt
„ ſoli matri, & lineæ maternæ; niſi mater eſſet illuſtris, & ha-
„ beret prolem aliam legitimam; quo caſu ſpurio ſolum deberet
„ alimenta. *L.* 5. *C. de S. C. orphitiano*. Naturales Nothi (ut
„ contradiſtincti a naturalibus legitimis ſimul) ſuccedunt ma-
„ tri & maternis aſcendentibus, ac Patri; ſed huic ſolum in
„ ſextante una cum matre dividendo, cum reliquæ 10. unciæ

„ propinquis defuncti adveniant: paternis vero ascendentibus „ succedunt nunquam. *Nov.* 89. *c.* 12.

„ *Q.* 3. Quæ Regulæ quoad ascendentes?

„ R. 1. In defectu descendentium *succedunt ascendentes* ita, ut „ nulla fiat distinctio bonorum, proprior succedens excludat re- „ motiorem, & in primo gradu quidem in capita, in ulteriori in „ lineas; cum nulla hic stirps; nulla repræsentatio detur. Ita *Nov.* „ 118. *e. g.* Caja parvula moritur superstite matre patre, & avo „ ac avia paternis, & avia materna; ergo mater succedit in omnia „ bona Cajæ per solam paternam lineam distaræ exclusis omnibus „ reliquis: post mensem moritur & ipsa mater hæc; ergo emortuæ „ bona dividuntur in duas æquales portiones, quarum unam ac- „ cipiunt ascendentes paterni seu mariti, alteram ascendens ma- „ terna sola. 2. Si cum parentibus, aut avis defuncti superstes sit „ hujus frater aut soror germana, cum ascendentibus concurrit „ germanus, in capita, & reliquorum germanorum liberi in stirpem, „ neque tunc ascendentes in lineas distribuuntur. Secus sit, si vivant „ solum uterini, aut consanguinei, aut soli liberi germanorum „ nullo germano superstite: ita *Nov.* 127. *c.* 1. quæ aliquantum „ correxit *Novellam* 118. 3. *De legitimatis* per subsequens matri- „ monium aut rescriptum Principis est eadem successionis ratio; „ *mere legitimo* succedit solus Pater adoptans cum patre ejus na- „ turali, & germano, & tunc tantum, quando filius adoptivus „ fuit in patria potestate adoptantis, aut arrogatus mortuus sit „ pubes. *Illegitimis* succedunt ascendentes, sicut illi parenti- „ bus; quia reciproca apud hos est successionis ratio.

„ *Q.* 4. Quæ ratio Collateralium?

„ R. 1. Fratri defuncto succedunt deficientibus ascendentibus „ lineæ rectæ *sorores & fratres germani* in capita, & horum liberi „ in stirpes exclusis unilateralibus, & horum liberis. Ita *Novel.* „ 118. *c.* 3. quia major creditur esse affectus erga ambilaterales, „ quam erga illos, inter quos vitrici & novercæ nomen interce- „ dit. 2. Deficientibus ambilateralibus succedunt *unilaterales*, in „ capita, & horum liberi in stirpes, exclusis patruo, & avunculo, „ ac germanorum nepotibus tanquam adhuc remotioribus; quia „ jus repræsentationis ultra fratrum liberos non egreditur. Et „ hac etiam successione non distinguunt Boekhn, Pellegrini &c. „ inter bona, an obtenta per lineam paternam consanguineis, per „ maternam autem uterinis adveniant &c. sed illud dubitant ma- „ gis, an si soli germanorum vel unilaterialium liberi succedunt, „ succedant in capita, vel stirpes. 3. *Legitimati* per subsequens „ matrimonium eandem prorsus rationem servant; per rescriptum „ vero Principis legitimati tunc solum legitimi nato fratri suc- „ cedunt, quando hic non alium legitime natum fratrem habet, „ aut post prioris legitimationem primum natus sit. *Adoptivi* „ solum succedunt fratribus consanguineis, & quidem tunc tan-

„ tum,

„ tum, quando in poteſtatem adoptantis tranſierunt, & adhuc „ durat adoptatio: *Natutales & Spurii* ſuccedunt ſibi invi- „ cem, & omnibus ex matre collateralibus una cum legiti- „ mis fratribus uterinis, niſi mater ſit illuſtris; ſecus contin- „ git natis ex damnato coitu.

„ Tandem poſt collaterales fratres, & fratrum liberos ſucce- „ dunt reliqui *conjuncti ſanguine* in capita, ſine attentione, an „ ſint uni-vel bilaterales; poſt iſtos *conjux*, imo ſi hæc ſit pau- „ per, ne egere in dedecus familiæ debeat, concurrit cum libe- „ ris; & acquirit ſolum fructum portionis ſuæ ad dies vitæ; „ aut cum aliis ſanguine junctis; & acquirit etiam proprieta- „ tem portionis, quæ eſt quarta pars, ſi concurrentes ſint ſo- „ lum tres; ſi ſint plures tribus, eſt portio virilis, quam 30. „ annis petere poteſt: Ita *Nov.* 117. *c.* 5. ſi autem conjux ſu- „ perſtes altero præmortuo ad ſecundas nuptias tranſeat, *amit- „ tit proprietatem*, & retinet ſolum uſumfructum eorum bono- „ rum, quæ a priore conjuge *titulo lucroſo e. g.* donatione, te- „ ſtamento, ſucceſſione inteſtata in bonis profectitiis liberorum „ &c. acquiſivit: aliter de bonis *titulo oneroſo e. g.* labore com- „ muni &c. acquiſitis; ita *Nov.* 22. *c.* 23. & hinc, ſi mater „ moriens filio ædes, marito agrum donet, hoc ad ſecundas „ nuptias tranſeunte filius acquirit dominium agri. Poſt conju- „ gem ſuccedunt *Collegia e. g.* Academia in bonis ſtudioſi, legio „ in bonis militis, Eccleſia in bonis beneficiati &c., imo ſi „ peregrinus in loco Religioſo e. g. hoſpitali moriatur, nec „ hæredes alii propiores compareant, Epiſcopus occupat „ bona erroganda in cauſas pias, *Auth. om. peregr. C. com- „ munia de ſucceſſ.* ultimo tandem *fiſcus*.

„ *Q.* 5. An Religio poſſit petere ſucceſſionem pro Religioſo?

„ R. 1. Si Religio ſit capax dominii in communi, & Pro- „ feſſus ſupervivat patri, ſuccedit Monaſterium, vel potius re- „ tinet bona & jura ſui profeſſi, non item ſui Novitii, licet hic „ forte ante abſolutum tempus Tyrocinii e. g. ob morbum emi- „ ſiſſet profeſſionem. 2. Si tempore ſolito Profeſſus præmoriatur „ patri, Prælatus non poteſt exigere hæreditatem, aut legiti- „ mam ſui Religioſi: *ita communior contra Schmier*. Quia 1. Mo- „ naſterium acquirit illud jus præciſe, quod habet profeſſus: er- „ go cum hic tantum habeat jus conditionatum ad hæreditatem: *ſi „ nempe ſupervivat patri &c. viventis enim nulla eſt hæreditas* 2. „ Si Profeſſus ex Monaſterio capaci hæreditatis traſiret ad Religio- „ nem incapacem S. Franciſci, illud capax non poſſet ſuccedere in „ bonis patris morientis, quia per tranſitum profeſſi amiſit jus ſuc- „ cedendi: ergo cum etiam amiſerit hoc jus per mortem profeſſi &c.

„ *Dices* 1. Monaſterium profeſſi defuncti *repræſentat* defun- „ ctum, ſicut liberi defunctum parentem: ergo in ſtirpem ſuc- „ cedit. 2. Non tantum jure repreſentationis, ſed etiam *proprio*

„ ſuc-

„ ſuccedit; nam profeſſus per profeſſionem omnia ſua bona, &
„ jura tranſtulit in Monaſterium. 3. *Praxis* probat jus ſucceſ-
„ ſionis; cum ſæpe Prælati malint expectare uſque ad mortem
„ patris, quam cum patre neoprofeſſi tranſigere. R. *ad* 1. N.
„ quia Monaſterium non participat de ſanguine progenitorum
„ profeſſi. *Ad* 2. N. tranſtulit tantum jura conditionate &c. *Ad*
„ 3. Praxis hæc ſupponit ſpem, quod filius ſit ſupervicturus
„ patri. V. *Tabulas Hoppianas* a D. Hahn emendatas, & de-
„ claratas.

CAPUT VII.

De octavo Præcepto Decalogi.

§. I.

Prænotanda.

SIcut Præcepto 5. peccata ex injuſta læſione bonorum corporis; Præcepto 7. peccata ex injuſta læſione bonorum fortunæ prohibentur; ita Præcepto 8. (*Non loqueris contra Proximum tuum falſum teſtimonium*, Exodi 20. 15. & Matth. 19.) prohibetur omnis injuſta læſio proximi in bonis famæ, ac honoris. Agendum itaque de injuriis, quæ fiunt per teſtimonium falſum in judicio publico; item de mendacio, judicio temerario, ſuſpicione; denique de detractione, & contumelia. De Juramento, & perjurio egimus T. 3. c. 2. a. 2.

§. II.

Principia Generalia de peccatis contra Præceptum octavum.

957. *Principium* I. Nullo caſu licet teſtari ſcienter falſum, nec alium ad id inducere: qui vero ſciens falſum teſtimonium dixit, per quod alteri fuit efficax cauſa damni, tenetur non ſolum impedire, vel reparare omne damnum, quod cauſavit, ſed etiam revocare falſum teſtimonium cum pari damno ſuo, maxime ſi accuſatus vita periclitetur, ſitque ſpes, revocationem eſſe profuturam. *Filliuc. Babenſt.* t. 4. D. 8. a. 2. n. 45. *Ratio primi eſt*: quia falſum teſtimonium omni modo prohibetur in Scriptura *Exodi* 20. ſupra cit. *Matth.* 19. 18. *Ne falſum teſtimonium dixeris*. Matth. 15. v. 19. falſa teſtimonia numerantur inter graviſſima peccata cum fornicationibus, blaſphemiis &c. quæ *coinquinant hominem*. *Ratio Secundi*. Quia qui eſt cauſa efficax damni alterius, tenetur ad ejus reparationem; atqui teſtis falſus eſt talis cauſa: ergo. *Quid? ſi quis ex errore inculpabili dixerit falſum teſtimonium?* R. Poſtquam pateſcit error, tenetur impedire damnum imminens, vel amoliri jam impendens, fatendo, quod inculpabiliter erraverit, ad reſtitutionem autem non tenetur. *Filliuc.* t. 40. c. 8. n. 253. & 254. *Sayr. Leſſ. Dixi, cum pari damno*

quia

quia ſtante æquali damno potior cenſenda eſt conditio innocentis.

958. *Princip.* II. *Mendacium*, quod communiter dicitur locutio contra mentem, *eſt intrinſece malum*, *nec unquam poteſt fieri licitum*; quia vocibus uti contra naturalem inſtitutionem, & finem, ſcil. loquendo velle alium decipere, ex ſe, & præciſa omni prohibitione legis poſitivæ repugnat rectæ rationi; ergo. Mendacio annumerat *S. Th.* 2. 2. q. 111. a. 1. in ⊖ *ſimulationem*, qua quis externo opere vel ſigno exhibet aliud, quam in corde ſentit, animo fallendi alterum; quia hæc æque opponitur veracitati, quæ eſt virtus inclinans hominem, & obligans, ut quæcunque ſigna judicii interni ſignificativa menti conformet, alias contradictio erit inter interiora & exteriora in eodem homine.

959. Porro mendacium eſt triplex; *officioſum*, quod utilitatis alienæ cauſa, *jocoſum*, quod vel propriæ, vel alienæ voluptatis cauſa profertur, & *pernicioſum*, quod proficiſcitur ex intentione proximo injuſte nocendi. Officioſum & jocoſum, per ſe, & ex genere ſuo ſunt peccatum veniale; pernicioſum vero ex ſe eſt mortale, quamvis poſſit eſſe veniale ratione levis materiæ, v. g. ſi exiguum tantum inferatur, vel intendatur damnum. *S. Th.* 2. 2. q. 110. a. 4. in ⊖. *Ratio primi eſt*: quia abuſus ille verborum, ac ſignorum externorum in officioſo tantum, & jocoſo mendacio neminem graviter lædit; nec graviter abhorret a veracitate. *Dixi*, *per ſe*, *& ex genere ſuo*: quia accedente alia ſpecie peccati, v. g. ſi inde oriatur grave ſcandalum, item ſi adjunctum habeat juramentum, utrumque erit grave peccatum. vide n. 526. *Ratio ſecundi*: Quia pernicioſum ſimul directe repugnat charitati Dei, v. g. in materia religionis, vel proximi, cui nocet; ergo in ſe gravem malitiam includit. *Bonac.* D. 10. q. 1. pun. 2. *Sayrus* & alii. *De reſtrictione mentali* vide n. 536. & ſeq.

960. *Principium* III. *Suſpicio temeraria* (quando ſcil. ſine ſufficienti fundamento aliquid mali de proximo ſuſpicamur) juxta *Laym.* ex genere ſuo *eſt tantum veniale peccatum*; quia ob debilitatem judicii non cenſetur (ſaltem communiter) graviter lædi bona exiſtimatio proximi. Eſt autem ſuſpicio actus intellectus non determinate quidem judicans rem abſolute ita ſe habere, ſed eam *forte* in his circumſtantiis ſe ſic habere. *Temeraria* eſt, ſi indicia tam levia ſint, ut prudens judicium ex iis formari nequeat. Dixi, *ſaltem communiter*: quia ſiquis advertens levitatem indiciorum, nihilominus diutius adhæreat ſuſpicioni in re gravi, mortaliter poſſet peccare; quia ſic graviter læderetur bona exiſtimatio proximi; ideoque ex ea facile oritur contemptus perſonarum etiam excellentium, odium, detractio &c. NB. Paterfamilias non ſuſpicatur male, ſi rebus ſuis caute ſecuritatis gratia proſpiciat, occludendo ciſtas ſuas,

pro

prohibendo, ne filia cum hoc vel illo libere conversetur &c. quia commune periculum juste exigit ejusmodi curam.

961. *Princip.* IV. *Temerarim Judicium* (quando scil. sine sufficienti fundamento malum de proximo judicatur) *est peccatum grave ex genere suo:* veniale est in materia levi, vel ob imperfectionem actus, dum sæpe non adest plena advertentia, vel etiam ob circumstantias personæ parum æstimantis siniſtrum de se judicium. *Prob.* 1. *Jac.* 4. 11. *Qui judicat fratrum suum, judicat legem*, h. e. deficit a lege Charitatis, quæ præcipit, temere de proximo non esse judicandum; huic judicio legis temere judicans suum judicium anteponit. *Prob.* 2. ex *Matth.* 7. 1. & *Luc.* 6. 37. *Nolite judicare, & non judicabimini. Prob.* 3. Juxta illud commune: *Quisque præsumendus est bonus, donec demonstretur malus*: ergo quilibet jus habet ad bonam sui existimationem: ergo injuriam infert, qui proximum in corde temere judicat, & ejus famam interne lædit.

962. *Princ.* V. *Detractio* (quæ definitur alienæ famæ occulta & injusta violatio; fama autem dicitur bona æstimatio aliorum de alicujus vita, & moribus) *ex genere suo est peccatum mortale* contra charitatem & justitiam, sive id, quod refertur, verum sit, sed occultum; sive falsum; ideoque habet annexam obligationem restituendi famam, seu retractandi coram iis, quibus præsentibus fama læsa est. *Prob.* ex eod. c. 4. *S. Jac. Nolite detrahere alterutrum fratres: qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi. Confirm.* Detractio est eo majus peccatum injustitiæ, quo majore bono proximum injuste privat: atqui illum privat bono majore, quam furtum; *Melius est enim bonum nomen, quam divitiæ multæ.* Prov. 22. Vide propos. 43. & 44. ab *Innoc. XI.* damnatas. Additur in definitione detractionis 1. *occulta*, detractio enim fit absente illo, cui detrahitur, & sic differt a contumelia, quæ præsenti infertur. 2. Additur *injusta*, qualis semper est, quoties affingitur falsum crimen. Occulta vero revelatio non semper est injusta, si scil. fiat ob justam gravemque causam, ut infra patebit.

963. *Adverte:* Detractio leve peccatum esse censetur. 1. Ex defectu plenæ advertentiæ. Ita *S. Aug. Serm.* 4. *in die animarum ante medium* inter peccata minuta ponit, quando cum omni facilitate, vel temeritate maledicimus, quod pertinet ad detractionem: quod *S. Th.* 2. 2. q. 37. a. 2. ad 3. ita exponit: *Dicendum, quod Augustinus loquitur in casu illo, quo aliquis dicit aliquod leve malum de alio, non ex intentione nocendi, sed ex animi levitate vel lapsu linguæ.* Unde ibid. in ⊖ ait: *Contingit tamen quandoque, quod aliquis dicit verba aliqua, per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed aliquid aliud: hoc autem non est detrahere per se, & formaliter, sed solum materialiter, & quasi per accidens... Si autem proferat ex animi levita-*

levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum, quod dicitur sit, adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat, & præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: Quia hoc ex ipso genere verborum, habet rationem peccati mortalis; & tenetur aliquis ad restitutionem famæ. Si defectus leves proximi narrentur, vel generalibus tantum peccatorum nominibus proferantur, v. g. dicendo de aliquo, illum esse superbum, avarum, iracundum &c. *Excipe:* nisi forte conditio personæ talis sit, ut ejusmodi defectus censeantur esse magni momenti, v. g. si de viro gravi vel sacerdote dicas, eum esse mendaciis assuetum. 3. Si manifestentur defectus naturales (nisi inde notabile damnum sequatur) sive sint defectus animi, v. g. si dicas, aliquem esse ignarum, non habere maturum judicium &c. sive sint defectus corporis v. g. Petrum esse cæcum, gibbosum &c. 4. Si ratione conditionis personæ peccata, alioqui etiam gravia, non censeantur notabiliter lædere famam, ut si persona sit vilis, vel ita affecta, ut crimen non magno sibi dedecori ducat, v. g. si dicas, hunc militem commisisse duellum, illum deditum esse imprecationibus &c. 5. Gravitas detractionis minuitur ex conditione personæ detrahentis, v. g. si hæc sit vilis, cui vel levis, vel nulla fides habeatur; ex quo capite sæpius excusantur pueri, qui facile solent aliorum vitia detegere. 6. Detractio non est, si quis peccatum alterius occultum, quando ad delinquentis emendationem est necessarium, manifestet illi, qui potest, vel debet corrigere; aut qui grave damnum, quod imminet alicui, avertere potest: vel qui consilium, aut auxilium necessarium hic & nunc dare potest: *Excipe semper*, nisi notitia criminis occulti habeatur ex confessione, uti dicemus de sigillo confessionis, ita *Stoz* l. 1. p. 3. n. 206. cum *Bonac. Tambur.* & aliis.

964. *Princip.* VI. *Contumelia*, qua læditur honor proximi, *ex genere suo est peccatum mortale*. Tunc autem actu est grave peccatum, quando injuria est notabilis, qua alicui vel verbo, vel facto in faciem objicitur grave crimen, ut si quem voces furem, adulterum, veneficum. Potest autem esse veniale. 1. Ex defectu plenæ advertentiæ. 2. Ob levitatem criminis, quod objicitur. 3. Ex conditione personæ exprobrantis. v. g. si puer ex ira fratri suo dicat: tu es filius meretricis: Sic sæpius non sunt graves contumeliæ, quæ inter personas viles proferuntur, ut inter plebejas mulierculas, viles famulos, pueros, qui rixando convitiis se invicem proscindunt, prout in bucam venit. 4. Si fiat ex joco, ita ut audiens animum jocosum advertat. Denique excusari potest ab omni peccato, si fiat correctionis gratia. Sic *Christus Luc.* ult. Discipulos vocavit *Stultos*: S. Paulus Galatas *insensatos*, ad Gal. 3. se-

3. secus, si non fiat ex animo correctionis. *Ratio* princ. est, quia contumelia non tantum est contra charitatem, sed quia sæpe conjuncta est cum detractione, simul est contra justitiam, & tunc secum trahit obligationem restitutionis famæ & honoris: hinc differt a detractione, sicut rapina a furto: nam contumelia fit palam, & coram eo, qui patitur injuriam, detractio autem clam. *Confirm.* Ex verbis Christi *Matth.* 5. *Qui autem dixerit fratri suo Fatue, reus erit gehennæ ignis.*

965. Adverte I. Sicut honor (qui est externa æstimationis, quam de alterius bono vel excellentia habemus, testificatio) tum verbis, tum factis exhiberi, ita etiam lædi potest. Si scripto lædatur, publice affixo, vel aliter sparso, dicitur *libellus famosus*. De quo vide *Laymann* l. 3. de Just. t. 6. c. 3. II. Contumelia differt ab improperio, & convitio; quia illa proprie fit per verba significantia malum culpæ, v. g. dum proximum quis compellat latronem, fornicarium &c. *Convitium* proprie committitur objiciendo defectus vel animi, vel corporis ut dictum est supra: huc pertinent vulgaria cognomina, faular Esel, Tœpel, Galgenschmengel, &c. *Improperium*, quando alteri objicitur malum indigentiæ, v. g. si cui exprobres, quod fuerit vile mendicabulum, obscuro genere natus, &c. *Reginald.* l. 24. n. 99.

Ex his *Resolves*.

Didymus se accusat, 1. *Narravi occultum alicujus crimen absque propria confirmatione, nocendique proposito, addendo, quod ab aliis id audiverim.* 2. *Crimen alicubi notorium aliis ignorantibus manifestavi.* 3. *Sæpe etiam crimen occultum aliis retuli non nominata persona.*

966. *Q.* I. An, & quomodo Didymus peccaverit quoad primum? R. Si eo auctore, & in iis circumstantiis crimen occultum narraverit, ut narratio ex se fidem apud audientes mereatur, vel sinistram suspicionem generet, peccavit contra justitiam cum onere restitutionis: secus, si prudenter præviderit, non credituros esse, coram quibus narrabatur; quia tunc non esset periculum inferendi notabile damnum: si vero non ex pondere narrationis, sed ex levitate animi fidem adhibeant audientes, peccavit contra Charitatem, non contra justitiam, quia narranti tanquam causæ fides data adscribi non potest. Ita *Laym.* l. 3. t. 3. p. 2. c. 3. n. 7. cum *S. Antonin. Sylv. Cajet.* & aliis.

967. *Q.* II. An, & quomodo Didymus peccaverit quoad secundum? R. 1. Si fuerit crimen verum, & notorium notitia facti, non peccavit saltem mortaliter. *Notorium facti est*, quod ita se plurium conspectui exhibet, ut nulla tergiversatione celati

ri possit: *Notorium juris*, de quo aliquis in judicio condemnatus, vel confessus, vel sufficienter & non tantum semiplene convictus est. *Ratio* R. est: quia talis criminosus tunc censetur spoliatus jure famæ suæ, quando crimen adeo manifestum est, ut moraliter impossibile sit, quin in aliorum notitiam deveniat. *At quot homines debent cognovisse crimen*, ut notorium censeatur? Respon. *Laym.* l. c. cum *Abb.* & *Molina*, definiendum esse prudentis arbitrio, an eo usque notitia diffusa sit, ut spectata humana fragilitate impossibile videatur, id celare alios; hinc si domus habeat octo incolas, sufficiet si 4. incolæ crimen cognoverint, ut domi notorium censeatur. Juxta alios apud *Sylv.* V. Notorium q. 4. sufficit, si decem e communitate norint. R. 2. Si crimen notorium juris per sententiam condemnatoriam judicis publicatum sit, aliis etiam locis sine injuria evulgari potest. Ita *Suar.* t. 5. d. 48. s. 1. Excipit *Laym.* cum *Mol.* l. c. n. 9. Si crimen per solam Rei confessionem vel testium depositionem notorium sit, nisi illud paulo post publicandum esset.

968. *Dixi* in R. 1. *Si fuerit crimen verum*: falsum enim, de quo proximus per injuriam infamatus est, ulterius narrare nescientibus, est peccatum grave contra justitiam; quia innocentem infamare semper injustum est. Sæpe tamen excusat ignorantia arbitrantem, crimen vel vere esse commissum, vel audientes id jam nosse. *Laym.* l. c.

969. *Q.* III. An peccet mortaliter contra justitiam, qui falso testi, vel accusatori iniquo, habenti tamen magnam auctoritatem, falsum crimen imponit, ad eorum testimonium & auctoritatem infirmandam? Item qui alteri falsum crimen imponit, ut suam justitiam & honorem defendat? R. Uterque peccat graviter, & quidem contra justitiam; ut patet ex propos. 43. & 44. ab *Innoc.* XI. damn. quia mentiri in materia gravi, & in damnum alterius semper est peccatum grave & contra justitiam, sive fiat in, sive extra judicium. Contra justitiam autem peccatur, quia læditur jus, quod talis falsus testis, vel iniquus accusator habet ad propriam famam, & ne imponantur falsa crimina. *Neque dicas*: quod hæc sit justa sui defensio. Tum quia in tali casu falsum crimen potius imponitur ad vindictam, quam ad defensionem. Tum quia hæc defensio non est cum moderamine inculpatæ tutelæ; alia enim suppetunt media convincendi falsum testem vel accusatorem iniquum.

970. *Si Quæras*: An reus falso accusatus possit manifestare crimen occultum, verum tamen, sui accusatoris vel testis? R. 1. Si talis manifestatio sit inutilis ad defensionem Rei, peccat reus contra justitiam manifestando: quia sola causa defensionis potest licitam facere manifestationem veri, sed occulti delicti:

licti: ergo si illa manifestatio sit inutilis ad sui defensionem illicita manebit: tunc autem censetur inutilis. 1. Si crimen manifestandum non sit tale, quod testem reddit inhabilem ad testificandum. 2. Si reus illud crimen probare non possit. 3. Si alia adsit ratio, per quam reus se possit defendere sine manifestatione occulti criminis. Unde

℟. 2. Quando hæc manifestatio est necessaria ad defensionem Rei, licitum est Reo verum crimen manifestare, non solum quando testis vel accusator dicit falsum, sed probabiliter etiam, quando dicit verum; quia in tali casu Reus non habet aliam viam se defendendi; ergo manifestatio est justa defensio. Excipe tamen casum, quo reo parvum damnum immineat, testi autem maximum; tunc enim Reus peccaret graviter saltem contra charitatem, si manifestaret occultum crimen testis, vel accusatoris. *Duarte* V. *Crimen falsum* n. 172.

971. *Q.* VI. An Didymus peccarit referendo occultum crimen supresso nomine personæ? ℟. Si adfuerit periculum, ita ut audientes criminis auctorem cognoscere non potuerint, non peccavit graviter; secus, si explicata personæ qualitate illum facile nosse potuerint, maxime si infamia redundet in cœnobium, Ordinem. *Molina* d. 27. *Pet. Nav.* & alii.

972. Porro resolves ex dictis sequentia. I. Detractio *directe* fieri potest. 1. Falsum crimen imponendo. 2. Amplificando verum. 3. Verum sed plane occultum manifestando. 4. Perperam alterius bonum opus explicando, quasi mala intentione fuisset factum: hi modi comprehenduntur sequenti versu: *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.* Indirecte detrahit alteri. 1. Qui negat recte facta, & bona alterius. 2. Qui minuit illa. 3. Qui ea reticet eo in loco & tempore, quo cæteri reticentiam alterius pro tacita vituperatione accipiunt. 4. Frigide laudando, ut hoc ipsum cedat in opprobrium: hos modos tradit sequens carmen. *Qui negat; aut minuit, reticet, laudatque remisse.* Sic detrahentes frequentius peccant contra charitatem; si damnum proximi conjunctum sit, etiam contra justitiam.

973. II. Qui interrogando, applaudendo, animando est causa cœptæ, vel continuatæ detractionis, peccat contra charitatem, quatenus infamanti præbet occasionem peccati; & contra justitiam, quatenus injuste infamationis causam præbet; de tali *S. Ber.* l. 2. de Consid. ad *Eugen. Detrahere, vel detrahentem audire, utrum horum deteſtabilius sit, non facile dixerim.* Qui gravi detractione per consensum internum tantum delectatur, peccat graviter, quia talis delectatio de jactura alienæ famæ est peccatum odii: Item qui solum audit eam, licet positive non concurrat, nec interne approbet, sed tantum non impediat, cum facile posset, v. g. sermonem alio divertendo, abeun-

abeundo, vel signa displicentiæ dando, vultum tristem exhibendo, peccat contra charitatem graviter, hoc ipso, quod non impediat damnum proximi, cum facile possit. Ille excusari potest a peccato omissæ correctionis, qui prudenter prævidet, monitionem nihil profuturam, vel qui ex ea magnum incommodum merito timet, vel qui rationabili verecundia prohibetur ob auctoritatem detrahentis: juxta *Less.* tenetur talis signa displicentiæ dare. Nam juxta monitum sapientis. *Prov.* 15. *Aquilo dissipat pluviam, & facies tristis linguas detrahentium.* Dicat quilibet cum Propheta: *detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Psalm. 100.

974. III. Qui ex inadvertentia alteri graviter detraxit, tenetur in conscientia ad restitutionem famæ; dispar enim est ratio inter damnificatorem sine culpa, & inter detractorem; quia qui sine culpa detraxit, silentio postea suo libero detractionem moraliter censetur continuare, quam tamen facile posset impedire: Econtra damnificator in bonis temporalibus non censetur damnum moraliter continuare, quod inadvertenter intulit, & modo nequit sine gravi suo damno recuperare. De eo, qui uno actu in diversis materiis, item coram pluribus detrahit, dictum est supra n. 314.

975. IV. Qui detrahit mortuo graviter peccat mortaliter contra justitiam; quia bona opinio, quam habet apud homines, ei aufertur: ergo gravis injuria ei infertur. *Confirm.* bona fama etiam post mortem est bonum valde æstimabile, cujus gratia homines in hac vita multa agunt præclara facinora, & patiuntur multa: ergo privatio hujus boni graviter est injuriosa etiam defuncto. *Nec dicas*: mortuus jam non est: ergo nec habet jus, quod per injuriam lædi potest, sed habuit jus, quod modo non respicitur a justitia. R. enim N. ant. quia defuncti voluntas vere adhuc existit, in qua residet jus ad famam. Homini possibili, & futuro inferri injuria non potest, quia talis nec secundum animam, nec secundum corpus existit, adeoque nec capax est juris, quod lædatur. De modo restituendi famam, vide infra n. 982. & seq. Si tamen aliter defuncto fama restitui non possit, censent *Bonac. Rebell.* & alii, quod restitutio fieri debeat per exhibitionem suffragiorum, & bonorum spiritualium.

V. *David sacerdos Dafrosam secum constituit habere famulum, putans ipsam esse fidelem, prudentem, ac piam fœminam; Dionysius, fidelis amicus Davidis, certo scit, Dafrosam esse libidini, & furtis obnoxiam, ac proinde dissuadet rationibus generalibus, ne hanc conducat famulam; cum autem Davidem a proposito non posset abducere dictis generalioribus, vitia puellæ ei patefacit.*

976. *Q.* An Dionysius committat formalem detractionem? R. Cum *Pontas* V. *detractio* ab init. *Negative*; quia Dionysii manifestatio non potest dici injusta violatio honoris, imo ju-

ſta actio eſt, quia charitate proximo debita nititur, ac præcipue Sacerdoti, cujus fama ad bonum Eccleſiæ, & forte parochianorum maximi eſt momenti, cui tamen labes inureretur talem habendo famulam.

VI. *Davus Aulæ miniſter colloquendo cum Rege frequenter mentionem facit Democriti æmuli ſui, ſemper leve aliquod illius delictum ſubinde verum, ſubinde falſum immiſcet, donec æmulus gratia Regis ex narratis omnino excidat, ſuoque privetur officio.*

977. *Q.* An Davus per frequentatas veniales detractiones peccet mortaliter, teneaturque ad reſtitutionem Democrito faciendam? R. Si intenderit in ſingulis detractionibus levibus graviter nocere Democrito, abſque dubio jam peccavit graviter ex mala voluntate graviter nocendi. Deinde ſi ab initio non intenderit graviter nocere, poſtea tamen id advertat, & pergat leviter detrahere, adhuc graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem famæ, & aliorum damnorum, quorum cauſa fuit per leves detractiones. *Ratio eſt*, quia in materia detractionis peccatum evadit grave per gravem famæ læſionem: ergo. *Confirm.* 1. Si Davus omnes detractiones per ſe leves ſimul proponeret coram Rege, poſſet utique graviter lædere ejus famam; ergo idipſum poteſt per frequentatas leviores detractiones, cum ſingulæ in mente Regis uniantur, & ſimul cauſent gravem jacturam famæ. *Confirm.* 2. a pari cum furtis minutis. *Confirm.* 3. Si quis de viro gravi, & boni nominis dicat, eum eſſe mendacem, ſcurram &c., quæ levia de ſe ſunt reſpectu aliorum; tamen peccat graviter, & tenetur ad reſtitutionem famæ, quia graviter imminuit æſtimationem talis viri, ut fatentur *Laym. Leſſ. Molina*; ergo a pari.

VII. *Donatilla libidinoſe vivit; Donatianus vicinus, cui nota eſt ejus libido, rem omnem narrat Donatillæ avunculo, non animo detrahendi, ſed perverſam corrigendi.*

978. *Q.* An Donatianus committat detractionem? R. *Negative*, ſi ipſi perſuaſum fuit, quod, clam ipſam monendo, per ſe non poſſit emendare libidinoſam injuxta dicta n. 963. *Prob.* ex regulis *S. Baſilii*, qui in reg. brevior. reſponſ. ad interrog. 25. ait: *Duo ergo eſſe exiſtimo tempora, in quibus liceat aliquid mali* (nunquam tamen fictum) *de aliquo dicere, videlicet, & quando neceſſe habet aliquis conſultare una etiam cum aliis, qui ad hoc idonei judicati ſunt, quo pacto corrigendus ſit, qui peccatum commiſit: & item quando neceſſitas poſcit, ut periculo conſulatur aliquorum, qui ſæpe ex ignorantia commiſceri poſſent cum malo tanquam cum bono*, Confirm. ex *D. Th.*, qui 2. 2. q. 73. a. 2. in ⊖ ait: *Et, ſiquidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio.*

VIII.

VIII. *Doda uxor sciens vicinam sibi puellam occulte prolem spuriam peperisse, marito suo vitium manifestat, stricte imperans, ne rem alicui revelet.*

979. *Q.* I. An sit grave peccatum detractionis, grave crimen alterius sine justa causa etiam uni soli manifestando, etiamsi secretum promittat. R. Per se loquendo, *affirmative*. Ita expresse docet *S. Th.* l. c. a. 1. ad 2.: *Si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto, sed in parte. Ratio* est, qui quilibet etiam hanc jacturam famæ apud unum solum virum prudentem magni æstimat. Ita *Laym.* L. 3. de Just. Tr. 3. c. 3. n. 6. cum *Soto*, *Molina*, *Lessio* contra *Cajet.* & *Petr. Navarr.*, quorum fundamentum dicunt esse falsum, scil. quod talis manifestatio uni soli facta leve sit damnum famæ, si nullum aliud damnum ex illa sit timendum.

980. Notandum tamen cum cit. AA., sæpe culpam tunc minui, quando quis solatii vel consilii capiendi causa acceptam ab aliis gravem injuriam amico prudenti & taciturno manifestat, quia ejusmodi injuriam in silentio decoquere, & cum nemine communicare valde difficile videtur, dummodo id pluribus non dicatur; præstat etiam in tali casu non nominare personam, nisi ad consilium vel solatium accipiendum valde expediens sit.

981. *Q.* II. An Doda excusanda sit a peccato, quia imperavit marito silentium? R. *Negative*. Audi *S. Chrysost.* hom. 3. ad Pop. Antioch.: *Hoc*, inquit, *ridiculum magis est, quod talem habentes vitam, & propriam negligentes, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, & adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat; hinc declarantes, quod rem reprehensione dignam commiserint; si enim illum, ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat; in tuto sermonem habebas; postquam vero alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis, & inutilia &c.*

982. *Q.* III. Quomodo restituenda sit fama? R. 1. Qui verum quidem, sed occultum alterius crimen manifestavit, tenetur apud audientes, vel quibus illud prodidit, criminis opinionem, quantum potest, abolere, *sed sine mendacio*, dicendo, v. g. se male dixisse, injuriam alteri fecisse, se erasse, vel antea deceptum fuisse (omnis enim peccans errat, & decipitur vel a dæmone, vel a propria passione): hoc modo permittitur interim, ut alii putent, credantque, crimen non fuisse commissum, nec alius modus restat.

983. R. 2. Si vero quis falsa infamatione alienam famam læserit, debet revocare & retractare sua dicta coram iis; quibus dixit falsum crimen; etiam adjecto; si opus sit; juramento, aut adhibitis testibus, quamvis æquale, aut paulo minus damnum in sua fama pateretur: secus, si damnum notabiliter

majus, v. g. vitæ, foret ei subeundum; si vero infamatum falso in vitæ periculum adduxisset, æquitas postularet, ut etiam cum propriæ vitæ periculo innocentem liberaret, ut ait *Leonard.* cas. 17. n. 99. cum *Lessio*. Adde cum *Laym.* l. c. c. 7. nu. 2.: *Quamdiu potes crimen, de quo alterum injuste diffamasti, in specie retractare, non satisfacis, si omissa hac restitutione, hominem in aliis virtutum generibus commendes*, scil. laudando, honorando, cum nemo velit commutare famam suam in una materia, vel uno genere virtutis pro fama in alio genere; quilibet enim scit, quod infamatus in uno genere vitii, v.g. quod sit libidinosus, injustus &c. non possit vir bonus ab aliis haberi. Si tamen nullus omnino alius modus suppetat tollendi infamiam, teneberis aliam æquivalentem famæ compensationem præstare, scil. laudando, honorando, ejus honorem defendendo &c.

984. *Q. IV.* An detractor, qui nec revocatione, nec alio modo plene potest restituere famam, teneatur ad compensationem pecuniariam pro læsa fama? R. cum *Laym.* l.c. probabilius *negative* saltem ante Judicis sententiam; quia non est restitutio facienda in bonis alterius ordinis, quando in ordine bonorum, in quo facta est injuria, restitutio fieri non potest, propter impossibilitatem æqualitatis requisitam a justitia commutativa: pecunia autem non censetur æquivalere famæ, quæ inter res venales non venit numeranda: ergo. Dixi, *pro fama læsa*; nam alia damna voluntaria ex injusta detractione in bonis fortunæ orta tenetur detractor compensare; quia detractor horum damnorum fuit causa injusta.

IX. *Dympna in cætu quodam aures præbuit detractori famæ Matronæ cujusdam nobilis.*

985. *Q.* An graviter peccaverit? R. Si audiverit absque resistentia, & prona aure, atque libenter, peccavit graviter. Regulam securam pro resolutione casuum similium tradit *S. Th.* 2. 2. q. 73. a. 4. in ⊖; *Si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire, unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio ejus, cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, & quandoque magis ... Si vero non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittas repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus, quam detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit, detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum consequens, vel propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale.* Ib. ad 2. tradit, *Quod non semper aliquis debeat resistere detractori, arguendo eum de falsitate, maxime si quis sciat, verum esse, quod dicitur: sed debet eum verbis redarguere de hoc, quod peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere, quod ei detractio displiceat per tristitiam faciei.* Vide n. 973.

986.

986. X. A restitutione famæ excusatur 1. qui nullo modo potest restituere. 2. Quando quis cedit juri famæ suæ. 3. Quando infamatus sponte remiserit restitutionem, modo ea donatio tacita vel expressa non cedat in damnum proximi vel familiæ. 4. Quando prudenter judicatur diffamationem jam diu esse oblivione deletam; tum enim majus est periculum novæ diffamationis. 5. Si fama aliis modis reparata sit. 6. Si crimen occultum, quod dixisti, alia ratione fiat publicum. 7. Si levis fuerit læsio famæ, levis etiam obligatio restituendi; loco cujus præstat subinde data occasione leviter diffamato per laudem & commendationem satisfacere. Vide plura apud *Bonac.*, *Less.*, *Tamb. Stoz* l. c. n. 205.

„ Quantum ad divisionem, & distinctionem Præceptorum „ Decalogi non una semper fuit inter Catholicos sententia. „ Eschius, semoto præcepto de sanctificatione Sabbati, eo quod „ non esset observandum ad litteram secundum omne tempus „ sic distinguit, ut primum præceptum ponat: *Ego sum Do-* „ *minus Deus tuus*. Secundum, *Non habebis Deos alienos co-* „ *ram me*. Tertium, *Non facies sculptile*. Quartum, *Non as-* „ *sumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Quintum *Honora* „ *Patrem & Matrem*, *&c.* Sextum, *Non occides*. Septimum, „ *Non mœchaberis*. Octavum, *Non furtum facies*. Nonum, „ *Non dices falsum testimonium*. Decimum, *Non concupisces*.

„ Altera sententia fuit Origenis, qui pro primo præcepto po- „ nit, *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deo alienos*. „ Secundum, *Non facies sculptile*. Tertium, *Non assumes no-* „ *men Domini Dei tui in vanum*. Quartum *Memento ut diem* „ *Sabbati sanctifices*. Alia sex ut Eschius.

„ Tertia & communis, sententia est Augustini q. 71. in Exod. „ qui distinguit & disponit præcepta Decalogi eo modo & ordine „ quo in Ecclesia Catholica distinguunt Theologi & Catechistæ. „ Unde ad primum momentum Eschii. R. Quod præceptum de „ Sanctificatione Sabbati inconvenienter positum fuisset inter „ præcepta Decalogi, si nullo modo ad Decalogum pertineret. „ *Ad 2.* R. Quod cum scriptum sit Matth. 6. *Nemo potest duobus* „ *Dominis servire*, ejusdem rationis esse videtur & sub eodem „ præcepto cadere: *Ego sum Dominus Deus tuus*, & *Non habe-* „ *bis Deos alienos*. *Ad tertium ejusdem & secundum Origenis*. R. „ Quod facere sculptile vel similitudinem non sit prohibitum, nisi „ secundum hoc, ut non colantur pro Diis. Nam in tabernaculo „ Deus præcepit fieri imagines Seraphim Exod. 25. Unde pertinet „ ad id præceptum, *Non habebis Deos alienos*, &, *Non facies sculpti-* „ *le*. *Ad Ultimum utriusque*. R. Quod cum cupiditas uxoris alienæ „ pertineat ad concupiscentiam carnis, & cupiditas rerum alie- „ narum ad concupiscentiam oculorum, sicut Deus distinctis „ præceptis harum cupiditatum actiones prohibuit: *Non*

„ *mœchaberis*, *Non furtum facies*: Ita & ipsas cupiditates. De-
„ nique memoriæ causa Præcepta Decalogi & Ecclesiæ versibus
„ sequentibus complectuntur.

„ 1. *Unum crede Deum*: *Ne jures vana per ipsum*:
„ *Sabbata sanctifices*: *Habeas in honore Parentes*:
„ *Non sis occisor*: *Fur*, *Mœchus*, *Testis iniquus*,
„ *Alterius Nuptam*, *nec rem cupias alienam*.

„ 2. *Festa colas*, *præsens Sacro*, *jejunia serves*:
„ *Annua sit saltem scelerum confessio Paschæ*
„ *Tempore*, *quo sumes Christi venerabile corpus*.

CAPUT ULTIMUM.

De Præcepto Jejunii.

DE primo Ecclesiæ præcepto (*Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato*) egimus in præcepto tertio Decalogi: de secundo (*Sacrum Missæ Officium diebus festis reverenter audito*) agemus in P. II., ubi de Sacrificio Missæ: de Confessione annua ibid. scil. de Sacramento Pœnitentiæ; de Communione Paschali, ubi de Euchuristia. Restat hic agendum de tertio Præcepto Ecclesiæ de, quo sit

§. UNICUS.

Principia generalia de Jejunio.

987. *Principium I.* Tertium Præceptum Ecclesiæ 1. obligat graviter omnes fideles a septimo ætatis anno completo, juxta dicta n. 208. ad abstinentiam ab esu carnium diebus Veneris & Sabbati. 2. Obbligat graviter omnes fideles a vigesimo primo ætatis anno completo ad servandum statutis diebus jejunium. De obligatione gravi constat ex propos. 23. ab *Alex. VII.* damn. *Confir.* 2. ex eo, quod hæc lex sit in materia gravi: quia plurimum conducit ad animarum salutem, & vitiorum extirpationem. *Confir.* 2. a communi judicio fidelium & consuetudine. quæ est optima LL. interpres. *Filluc.* t. 27. p. 2. c. 3. Ad jejunium autem Ecclesiasticum requiritur tria: 1. *Abstinentia a carnibus*, & cæteris (ubi legitima consuetudo id non permittit) quæ sementinam originem a carnibus trahunt, qualia sunt caseus, lac, ova &c. 2. *Unica comestio* per 24. unius diei horas: ex indulgentia tamen Ecclesiæ, & legitima consuetudine licet sumere serotinam collatiunculam. 3. *Certum refectionis tempus*, quæ refectio sumitur per modum cœnæ. De tempore ait *S. Th.* 2. 2. q. 147. a. 7. ad 2. *Dicendum*, *quod ad jejunium requiratur hora determinata*, *non secundum subtilem examinationem*, *sed secun-*

secundum grossam æstimationem. Tempus ordinarium solvendi jejunii olim erat hora diei nona, hoc est, tertia post meridiem, in Quadragesima vero exspectabatur usque ad vesperam; hodie communi Ecclesiarum consuetudine anticipatur tempus Canonici Officii, tum cœna circa meridiem, vel hora ante meridiem. Vide *Laym.* L. 4. t. 8. c. 1. n. 9.

988. *Principium II.* Causæ excusantes a jejunio sunt 1. *Superioris dispensatio*. Vide dicta de dispensatione n. 248. & seqq. Quando Episcopus commode adiri non potest, etiam Parochus dispensare potest cum hoc vel alio particulari Parochiano in lege jejunii; imo ubi *consuetudo viget*, etiam præsente Episcopo, ut ait *Sanch.* de matrim. L. 8. D. 9. n. 27. *Reiffenst.* & alii. Item Superiores Religiosorum Ordinum respectu suorum subditorum religiosorum. *Tamb.* t. 6. in 4. præcep. Eccles. L. 11. n. 5., *Babenst.* t. 6. D. 1. n. 11. & alii. Confessarii, Medici, uti & Abbatissæ non possunt dispensare: quia carent jurisdictione spirituali in foro externo; sed tantum pro sua peritia ac prudentia hic & nunc possunt declarare, quod adsit legitima causa non jejunandi. *Tamb.* ibid. n. 8. *Reding.*

Secunda causa est *impotentia* tum *physica*, quando quis simpliciter non potest jejunare: tum *moralis*, quando quis non potest sine magno incommodo, v. g. sine periculo gravis infirmitatis, aut notabili diminutione virium jejunare. Dixi, *sine magno incommodo*: sola enim mortificatio & difficultas non excusat a lege, imo hic intenditur. NB. Si impotentia sit certa, etiamsi ex culpa contracta, per se excusat; si vero sit dubia, petenda est dispensatio. Ita diserte *S. Th.* 2. 2. q. 147. a. 4. in in ⊖. Ex hac ratione excusantur infirmi, convalescentes ex gravi morbo, dum notabilem virium defectum adhuc patiuntur, item prægnantes, lactantes, & pauperes. *Duarte V. jejunium* n. 324. De pauperibus *S. Th.* 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4. dicit, *Quod pauperes, qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejuniis Ecclesiæ, a quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat.*

989. *Tertia causa* est, *labor*, vel *officium*, cum quo labor non potest conjungi, qualis est agricolarum, item illorum opificum, quorum labor sine notabili defatigatione corporis exerceri non potest, ut fabrorum, pistorum, fullonum, cæmentariorum, coriariorum, textorum, versantium prælum typographycum, non tamen typos componentium, nec sartorum, pictorum & aliorum, quorum labor exiguus est, nec excusantur sutores, si non suant; sed tantum scindant corium, & præparent materiam, ut ait *Sanchez*. Quod autem non omnes corporaliter laborantes excusentur ab obligatione jejunii, patet ex propo-

sitione 30. ab *Alex. VII.* damnata: *Ratio* est: quia ille tantum labor hic excusat, pro quo exantlando vires unica refectione restauratæ non sufficiunt; atqui non omnium opificum talis labor est: ergo. *Neque dicas*, quod ex declaratione *Eugenii IV.* benignior interpretatio sit facienda: nam Bulla *Eugenii* expresse dicit, teste *Sylvest.* & *Viva*, quod *Artifices laboriosa opera exercentes* & *Rustici* non teneantur jejunare. *Quid? si opifices alias excusati a jejunio, uno vel altero die vacent a labore?* R. cum *Diana* p. 1. t. 9. respons. 9., *Sanch.* & aliis, adhuc excusantur, quia, ne deficiant illis vires, legitime possunt vel eas servare ad sequentia opera, vel reficere pro antecedentibus. Dixi, *uno vel altero die*: quia, si per plures dies abstinerent a gravioribus laboribus, absque dubio tenerentur jejunare. Non excusantur, qui iter unius diei equitando conficiunt, utcunque iter agant, sive necessarium sit, sive non sit, ut patet ex propositione 31. ab *Alex. VII.* damnata. *Ratio* est; quia sine magno incommodo potest servari jejunium, si iter paucorum dierum agatur curru aut equo cominodo. Secus est, qui iter arduum conficiunt, in quo omnes communiter defatigantur, ut est iter pedestre majoris partis unius diei, vel equestre plurium dierum.

990. *Quarta causa* est *pietas*, vel *majus bonum*: unde excusantur ii, qui opera charitatis & misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia exercent etiam ob mercedem, quando cum jejunio ea non possunt peragere. De his *Viva* in propos. cit., ubi præsertim de Concionatoribus favorabiliter loquitur.

991. Casus de jejunio vide num. 51. 45. 48. 207. 216. 223. 242. 244. 262. 263. Præterea resolves sequentia:

Dunstanus se accusat: 1. *In die jejunii sæpius modicum quid comedi, & sub vesperum adhuc notabilem quantitatem.* 2. *Aliquoties comedi die jejunii mane bucellam carnis, postea, quia jam violaveram legem jejunii, carnem adhuc eadem die sæpius comedi.* 3. *Sæpius etiam die jejunii comedi lardum, farcimina, & olera pinguedine anserina cocta.*

992. *Q.* I. An violaverit Dunstanus jejunium quoad primum? R. *Affirmative.* Patet ex propositione vigesimanona ab *Alex. VII.* damnata: *Ratio* est; quia modicæ illæ quantitates cibi in ordine ad costituendam secundam refectionem eundem habent effectum, si sumantur per intervalla, quem haberent, si sumerentur simul. Porro juxta *Comm.* quantitas in collatione vespertina statuitur quarta pars ordinarie refectionis. NB. non lauti convivii. Juxta *Stoz* n. 524. permittuntur 8. unciæ, sive media libra.

993. *Q.* I. An toties Dunstanus peccaverit graviter, quoties in die jejunii comedit carnes? R. 1. Semel buccelam carnis comedendo non peccavit graviter; aliud foret, si notabite frustum carnis uno morsu deglutiisset. Eodem modo excusatur coquus, qui parum carnis ad quantitatem nucis avellanæ, vel, ut ait

Reif-

Reiffenſt. unius unciæ prægustaret. R. 2. Toties peccavit graviter, quoties eadem die jejunii comedit carnes. *Ratio utriusque* est, quia hoc præceptum, licet admittat parvitatem materiæ, quoad hanc partem est negativum. Secus est de eo, qui per binam justam refectionem jam violavit jejunium, hic non peccat graviter sumendo tertiam, quia sumpta altera refectione impossibile est amplius servare jejunium: ergo abstinentia a tertia vel quarta refectione non cadit sub præceptum jejunii: *Antec. prob.* ex eo, quod substantia jejunii importet abstinentiam a secunda refectione. *Laym.* l. 4. t. 8. C. 1. n. 12. & 13.

994. *Q.* III. An & quomodo Dunstanus peccaverit quoad tertium? R. Comedendo farcimina peccavit graviter, quia hæc sunt formaliter caro concisa, vel melior sanguis animalium, quorum caro certo prohibita est. Probabilius etiam prohibitus est usus lardi, adipis, pinguedinis anserinæ &c. quia consuetudo, quæ post damnatam prop. 32. ab *Alex. VII.* adhuc licitum facit in quibusdam regionibus usum ovorum & lacticiniorum, non permittit propterea usum lardi &c. Adde, quod ex contraria sententia ingens fiat periculum, ne ejusmodi licentia etiam extendatur ad intestina animalium, farcimina, jusculum ex carnibus, quod cederet in præjudicium jejunii Ecclesiastici. Ita *Laym.* l. c. *Babenst.* l. c. n. 5. contra *Sylv. Fagund.* & recentius contra *Burgh.* Cent. 3. c. 13. Quorum probabilitas speculativa in eo juvat prudentem Confessarium, ut pauperibus, ob aliquam necessitatem ejusmodi adipis, vel pinguedinis usum permittat. Ita prius cit. AA.

Adverte. Si quis voviſſet jejunium singulis diebus Veneris, etiam festo Nativitatis Christi, teneretur jejunare, si hoc incideret in diem Veneris, nisi vovens expresse excepisset hoc festum. Prob. ex c. *explicari*, ubi Honorius III. ait: *Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem abstinere volunt.* Unde etiam resolvendum, quod sexagenarius viribus adhuc gaudens ad jejunium vegetis, si votum jejunii emiserit pro certis diebus, teneatur jejunare, quamdiu pollet viribus, sicut qui ante vigesimum primum ætatis annum tale votum emisit. Vide *Laym.* contra *Sanch.*

995. *Q.* IV. An Dispensationem habens circa esum carnium hoc ipso sit liber a duplici refectione? Affirmant *Tamb. Reiffenst. Schmalzgr. Sporer & alii*, eoquod abstinentia a carnibus sit de substantia jejunii; ergo sublata abstinentia tota lex jejunii solvitur. Contra hos R. *Negative* cum *Navar. Cajet. Lessio* & aliis; quamvis abstinentia a carnibus & secunda refectione eodem præcepto jejunii æque præcipiantur, sunt tamen materiæ divisibiles, ut patet ex praxi dispensationum, vi quarum

rum sæpius conceditur esus carnium, remanente obligatione abstinendi a bina refectione. Item juvenes, qui nondum compleverunt tertium ætatis septennium, uti & senes excusantur a lege jejunii quoad unicam refectionem, & tamen obligantur ad abstinentiam ab esu carnium: ergo.

996. Quæ sententia negativa hodie certior est ex novis Constitutionibus Ss. D. N. BENEDICTI XIV. in prima ab An. 1741. 30. Maji, quæ incipit: *Non ambigimus*, providetur abusibus contra jejunii quadragesimalis observantiam invectis. Initio Ss. Dominus agit de origine, utilitate & scopo dicti jejunii. §. 1. conqueritur de pravis consuetudinibus inter fideles inductis, præsertim *de nimia, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facultate*. §. 2. excitat Episcopos ad eas evellendas. §. 3. statuit, ut dispensatio nemini concedatur sine legitima causa; nec toti populo, civitati, aut genti indiscriminatim integræ sine gravissima & urgente necessitate. §. 4. ita habet: *Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est, cur vobis explicemus: Nolumus tamen vos ignorare, cum hujusmodi necessitate, & servandam esse potissimum unicam comestionem ... & licitas atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse*. §. 5. Pontifex hac super re onerat conscientias Episcoporum, jubetque moneri dispensatos, ut alia pia opera jejunii loco substituant. Vide Tom. I. ejusd. Bull. pag. 48.

997. Eodem Anno 1741. 22. Augusti idem Ss. D. N. per Literas Apostolicas, quarum initium est: *In suprema Universalis Ecclesiæ*, ita declarat §. 2. *Nos quibuscumque, quacumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensavi contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, & licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore præsentium declaramus & interdicimus*. Vide Tom. I. ejusdem Bullarii p. 65. Idem Ss. D. N. in declaratione harum Constitutionum ad Archi-Episc. Valentiæ An. 1742. 12. Maji datæ (quæ incipit: *Cognovimus*, in Tom. I. ejusd. Bull. pag. 164.) ita habet: *Præcipimus autem Episcopis, eorumque delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi, sub gravi, imperata simul unicæ comestionis norma. Ita universale istud præceptum pro tua spectatissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto*.

Aliam declarationem ejusdem Ss. D. N. ad Archi-Episc. Compostellæ datam Anno 1744. 8. Julii, quæ incipit: *Si Fraternitas tua*, vide in Tom. I. ejusdem Bull. pag. 357.

Anno

Anno 1745. die 10. Junii idem Ss. D. N. BENEDICTUS XIV. denuo universalem edidit Constitutionem de jejunii disciplina conservanda, vel redintegranda, de Dispensationibus generalibus pro oppidis aut diœcesibus integris, nonnisi certa ratione, & justa de causa petendis & concedendis, quæ incipit: *Libentissime quidem*, & habetur in T. I. ejusd. Bull. pag. 523. ubi §. 16. causas pro concedendis dispensationibus personalibus assignat regulam Patrum octavi Concilii Toletani Can. 9., qui ita habet: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum erit reus resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta Communione . . . Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a Sacerdote permissum accipiant.* §. 17. subjungit: *Nemo est, qui non intelligat hujusmodi causas satis esse, ut aliqui a jejunii legibus & abstinentia immunes existimentur; non autem ut populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat.* §. 18. 19. & 20. declarat, nec caritatem ciborum quadragesimalium, nec militum stationem, nec peculiares morbos causas sufficientes esse pro dispensatione generali. §. 21. & 23. ait causas legitimas esse 1. defectum piscium, olei &c. 2. Morbum epidemicum, ita ut nulla ætas ex judicio Medicorum libera & incolumis esse queat: & illis ipsis, qui inter cives salvi & integri numerantur, eadem pernicies immineat.

998. *Q.* V. An is excusetur a jejunio, qui se ultro defatigat ludo pilæ, venatione, hastiludio &c. eo die, quo urget præceptum jejunii præcise, ut a jejunio deobligetur? *R.* *Negative.* *Ratio* est, quia media sunt ad finem obtinendum necessaria, & sicut lex obligat ad media ad opus præceptum necessaria, sic prohibet apponere impedimenta cum adimpletione incompatibilia: Ergo Ecclesia, dum præcipit jejunium, simul prohibet, ne libere ejusmodi ponantur. Ita *Laym. Sanch. Palao*, *Viva* in propos. 31. ab *Alex. VII.* damn.

Neque dicas 1. cum *Leand. Joan. Henriq.* & aliis: talis habet jus ad venandum, ludendum &c. Respondet *Viva*, hoc ipso, quod præcipiatur hoc jejunium, cessat jus ad has actiones, ut sunt actiones impeditivæ jejunii actu obligantis; sicut ex ipso, quod die festo præcipiatur auditio Sacri, cessat jus seu libera facultas manendi illo die domi, cum tenearis adire templum ad Sacrum audiendum. Vide dicta n. 257. & 213.

Nec dicas 2. Licet juxta multos die festo locali e proprio territorio ire in alienum ad exercenda ibi opera servilia: ergo a pari. *R.* *N. Cons.* Quia in primo casu tantum intenditur fuga licita a loco, ubi præceptum urget, ad locum, ubi non urget: in secundo ludens vel venator intendit non jejunare ibi, ubi & quando præceptum jejunii urget, quod non est obligatio-

gationem fugere, sed violare. Vide dicta n. 213. 257. & seq.

999. *Q.* VI. Quantum cibi liceat sumere in collatiuncula consueta? R. *Laym.* L. 4. tr. 8. c. 1. n. 9. *Id universim dici potest, oportere esse modicam, ne cœnula in cœnam transeat: speciatim vero attendenda est tum regionum, tum personarum diversitas & qualitas. Nam regionum aliæ aliis frigidiores sunt; inter personas vero aliæ aliis majore cibo, seu propter labores, seu propter corporis constitutionem indigent.* Postea ait, non esse improbabilem regulam *Reginaldi*, scil. *tunc excessum fieri cœnulæ, quando id, quod sumitur, notabiliter majus est quarta parte ejus quantitatis, quæ ad integram cœnam sufficeret.* Ex qua regula deducitur, quod is, qui indiget pro justa refectione duabus libris, licite possit sumere mediam libram, ut diximus n. 992.

1000. *Q.* VII. Quid circa potum die jejunii sit observandum? R. Teste *S. Aug.* serm. 64. de temp. *S. Basil.* hom. 1. de jejun. *Tertul.* de jejun. c. 6. Christiani primis Ecclesiæ temporibus diebus jejunii, præsertim quadragesimalis a vino abstinuerunt; hodie tamen ex recepta consuetudine usus potus cujuscunque, proprie dicti, quacumque diei hora diebus jejunii est licitus, si moderate & sine excessu temperantiæ sumatur. Rationem dat *S. Th.* l. c. a. 6. ad 2. *Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat; Et ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si autem quis immoderate potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat.* Hoc supposito (ait *Leonard.* Cas. 65. n. 446.) AA. passim concedunt, licitum esse, dum quis bibit extra tempus cœnæ, pauxillum panis sumere, ne haustus noceat, sic enim potius habet rationem medicinæ, quam cibi; intellige tamen cum limitatione, *nisi id sæpius repetatur*: quia multa modica alias in effectu nutritionis coalescerent in unam quantitatem gravem, sufficientem ad peccatum mortale contra legem jejunii; ut patet ex propos. 29. ab *Alex. VII.* damnata.

Potus Thee, & Caffee non videtur violare jejunium, cum vere habeant tantum rationem potus proprie dicti, & parum vel nihil nutritivi in se contineant, imo certe minus, quam potus cerevisiæ, nisi potui Caffee notabilior quantitas lactis admisceatur. Idem de potu Cioccolata censet *Illsung*, contra *Palao* & *Tamb.* ex judicio *Greg. XIII.*, *Pii V.* & *Pauli V.* Excipe, nisi Cioccolata instar densæ pultis cocta in magna quantitate sumatur. *Confirm.* ex paritate cum electuariis, de quibus *S. Th.* l. c. a. 6. ad 3. ita docet: *Dicendum, quod electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.*

1001. *Q.*

1001. Q. VIII. Quænam senectus excusetur a jejunio? R. Quod senectus excusetur a jejunio, satis ex eo patet, quod vere senes ob virium imbecillitatem, humorisque ac caloris defectum frequentiore cibo indigeant. Quodnam vero tempus ætatis determinate excuset *a* jejunio, certo non constat: talis enim virium infirmitas & corporis mutatio non omnibus circa idem tempus ætatis contingit: ideo neque universali consuetudine, nec communi DD. consensu certa ætas senibus definita est, sicuti adolescentibus tertium septennium. Nam *Sanch. Angles*, *Sporer*, *Marchant.* sexagesimum, *Sylvest.* autem, *Fabr. Azor.* septuagesimum annum ætatis senibus assignant, in qua a jejunii obligatione ordinarie eximi debeant. Hinc præplacet regula *Laymanni*, qui l. 4. t. 8. c. 3. ait: *Licet senectus plerumque accidat anno ætatis sexagesimo, ideoque a jejunii lege eximat, quod proinde in dubio etiam præsumi debet; tamen, sicut si constet, aliquem vere senuisse, ac viribus defecisse circa annum ætatis quinquagesimum, a jejunii lege liber censeri debet; ita & vice versa, si certum sit, aliquem sexagenarium, aut septuagenarium adhuc integris corporis viribus pollere; talis obligatus esse videtur, cum revera senex, sive viribus propter ætatem deficiens non sit.* n. seq. tamen favorabiliter addit: Interim non nego, sexagenarium habere pro se præsumptionem senectutis, ut in dubio de virium sufficientia, jejunii lege, quatenus præcipit unam refectionem, se liberum censere possit.

„ *Dices:* 1. Multi *Adolescentes* ante 21. annum, & *Senes* post 60.
„ completum sunt satis validi ad jejunandum: ergo tenentur, qui
„ possunt. 2. *Fœminæ* ante annum 60. eximuntur a jejunio; quia
„ sicut citius pubescunt, quam viri, ita & citius senescunt, imo ob
„ debiliorem naturam anno quinquagesimo jam eximendæ sunt. 3.
„ Si *operarius* alias exemptus uno die in quadragesima non laboret,
„ tenebitur illo die ad jejunium. 4. Licet *alio abire* in jejunio
„ locali, in locum, in quo non est jejunium: ergo etiam in lo-
„ co jejunii iter suscipere præcise ad se eximendum a jejunio.
„ R. *Ad* 1. N. C. quia hæc lex attendit, quid ut plurimum
„ fiat, sicut in anno professionis Religiosæ: deinde annum 60.
„ *teste Marchantio*, & *Sporer* determinavit pro termino Pius
„ V. vivæ vocis oraculo. *Ad* 2. N. a. quia minori etiam ali-
„ mento indigent, & facilius ferunt jejunium; aliud esset, si
„ propter proles plures &c. sint debiliores. *Ad* 3. Si prius la-
„ boravit operose, & statim postea laboret denuo, dies inter-
„ calaris est reparatio virium, aliter si sæpius aut diutius a la-
„ bore cesset. *Ad* 4. C. A. N. C. Ibi evitatur, hic eluditur lex
„ in fraudem. *Evitare* enim legem est adire locum, in quo lex
„ non obligat in actu primo proximo; *Eludere* legem est, se
„ studiose sine justa causa impotentem facere ad observan-
„ dam legem in loco, in quo lex obligat in actu primo proximo.
„ Sicut si quis pilæ lusu se defatigaret vehementer solum ideo,

„ ut

„ ut sic noctu posset plenam refectionem sumere, peccaret;
„ uti etiam is qui studiose ideo discedit ad matrimonium clan-
„ destine contrahendum; aut ad absolutionem a reservatione
„ obtinendam; quia in his datur specialis inhibitio.

Mantissa de Virtutitus Moralibus.

§. I.

De Virtutibus Mortalibus in genere.

„ *Virtus Moralis ad officium hominis ex lege naturæ exercen-*
„ *dum pertinet, estque habitus agendi honeste, qui studio & exer-*
„ *citatione comparatur. Dividitur ratione ordinis & modi in vir-*
„ *tutes principales seu Cardinales, & subordinatas seu annexas;*
„ *in eas, quæ sunt circa passiones in ordinem ad ipsum operantem,*
„ *& quæ sunt circa actiones ad alterum ab operante distinctum.*
„ 1. *Virtus* in genere dicitur habitus inclinans ac perficiens
„ potentiam rationalem ad suum finem & opus proprium. S.
„ Thom. 1. 2. Q. 55. *art.* 4. Dividitur varie: *ratione subjecti*
„ *in Intellectualem & moralem*. Illa est habitus intellectum
„ inclinans ad verum perfecte cognoscendum; altera est habi-
„ tudo inclinans voluntatem ad bonum honeste amandum. Sua-
„ rez *Disp.* 3. *Tract.* 4. *Sect.* 2. & 3. *de virtut. Ratione prin-*
„ *cipii* virtus dividitur in *acquisitam & infusam*, *naturalem &*
„ *supernaturalem*: *ratione objecti in Theologicam & Moralem*.
„ Theologica a Morali distinguitur per ordinem ad objectum
„ formale & immediatum. Illud enim virtutis moralis est ipsa
„ honestas actionis creaturæ rationalis: Theologicæ vero vir-
„ tutis objectum formale est quædam perfectio Divina, quam
„ peculiari ratione respicit. Sic *Fides* respicit veritatem pri-
„ mam revelantem, seu auctoritatem Dei revelantis: *Spes*
„ Bonitatem Dei respectivam, quatenus Deus nobis bonus
„ est, item Dei potentiam, promissionem & fidelitatem:
„ *Charitas* respicit quamlibet perfectionem Divinam infinite
„ amabilem per se, propter quam Deus amatur, & illa ut
„ Deo bona.
„ 2. *Virtus moralis* dividitur in quatuor Principales seu Vir-
„ tutes Cardinales, *Prudentiam*, *Justitiam*, *Fortitudinem*, &
„ *Temperantiam*: his enim tota mortalis vita nititur & vol-
„ vitur, sicut ostium in cardinibus. Actionem ad rectam ratio-
„ nem in se ipsa dirigit *Prudentia*: actiones ad alterum mode-
„ ratur *Justitia*, passiones prosecutivas *Temperantia*, & *Forti-*
„ *tudo*, aversativas regit. *Ex his tota bona hominis structura con-*
„ *surgit*. *S. Greg.* 2. *Moral. c.* 8. His quatuor Cardinalibus al iæ
„ virtutes sunt *subordinatæ vel annexæ*, quæ tum circa actio-
„ nes, tum circa passiones refrænandas, partim in ordine ad
„ ipsum operantem, partim in ordine ad alterum ab operante di-
„ stinctum versantur.

„ 3. *Cir-*

„ 3. *Circa actiones* sunt hæ virtutes: 1. *Justitia* reddit cui-
„ que suum. 2. *Religio* cultum Deo debitum reddit. 3. *Pie-*
„ *tas* patriæ ac patentibus debita officia rependit. 4. *Veritas*
„ seu veracitas in verbis. 5. *Fidelitas* in promissis. 6. *Grati-*
„ *tudo* compensat beneficium. 7. *Vindicatio* moderate ulciscí-
„ tur injuriam & culpam. 8. *Liberalitas* pecunias in aliorum
„ utilitatem largitur. 9. *Magnificentia* versatur in magnis sum-
„ ptibus ad aliorum utilitatem. 10. *Amicitia* amico officia ex-
„ hibet.

„ *Circa Passiones*, 1. *Temperantia* moderatur voluptates ap-
„ petitus concupiscibilis, præsertim circa tactum & gustum.
„ 2. *Liberalitas* ejusdem delectationes circa pecunias. 3. *Philo-*
„ *timia* seu *studium gloriæ* veræ circa honores; 4. & *Magnifi-*
„ *centia* circa magnos sumptus spem & despensationem mode-
„ ratur. 6. *Veracitas* se alteri manifestat in verbis factisve de-
„ centibus, quatenus hoc est in ipso operante delectabili. 7.
„ *Amicitia*, per quam exhibet se operans alteri jucundum in
„ rebus seriis. 8. *Eutrapelia*, per quam exhibet se jucundum in
„ temperatis jocis & ludis. 9. *Fortitudo* moderatur fiduciam
„ & timorem. 10. *Mansuetudo* regit iram. 11. *Humilitas* ap-
„ petitum propriæ excellentiæ refrenat &c.

„ 5. Plures aliæ sunt divisiones virtutis moralis, inter quas
„ alia *virtus communis*, alia *heroica* dicitur ex Aristotele *L.* 1.
„ *Ethic. cap.* 1. *Communis* versatur circa actiones laudabiles,
„ sed minus difficiles, quæ non excedunt modum communem
„ operandi humanum. *Heroica* sive ob excellentiam operis, si-
„ ve ob circumstantiam erumpit in actum difficillimum, qui
„ superat modum communem operandi humanum.

„ 6. Tria sunt, quæ virtuti opponuntur, *Peccatum scilicet*,
„ *Malitia & vitium: Peccatum* ut actus, *Malitia*, ut forma-
„ le consequens. *Vitium*, ut habitus; Virtutis actui, bonitati
„ ac habitui contrariantur. *Vitium*, quod est habitus seu ani-
„ mi habitudo inclinans ad actus moraliter malos vel inhone-
„ stos; Est vel per *excessum*, vel per *defectum*; virtus autem
„ in medio seu recta mediocritate & rationis ordine versatur.
„ *Vitium* per excessum est, quod materiam virtutis, ejusque
„ officium extendit ultra mediocritatem illius virtutis, sive
„ dein mutetur materia seu objectum virtutis secundum sub-
„ stantiam, sive duntaxat secundum quantitatem. Sic non so-
„ lum vitium intemperantiæ est per excessum in eo, qui in
„ copia immodica comedit, sed etiam qui comedit res veritas
„ simpliciter, vel res pretiosiores, quam par sit, ut cum Cleo-
„ patra pretiosum unionem deglutiit. *Per defectum est vitium*,
„ quando non solum virtutis actus ex toto vel ex parte omit-
„ titur, sed etiam exercetur actus virtutis officio plane oppo-
„ situs. Ita ignarus per defectum peccat contra fortitudinem,

„ dum

„ dum omittit actum fortitudinis, qui est; velle subite periculum honeste, cum decet, aut dum elicit actum ei prorsus contrarium, qui est velle fugere, cum dedecet. Vitiis recensendis nihil est, cur immoremur. Nam *Vitia etiam sine Magistro discuntur. S. Aug. L. 6. de Civ. Dei c. 3.*

§. II.

De Prudentia.

„ *Prudentia est virtus specialis practica, morumque directrix. Perficit intellectum judiciis moraliter practice certis, & voluntatem in vero bono eligendo, maloque fugiendo dirigit. Hujus varia sunt munera, partes, & vitia oppositâ.*

„ 1. *Prudentia* rerum expetendarum & fugiendarum scientia dicitur: tota ad actionem refertur; circa universalia versatur cognoscendo sub ratione veri boni eligendi & mali fugiendi, circa singularia & cognoscendo & agendo. Hinc virtus moralis practica & magistra virtutum appellatur, quæ non solum intellectum in dijudicando vero bono ac malo, sed & voluntatem in eligendis & exequendis mediis ad finem quemque honestum, præsertim ultimum conducentibus dirigit, ipsas Virtutes morales regit ac moderatur. S. Thom. 2. Q. 47. Art. 6.

„ 2. *Munera, actusque proprii* Prudentiæ sunt: 1. Εὐβουλία *seu recta consultatio*, qua prudens animus de rebus agendis deliberat, & de mediis congruentibus ac honestis ad propositum finem obtinendum consultat, ne quid temere vel inconsulto aggrediatur, sed rectæ rationis lumine in actionibus eligendis aut omittendis dirigatur. 2. Σύνεσις seu *sagacitas* est, qua mens, ubi recte deliberavit & singula discussit, rite intelligit, judicat, & statuit de rebus humanis secundum legem, æquitatem, & rectæ rationis principia, quid in his temporis, loci, personæ, rerumque circumstantiis sit eligendum, aut omittendum. 3. Γνώμη seu *Sententia* vel *Imperium* est, qua imperatur singularis actio vel omittenda, vel exercenda per interiores & exteriores hominis potentias seu vires, aliasque quascunque virtutes, mediique idonei executio ad finem obtinendum præcipitur. Ubi itaque hæc moderatrix secundum tria munera ad clavum sedet, felix erit totius vitæ humanæ cursus.

„ *Partes integrantes* sive Prudentiæ subservientes ad actus perfectos eliciendos a Doctore Angelico 2. 2. q. 48. *art. un.* enumerantur octo: *Memoria* ad prudentiam confert, qua memores sumus multiplici experientia rerum præteritarum & circumstantiarum, easque cum præsentibus comparamus. *Viri*

„ *enim*

„ *enim prudentis est, præteritorum meminisse, præsentia agere,* „ *& futura cavere.* Senec. *de Consolatione ad Marc. c. 9...* 2. „ *Intelligentia* ex cognitionibus principiorum honestatis juvat, „ ut præsens negotium, omniaque, quæ illud circumstant, exa„ cte perspiciamus. Ea enim in Syllogismis a prudentia factis „ penetrat assumptum, minoremque propositionem singularem „ recte inspicit, quæ conclusionem parit. 3. *Docilitas* est prom„ ptitudo ad aliorum monita & consilia audienda ex intentio„ ne bene agendi. 4. *Solertia* est facilitas excogitandi media „ ad finem promptum debite exequendum. 5. *Ratiocinatio* est „ facilitas ex principiis notioribus deducere ignotiora agibilia. „ 6. *Providentia* est, qua diligenter & perspicaciter futura præ„ videmus, mediaque ad finem ordinamus. 7. *Circumspectio* „ est exacta consideratio circumstantiarum & mediorum ad ob„ tinendum finem. 8. *Cautio* est cura & diligens animi attentio „ ad pericula, incommoda & impedimenta proposîti operis e„ vitanda.

„ 4. Prudentiæ *vitium* opponitur generatim *imprudentia*: „ *Per excessum* vero adversantur hæc: *Prudentia carnis* excogi„ tans media ad opera carnis implenda ex pravo voluntatis af„ fectu; *Astutia vel calliditas* excogitans media in speciem ho„ nesta & fucatam quandam honestatem præ se ferentia; *Do„ lus* verbis, *fraus* factis media per astutiam inventa exequitur; „ *Anxietas* est nimia solicitudo præsentium & futurorum. *Per „ defectum* opponuntur *Præcipitatio*, *Inconsideratio*, *Inconstantia „ & Negligentia*. S. Thom. 1. 2. Q. 53. Art. 3. Hinc cele„ bre illud Biantis consilium; *Aggredere tarde agenda, sed „ aggressus age constanter*. *Laert.* 1. *Leg.* 87.

„ 5. Denique Prudentia varias appellationes sortitur, qua„ tenus ad varia statusque diversos refertur. Alia dicitur *Mo„ nastica seu Henotica*, quæ unius; alia *Polyarchica*, quæ plu„ rium res agendas curat. Hæc rursus vocatur *Œconomica*, „ qua societatis familiaris, & *Politica*, qua societatis po„ liticæ, vel Reipublicæ & Civitatis actiones diriguntur. „ Hæc denuo dicitur *Prudentia Legislatrix & Judicialis*, „ *Architectonica* pacis & belli, ac *Militaris*, quæ circa „ actiones in pace, bello, judicio & curia suscipiendas ver„ satur.

„ 6. *Media* prudentiam sibi comparandi sunt plura: Usus „ & experientia, juxta tritum illud: *Usus me genuit, mater „ peperit memoria*. Familiaritas cum summis viris moderatis „ ac probis; diligens consideratio eorum, quæ gesta sunt, aut „ geruntur; perfecta illius affectus cognitio, qui in altero do„ minatur & quocum tractandum est negotium; ipsæ demum „ variæ scientiæ. *Prudentiæ compendium in litteris continetur*: „ Cassiodor. L. 8. Epist. 67.

§. III.

De Juſtitia.

„ *Juſtitia eſt habitus inclinans & firmans voluntatem ad jus* „ *ſuum cuique tribuendum. Hujus varia eſt diviſio, eique plu-* „ *res virtutes ſunt annexæ, varia quoque vitia oppoſita.*

„ 1. *Juſtitia* generaliſſime ſumpta eſt collectio omnium vir- „ tutum reddens voluntatem perfecte conformem ſuæ normæ, „ ſeu Legi Divinæ. Quatenus autem virtus ſingularis, mora- „ lis & cardinalis eſt, habitus dicitur inclinans voluntatem ad „ jus ſuum cuique tribuendum. S. Thom. 2. 2. Q. 79. Art. „ 1. Unde *actus ejus proprius* eſt, jus ſuum cuique tribuere, „ id eſt, ponere æqualitatem inter obligationem unius & jus „ alterius. *Objectum illius materiales* ſunt actiones, quibus „ æqualitas cum jure alterius ponitur. *Objectum autem for-* „ *male* eſt ipſa honeſtas æqualitatis cum alterius jure. Hujuſ- „ modi actio æqualis juri alieno vocari ſolet jus, juſtum, „ æquum & bonum. *Munera* Juſtitiæ ſunt duo: jus ſuum al- „ teri reddere, & neminem lædere.

„ 2. *Juſtitiæ diviſio* ex ordinatione unius ad alterum diſcer- „ nitur, prout varie honeſtatis æqualitas inter hominem unum „ & alium reſpici ſolet. Hinc alia eſt *Juſtitia univerſalis ſeu* „ *legalis*, quæ partes communitatis aut totius Reipublicæ or- „ dinat ad tribuendum jus ſuum communitati, qua tali, pro- „ curando bonum pluribus commune. Hæc directrix eſt in „ Capite, æquas leges condendo; executrix vero in ſubditis, „ leges conditas obſervando. Alia eſt *Juſtitia particularis*, qua „ vel communitas, vel perſona particularis ordinatur ad tri- „ buendum jus ſuum alteri parti vel perſonæ particulari, ſeu „ æquale, quod alteri debetur. Hæc rurſus in *commutativam* „ *& diſtributivam* dividi ſolet ſecundum diverſas æqualitates „ unius cum jure alterius, quas ut formale objectum eæ re- „ ſpiciunt, & quæ a Grotio *Lib.* 1. *c.* 1. *de Jur. Bell. & Pac.* „ *Juſtitia expletrix atque attributrix* minus accurate appellatur. „ *Commutativa Juſtitia* in commutationibus & pactis omnem, „ quantum fieri poteſt, ſervat æqualitatem rei cum re ſecun- „ dum proportionem, ut ajunt, arithmeticam, non atten- „ dendo dignitatem & conditionem perſonæ. Comparat enim „ illa quantitatem cum quantitate, mediumque inter plus „ & minus in ipſa re, perfectamque æqualitatem in con- „ ſervatione & reparatione alterius juris attendit. Sic cum „ debes alteri florenos decem, & totidem reſtituis, ponis „ arithmeticam æqualitatem. *Diſtributiva Juſtitia* æquali-

„ tatem

„ tatem ſervat inter perſonas communitatis, pro cujuſque me-
„ rito circa bona & onera, & præmia & pœnas. Hæc aut *re-*
„ *munerativa* eſt, dum bona, honores, aliaque id genus bene-
„ ficia pro cujuſque dignitate & meritis diſtribuit: aut *vindi-*
„ *cativa ſeu punitiva* conſtituens æqualitatem inter perſonas &
„ offenſam. Utraque ponit æqualitatem rerum ad perſonas ſe-
„ cundum proportionem Geometricam, remque comparat cum
„ qualitate, ſeu conditione, dignitate & merito perſonæ: nem-
„ pe ſicut una perſona excedit aliam, ita etiam res, quæ da-
„ tur uni perſonæ, excedat, oportet, rem, quæ datur alteri.
„ Sic ubi pecuniæ vim in victoriæ præmium Princeps deſtinat
„ exercitui, liberalior in Duces, parciòr in milites diſtribui-
„ tur copia, pro cujuſcunque gradu & conditione. S. Th. 2.
„ 2. Q. 61. Art. 1.

„ 3. Juſtitiæ annectuntur *virtutes*, quæ eam aliquatenus imi-
„ tantur, & aliquam ejus partem ſaltem participant, relatæ
„ ſunt ad alterum, & debitum aliquod reſpiciunt, quod vel
„ eſt ſtrictum, & non perfectè poteſt adæquari: talis virtus eſt
„ Religio erga Deum, & pietas in parentes: vel debitum il-
„ lud non eſt ſtrictum nec obligans ad reſtitutionem: Cujuſ-
„ modi virtus eſt gratitudo & amicitia. Decem vero numera-
„ ri ſolent virtutes Juſtitiæ annexæ: *Religio*, *pietas*, *obſervan-*
„ *tia*, *obedientia*, *veracitas*, *vindicatio*, *gratitudo*, *liberalitas*,
„ *amicitia*, & *urbanitas*.

„ *Religio* juxta Lactantium C. 4. *de Divin. Inſtit. c.* 28. a
„ religando dicta, quod Deus nos alliget; eſt virtus moralis,
„ quæ Deo ut ſupremo Domino & primo principio rerum o-
„ mnium debitum cultum exhibet. Hujus *Objectum materiale*
„ eſt cultus Deo debitus, quo ſupremam Dei excellentiam vo-
„ luntaria ſubmiſſione noſtra conteſtamur: *Objectum formale*
„ *proximum*, propter quod Religio Deum colit, eſt ſpecialis
„ honeſtas cultus, quo Deum propter ſuam excellentiam vene-
„ ramur eique nos ſubmittimus. Quare ipſa Dei excellentia eſt
„ ſolum objectum formale Religionis remotum, & ſic a Vir-
„ tutibus Theologicis Religio diſtinguitur. *Actus Religionis pro-*
„ *prii* ſunt *interni* & *externi*. Interni a S. Thom. 2. 2. *Q.* 82. *art.* 1.
„ numerantur duo: *Devotio* & *Oratio*. Externi ſex: *Adoratio*,
„ *Sacrificium*, *votum*, *Juramentum*, *Oblatio primitiarum*, *donorum*,
„ *decimarum*, & *Adjuratio*. *Laus vero* & *Gratiarum actio*, ſunt
„ partes quædam & ſpecies orationis. In his actibus conteſta-
„ mur æſtimationem noſtram de excellentia Divina, noſtram-
„ que ſubjectionem ac dependentiam a Deo: *animi bona* Deo
„ ſubjicimus devotione, oratione, voto & Juramento. Per *de-*
„ *votionem* homo ſeipſum tradit Deo & in cultum devovet.
„ Per *orationem* ſignificamus Deum eſſe Authorem univerſi bo-
„ ni, quod ſperare poſſumus, bona petimus ab eo, vel mala

„ nobis aliisque deprecamur: ob ea, quæ accepimus, grates „ agimus, laudamus Benefactorem, Judicem timemus. *Voto* de- „ liberatam promissionem supremo Domino facimus de meliore „ bono. Juramento Divinam veritatem invocamus testem ad „ fidem faciendam, aut firmandam promissionem, *Bona corporis* „ Deo submittimus *per adorationem exteriorem; Bona vero ex-* „ *terna* in obsequium exhibemus per *Sacrificium & oblationes*. „ Adoramus Deum tanquam supremum Dominum tum inter- „ na mentis devotione, tum exteriore corporis submissione. „ Per *Sacrificium* contestamus Dei supremum Dominium in vi- „ tam, mortem, omniaque nostra bona, & nostram subjectio- „ nem. *Oblationibus* Deo vel intuitu Dei Ecclesiis aut Eccle- „ siæ ministris bona nostra offerimus. S. Thom. 2. 2. *Q.* 84. *Art.* „ 2... *Pietas* hic non ut devotio & fervor in Dei cultu aut miseri- „ cordiæ affectus, sed ut specialis virtus circa cultum paren- „ tum accipitur, & est virtus moralis, qua parentibus sangui- „ ne junctis ac patriæ cultus & debita redduntur officia. Hæc „ respicit secundum Lessium *de Virt. Card.* 1. *Parentes*, quia „ hi post Deum sunt præcipui Authores ortus & educationis. „ 2. *Consanguineos*, quia in his quadam ratione nobis paren- „ tes referuntur, cum utrique eadem origine sint prognati. 3. „ *Patriam*, quia etiam hæc aliquo modo est principium nostri „ ortus, parentes nosque fovet, & opportuna ad ortum & e- „ ducationem media præbet. Huc refertur cultus omnium con- „ civium & Patriæ amicorum. *Debita pietatis officia* liberorum „ in parentes sunt tria per se, amor, reverentia, obedientia; alia „ per accidens, ut sustentatio aliaque vitæ præsidia &c. S. Th. „ 2. 2. Q. 101. a. 2.

„ *Observantia* est virtus, qua personis in dignitate constitu- „ tis, vel ætate, statu, aut alio bono Superioribus cultum „ quendam exhibemus. Talibus enim honor debetur tanquam „ merces & præmium laborum, qui bono publico & civium „ utilitati student. Huc pertinent *Dulia*, quæ cultum religio- „ sum exhibet *Beatis* ob Sanctitatem vel beatitudinis statum; „ & *Hyperdulia* exhibens cultum creaturæ habenti specialem ex- „ celentiam & relationem ad Deum, ut Beatissimæ Virgini, „ quatenus est mater Dei. S. Thom. 2. 2. Q. 103. Art. 4.

„ *Obedientia* est virtus inclinans ad aliquid faciendum vel o- „ mittendum ex eo motivo, quod honestum sit imperanti ob- „ temperare. Quatenus vero procedit ex reverentia Dei, sub Re- „ ligione continetur, & ad devotionem pertinet. Quatenus „ proficiscitur ex reverentia hominis superioris, qui jubet, ad „ observantiam reducitur.

„ *Veracitas* est virtus inclinans ad dicendum & manifestan- „ dum alteri verum cogitatis nostris signa externa & idonea „ conformando. Ad hanc tria spectant: Voluntas dicendi ve-

rum,

„ rum, sive edendi signum conforme menti; ipsa locutio; &
„ significatio mentis judicio conformis. Consideratur in hac
„ virtute debitum morale, quo ex honestate unus homo alte-
„ ri tenetur veritatem loqui, sine quo societas humana serva-
„ ri nequit.

„ *Vindicatio* est virtus, qua quis ex honesto motivo vindi-
„ ctam secundum debitam mensuram rationemque ordinatam
„ sumit vel petit, tum quia per se decens, eum, qui male
„ fecit, puniri; tum quia honestum est, fieri punitione ali-
„ quam reparationem boni per injuriam læsi, & satisfactionem.
„ Dum enim punitur, qui læsit, restituitur quadam ratione
„ honor læso, & damnum compensatur. Hinc *Judex bonis no-*
„ *cet, dum parcit malis*. Lessius *de Vit. Card.* Vindicatio pro-
„ inde licita est ex D. Thom. 2. 2. Q. 105. Art. 1. si fiat debito
„ animo & circumstantiis debitis servatis; si intentio vindi-
„ cantis feratur præcipue in aliquod bonum seu honestum, ad
„ quod pervenitur per delinquentis pœnam, puta ad ejus vel
„ aliorum emendationem, aut saltem inhibitionem; ad securi-
„ tatem aliorum, ad justitiæ conservationem, & Dei hono-
„ rem. Si vero intentio vindicantis id solum spectat, ut ei,
„ qui te læsit, male sit, si ibi quiescas ejusque malum velut
„ tuum bonum intendas, odio illicito desævies contra Charita-
„ tis legem, qua tenemur omnes homines etiam inimicos di-
„ ligere. Demum nec fas est, suum sibimet esse vindicem: hinc
„ vindicta fiat per potestatem publicam, non privatam. Nec
„ appetitio vindictæ ob injuriam privatam suam præcise vir-
„ tus est, inquit Lessius quia ex amore proprii commodi ori-
„ tur. Secus est de injuriis, quæ Deo aut Reipublicæ inferuntur,
„ & neutiquam sunt tolerandæ. *Discamus Christi exemplo nostras*
„ *injurias magnaminiter sustinere, Dei autem injurias nec usque*
„ *ad auditum sufferre*. S. Chrysost. *Hom.* 5. *in Matth.*

„ *Gratitudo* est virtus inclinans ad beneficii accepti æstima-
„ tionem ac repensionem, sive ut ait Lessius, quæ respicit de-
„ bitum ex beneficio natum, & aliquid Benefactori rependit,
„ ut illi aliquo modo satisfaciat. Actus illius sunt, agnitio
„ seu æstimatio beneficii, grata acceptatio, gratiarum actio,
„ commemoratio beneficii, compensatio. Gratitudo hominis
„ in Deum tribus his vocibus continetur, inquit Hugo a S.
„ Victore *L.* 4. *de arc. Moysis c.* 4. *Accipe, redde, cave*. Ac-
„ cipe beneficium, quod offertur; redde gratiam, quæ debe-
„ tur; cave supplicium, quod ingrato decernitur. Prima vox
„ famulantis, secunda monentis, tertia comminantis.

„ *Liberalitas* est virtus humani affectus moderatrix circa bona
„ fortunæ, vel opes dandas, solo honesti motivo. Qui enim
„ majoris lucri, honoris, ostentationis, voluptatis aut libidinis
„ causa dat, liberalis censeri non debet. Habet hæc virtus me-

„ dium inter duo extrema: nam si deficiamus, nec tantum, „ quantum oportet, tribuamus, *avari* dicimus. Si autem ex- „ cedamus in dando, & plus largiamur, quam oportet, & cui, „ quando, aut qua causa non oportet, in vitium labimur, & „ *prodigi* habemur. Unde liberalitas medium spectat modum- „ que recte aliis dandi, ut ratio personæ, quantitatis, quali- „ tatis, loci & temporis habeatur. Hæc si versetur circa ho- „ nestos sumptus Principibus aliisque personis excellentibus di- „ guos, vocatur *Munificentia*, quæ rationem honesti & decori „ inter plus & minus servat.

„ *Amicitia* est benevolentia mutua & manifesta, qua quis „ alteri ipsius causa bonum cupit. Hæc utrique amico nota „ est: amamus quidem aliquando etiam ignotos, sed benevo- „ lentia solum est, non amicitia. Illa se prodit mutua bono- „ rum & commodorum communicatione. Demum illius cau- „ sa, cujus amicitiam colimus, ei bene volumus. Qui enim „ sui causa id facit, seipsum potius, quam alterum amat. Alia „ est *amicitia excellentiæ*, alia *parium*, qua personæ inter „ se inæquales vel pares se mutuo amant. Alia *civilis* vi- „ get inter concives & partes unius Communitatis vel Reipu- „ blicæ: alia *sodalitia & consanguinea* est: hæc in natura & „ sanguine, illa in pactione aut conventione fundatur. *Cau-* „ *sæ*, quæ amicitiam ingenerant & conservant, sunt potissi- „ mum benevolentia, concordia, similitudo morum, benefi- „ centia, & beneficiorum repensio. Necessitas illius, hone- „ stas, jucunditas, & utilitas a Cicerone fusius describitur „ in *Dialogo de amicit. Sane non aqua, non igne pluribus locis* „ *utimur, quam amicitia* &c.

„ *Humanitas* est, qua conditionis humanæ consideratione in „ communi hominum consuetudine faciles nos, ut decet, re- „ verentes & benevolos exhibemus. *Comitas* dicitur, si com- „ muni humanitatis sensu impulsi suavem & placidum agendi „ modum præferimus. *Affabilitas* vocatur, qua in congressu „ ad audiendum nos faciles præbemus, nobisque colloquentium „ animos conciliamus.

„ 4. *Justitiæ* oppositum *Vitium* est *Injustitia*, quæ est habi- „ tus vitiosus inclinans ad non tribuendum cuique jus suum. „ Alia plura vitia adversantur, ut *judicium temerarium*, ubi „ cogitatione; *detractio*, *calumnia*, *contumelia*, *susurratio*, *de-* „ *risio*, *maledictio &c.* ubi verbis; *homicidium*, *mutilatio*, *ver-* „ *beratio*, *furtum*, *rapina &c.* ubi factis Justitia commutativa „ læditur. *Acceptio personarum*, qua justitia distributiva potis- „ simum, sæpe etiam commutativa violatur. Virtutibus Justi- „ tiæ annexis sua correspondent vitia: Religioni *Superstitio* „ per excessum, per defectum *irreligio*: Pietati *immode-* „ *ratus amor* parentum, consanguineorum, aut patriæ per

„ ex-

„ excessum, per defectum *impietas*. Observantiæ *immodicus*
„ *cultus* per excessum, per defectum *contemptus*: Obedientiæ
„ per defectum *inobedientia* in debitis, in illicitis per excessum,
„ *inordinata obsecutio*; Veracitati *jactantia* per excessum, *men-*
„ *dacitas* per defectum: Vindicationi *crudelitas* per excessum,
„ nimia *lenitudo* per defectum: Gratitudini *ingratitudo* per de-
„ fectum, per excessum *prodiga gratitudo*; Liberalitati *prodiga-*
„ *litas* per excessum, *avaritia* per defectum: Amicitiæ *adula-*
„ *tio* per excessum, per defectum vero *litigium*: Urbanitati,
„ comitati, & affabilitati *severitas* per excessum, per defectum
„ *rusticitas* adversatur.

§. IV.

De Fortitudine.

„ *Fortitudo est virtus moralis, qua in res magnas, arduas, pe-*
„ *riculosas gerendas aut sustinendas cum debita moderatione feri-*
„ *mur ex honesti stimulo. Habet illa varios actus, virtutes an-*
„ *nexas & vitia opposita.*

„ 1. *Fortitudo*, *Græcis* ἀνδρία virilis & masculà virtus est,
„ qua mens resistit omnibus difficultatibus, quibus a rationis
„ bono impeditur. S. Thom. 2. 2. Q. 123. Art. 2. *Objectum il-*
„ *lius materiale remotum* sunt res arduæ periculis junctæ & ta-
„ les, ut honeste suscipi & sustineri possint, v. g. quæ pro Rei-
„ publicæ salute suscipiuntur. *Materiale proximum* sunt affectus
„ timoris & audaciæ: *objectum formale* est honestas mediocrita-
„ tis circa illos affectus appetitus irascentis, quos fortitudo mo-
„ deratur, ne voluntas a bono rationis retrahatur timore mali,
„ & tum in aggressione, tum in perpessione graviorum malo-
„ rum non frangatur aut cedat, sed contra moderate audeat.

„ 2. *Actus fortitudinis* sunt duo: aggredi difficilia, & tole-
„ rare dura. Inde *virtutes* quatuor adjunctæ colliguntur: 1.
„ *Fiducia*, qua cum spe firma vincendi res arduas agendas &
„ ferendas prompte ac strenue aggredimur. 2. *Magnanimitas*
„ inclinat ad strenue exequendum id, quod prompte per fidu-
„ ciam suscepimus. Nam sine fiducia nulla suscipitur voluntas
„ firma ex virtute agendi: sine magnanimitate etiam suscepta
„ voluntas ad maturitatem non perveniet, sed quasi in medio
„ conatu concidet & emorietur. 3. *Patientia* confirmat animum
„ adversus tristitiam in tolerandis adversis, ne a præscripto ra-
„ tionis recedat, aut indecori aliquid agat. Hæc si moderetur
„ tristitiam ortam ex jactura bonorum externorum, vocatur
„ *æquanimitas*: si cohibeat ortam a corporis incommodis formi-
„ dolosis, *constantia*; si ex dilatione rei expectatæ, *longanimi-*
„ *tas* appellatur. 2. *Perseverantia* virtus est, qua stabilis qui-

„ quæ & firmus in opere honesto cœpto ad finem perducendo, „ vel dolore penitus exantlando permanet, ex motivo specialis „ honestatis. S. Thom. 2. 2. Quæst. 138. Art. 1.

„ 3. *Vitia* Fortitudini oppositа sunt duo: quatuor vero totidem annexis virtutibus adversantur; 1. *Timiditas vel ignavia* per defectum: timidus enim deficit in audendo & aggrediendo, statimque animo linquitur, actionem vel non inchoat, vel abrumpit, quoties grave malum impendet. 2. *Audacia seu temeritas* excessus est in audendo & aggrediendo, cum quis, ut repellat malum imminens, quiddam aggreditur, quod, vel quomodo, vel quando non convenit rationi. 3. Fiduciæ per excessum opponitur *præsumptio*, qua aliquis suscipit opera viribus majora; & per defectum *diffidentia*, qua quis non audet suscipere ea, quibus par est. 4. Magnanimitati per excessum adversatur *Jactatio animi* in executione rei arduæ contra rationis & virium convenientiam; per defectum *pusillanimitas*, qua quis ipso conatu rei susceptæ mox deficit, licet idoneus consistere posset. 5. Patientiæ opponitur *impatientia* per excessum, dum quis nimium indulget dolori supra modum a *patientia* præscriptum, & ex dolore discedit a recto. *Insensibilitas* per defectum adversatur circa sensum dolorum, dum quis nullis malis nec propriis nec alienis tangitur, quod signum inhumanæ duritiei & brutæ stoliditatis est. *Non sentire mala, non est hominis; non ferre, non est viri.* Senec. *ad Polybium c. 36... 6.* „ Perseverantiæ repugnat per excessum *pertinacia*, qua firmus „ quis manet in proposito sive sentiendi sive agendi, ubi non „ oportet, vel plus quam oportet. *Mollities seu volubilitas* „ per defectum opponitur, dum quis ob difficultates occurrentes, & maxime ob tristitiam ac privationem delectationum „ ab opere bono desistit, ceditque difficultatibus.

§. V.

De Temperantia.

„ *Temperantia est virtus refrænans appetitum in voluptatibus* „ *corporis vel sensuum, præsertim gustus & tactus. Hujus va-* „ *riæ sunt species, virtutes adjunctæ, & vitia opposita.*

„ 1. *Temperantiæ nomine importatur quædam moderatio seu* „ *temperies, quam ratio facit*, inquit D. Th. 2. 2. Q. 141. art. „ 1. Illius *objectum materiale remotum* sunt delectabilia corporis vel sensuum. *Proximum* vero sunt delectationes sensuum. „ *Objectum formale* est honestas, quæ reperitur in mediocritate „ voluptatum sensuum. *Regula*, unde judices, quænam delectatio habeat ejusmodi mediocritatem, non alia est secundum

D. Thom.

„ D. Thom. 2. 2. Q. 141. Art. 6. quam neceſſitas & utilitas „ rerum ad hanc vitam humanam pertinentium. *Actus temperantiæ* eſt vel abſtinere, vel cohibere, ſcilicet moderari appetitum circa voluptares juxta præſcriptum rectæ rationis „ morumque regulam, quantum, ubi, quale, quando & quomodo decet.

„ 2. *Species* Temperantiæ ſeu *partes ſubjectivæ* a S. Thoma 2. 2. Q. 143. Art. 1. recenſentur quatuor. 1. *Abſtinentia* inclinat ad ſubtractionem ciborum, quantum decet habita ratione valetudinis & officiorum. 2. *Sobrietas* affectum & uſum moderatur circa potum, qui ebrietatem conciliare poteſt, & rationis uſum fumis ſuis præpedire: 3. *Caſtitas* ex D. Thoma 2. 2. Q. 15. a. 2. eſt virtus ſtatuens mediocritatem circa delectabilia venerea, vel ea prorſus abjiciendo, vel non aliter iis utendo, quam recta ratio præſcribit. 4. *Pudicitia* eſt virtus, quæ circa externa ſigna & actus venereos minus principales, v. g. *aſpectus*, *colloquia &c.* voluptatem debita mediocritate coercet. *Pudicitia*, inquit S. Cyprianus, *de bono Pudicit. primum locum tenet in virginibus*, *ſecundum in continentibus*, *tertium in matrimoniis*. *Verum omnibus glorioſa eſt cum gradibus ſuis*. Præter has partes ſubjectivas recenſentur a S. Thom. 2. 2. Q. 143. *art. un. quædam partes integrantes*: *Verecundia*, quæ eſt timor infamiæ de turpi actu perpetrato, ſicut *erubeſcentia* eſt timor infamiæ de eo committendo.

„ 3. *Virtutes adjunctæ* ſeptem numerantur: 1. *Continentia* moderatur quoſvis impetus paſſionum, quibus impellimur ad delectationes præſertim venereas. 2. *Humilitas* refrænat appetitum propriæ excellentiæ, hominemque inclinat ad ſuam vilitatem ſignis factiſve profitendam. 3. *Manſuetado* interiorem iræ impetum vel paſſionem ſecundum rationis normam moderatur, in quo differt a *Clementia* quæ eſt moderativa punitionis. 4. *Studioſitas* cognoſcendi deſiderium nimiumque ardorem ſciendi juxta rectam rationem dirigit, ſecundum illud *Rom.* 12. *c. Non ſapere plus*, *quam oportet ſapere*. 5. *Modeſtia* circa debitam compoſitionem corporis, in geſtibus, nutibus, ſermone, inceſſu, habitu & veſtitu &c. occupatur. 6. *Eutrapelia* feſtivitati, ludis & jocis honeſtum modum imponit facitque, ut noſtra conſuetudo aut converſatio ſit grata, ſervata tamen ſemper honeſtate & ratione noſtræ perſonæ eorumque quibuſcum verſamur. 7. *Parſiomonia* luxum ſuperfluum in ſupellectili aliiſque rebus ad uſum vitæ idoneis amputat, circa corporis cultum aliumque apparatum rerum externarum ſervat decorem & modum.

„ 4. *Vitium* temperantiæ oppoſitum eſt per exceſſum *intemperantia*, quæ excedit in expetendis vel fruendis voluptatibus

„ bus ſenſuum. Per defectum adverſatur *ſtupor*, dum quis ſi-
„ ne cauſa ita delectationem omnem deſpicit, ut ſine juſta cau-
„ ſa pravo deceptus judicio prætermittat ea, quæ ad vitæ
„ conſervationem ſunt neceſſaria; aut etiam naturæ noxia in
„ cibo & potu eligit. Qui enim negat ſe quodam voluptatis
„ ſenſu affici, is utique ſe animal vel hominem negat, ſtipiti
„ aut ſaxo non impar, in quo nullus eſt ſenſus.

„ 5. Quatuor ſpeciebus temperantiæ totidem *vitia* anony-
„ ma per defectum opponuntur; per exceſſum vero 1. Abſti-
„ nentiæ adverſatur *gula* ſeu *voracitas* excedens in ciborum
„ modo, quantitate & qualitate &c. De ejuſmodi hominibus
„ Tertulianus ait *Lib. contra Pſychicos*: *quorum Deus ven-*
„ *ter eſt*: *quorum fides in culina calet*, *charitas in olla fervet*,
„ *& tota ſpes in ferculis jacet*. 2. Sobrietati *ebrietas* repugnat,
„ & eſt notius vitium, quam ut deſcriptione egeat. *Nullum*
„ *ſecretum eſt*, *ubi regnat ebrietas*. Prov. 13. c. Nam juxta
„ vulgatum illud: *quod in corde latet ſobrii*, *in lingua natat*
„ *ebrii*. 3. Caſtitati adverſatur *Luxuria* in appetitu vel uſu
„ venereorum immoderato. 4. Pudicitiæ opponitur *impudi-*
„ *citia*; quæ in exterioribus ſignis impuris limites rationis ex-
„ cedit. Partibus integrantibus temperantiæ per defectum op-
„ ponuntur vitia anonyma, per exceſſum *impudentia* vere-
„ cundiæ, quæ indolis depravatæ indicium eſt partuſque dæ-
„ monis.

„ 6. Virtutibus reliquis temperantiæ adjunctis ſua adverſan-
„ tur vitia, per defectum quidem anonyma, per exceſſum ve-
„ ro: 1. Continentiæ opponitur *incontinentia*, *quæ* paſſioni-
„ bus venereis & motibus immoderatis contra rationem dele-
„ ctatur. 2. Humilitati *ſuperbia*, quæ eſt appetitus inordina-
„ tus propriæ excellentiæ. 3. Manſuetudini *iracundia* plus
„ æquo contra rationem excandeſcens. 4. Studioſitati *curioſi-*
„ *tas*, quæ eſt inordinatum deſiderium ſciendi id, quod non
„ convenit, vel modo, quo non, aut plus, quam convenit,
„ aut dum ſcientias appetimus non referendo ad debitum ho-
„ neſtum finem. 5. Modeſtiæ repugnat *immodeſtia*, quæ corpo-
„ ris geſtus externamque compoſitionem atque ordinatam aut
„ nimis negligit, aut nimis affectat. 6. Eutrapeliæ opponitur
„ *ſcurrilitas*, jocandi, & ludendi genus obſcœnum, illibera-
„ le, petulans, flagitioſum. 7. Parſimoniæ adverſatur *luxus*
„ veſtium alteriuſque externi apparatus modum excedens. *Fi-*
„ *nem omnium rerum ſpecta*, *& ſupervacua dimittes*. Senec.
„ Epiſt. 119. Et ſic finem facimus hujus primæ Partis in ho-
„ norem illius qui omnium rerum Principium ac finis eſt:
„ cedant ergo hæc &

O. A. M. D. G.

SYL-

SYLLABUS DEFINITIONUM.

A

„ Abortus voluntarius est homicidium, perfectum quidem, si „ fœtus erat animatus anima rationali, imperfectum vero, „ si anima rationali non animatus.

„ Absolutio sacramentalis est actus judicialis, quo pœnitenti- „ bus confessis, ac recte dispositis, a Confessario virtute Chri- „ sti remittuntur peccata.

„ Acedia est tristitia de bono spirituali, prout ad hominem „ spectat.

„ Actus humanus est hominis actio quæ ex voluntate delibe- „ ta procedit.

„ Actus humani eliciti illi sunt, qui a voluntate immediate „ prosiliunt: v. g. volitio alicujus objecti.

„ Actus humani imperati illi dicuntur qui ex voluntatis jussu „ ab aliis potentiis eliciuntur: ut aspectus alicujus rei ab „ oculo elicitus.

„ Actus humani moralitas est respectus quidam sive ordo actus „ liberi ad objectum subditum regulis morum, ut prosequen- „ dum, si bonum, vel ut fugiendum, si malum.

„ Actus humani regulæ sunt lex & intima mentis ratio, seu „ dictamen practicum.

„ Adjuratio est Dei, vel alicujus personæ aut rei sacræ invo- „ catio ad inducendum vel cogendum alterum ut aliquid fa- „ ciat, vel a faciendo desistat.

„ Adoptio est voluntaria & gratuita assumptio personæ ad he- „ reditatem.

„ Adoratio est actus, quo quis se alteri subjicit in ejusdem ex- „ cellentiæ testimonium.

„ Adoratio latriæ est cultus pius ac religiosus, qui soli Deo „ debetur; cum sit ipse primum Principium, supremus Do- „ minus, & ultimus Finis rerum omnium.

„ Adoratio hyperduliæ seu excellens dulia, est cultus quo co- „ litur B. V. Deipara, quæ omnibus aliis creaturis eminet.

„ Adoratio duliæ est cultus Angelis ceteriisque Sanctis debitus, „ ut Dei servis & amicis.

„ Adulatio est excessiva laus seu complacentia, verbis vel fa- „ ctis expressa.

„ Adulterium est congressus aut viri cum uxore alterius, aut „ mulieris cum marito alterius, aut utriusque matrimonio „ vincti.

„ Affinitas est conjunctio seu propinquitas personarum, pro- „ veniens ex copula carnali, sive licita, sive illicita, perfecta

ta-

„ tamen, nimirum cum seminum commistione in vase na-
„ turali.
„ Ambitio est inordinatus appetitus honorum.
„ Apostasia est receſſio hominis baptizati a tota fide.
„ Arrogantia est vitium, quo quis temere & impudenter bo-
„ na sibi vindicat quæ non habet.
„ Articulus mortis est ille status infirmitatis in quo plurimi or-
„ dinarie decedunt: discriminatur a periculo mortis, quod
„ istud est ille status in quo probabiliter & prudenter time-
„ tur quod quis sit proxime moriturus.
„ Assecuratio est contractus, quo pacto pretio aliquis rei peri-
„ culum suscipit, damnum sive in totum, sive in partem
„ compensaturus.
„ Astrologia est divinatio per astra.
„ Astrologia naturalis ea est qua homines ex vario situ ac mo-
„ tu astrorum ea quæ natutaliter contingunt, ut pluviæ, si-
„ guificant ac portendunt.
„ Astrologia judiciaria ea est qua homines ex stellarum motu
„ astrorumque cursu contingentes fortuitosque casus ex sola
„ libertate pendentes divinare præsumunt.
„ Attentio est actus intellectus, nimirum consideratio & ad-
„ vertentia mentis ad id quod fit, vel dicitur.
„ Attritio est dolor supernaturalis, & detestatio peccatorum,
„ ut sunt offensa Dei, propter timorem gehennæ, aut turpi-
„ tudinem peccati, aut aliud motivum honestum superna-
„ turale, involvens saltem propositum implicitum non pec-
„ candi.
„ Avaritia est inordinatus divitiarum appetitus & amor.
„ Audacia est appetitus insurgens in malum terribile fugandum
„ & superandum.

B

„ Baptismus est sacramentum novæ legis, quo homo exterius
„ abluitur, & spiritualiter regeneratur per aquam sub forma
„ verborum a Christo perscripta.
„ Baptismus flaminis est desiderium vehemens recipiendi sacra-
„ mentum baptismi, cum contritione de peccatis in casu in
„ quo deest commoditas illud recipiendi in re.
„ Baptismus sanguinis est martyrium, seu mors in odium fidei
„ Domini nostri Jesu Christi tollerata.
„ Bellum est conflictus multorum contra multos extraneos, vi
„ & armis, Principis jussu peractus.
„ Bellum defensivum est actio, qua publica auctoritate vis il-
„ lata Regno seu Provinciæ ab exteris repellitur per possi-
„ dentes.

Bel-

„ Bellum offensivum illud est quo Princeps exercitu armato „ hostem aggreditur, juris vindicandi, aut compensationis „ obtinendæ gratia.

„ Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fru„ ctus ex bonis Ecclesiæ proter aliquod officium spirituale, „ auctoritate Ecclesiæ constitutum.

„ Beneficium simplex illud est quod nullam habet jurisdictio„ nem, administrationem, seu præeminentiam, sed solum „ eidem adnexum est debitum fundendi preces, & alia mini„ steria ecclesiastica exercendi; ut sunt Canonicatus, Capel„ laniæ, &c.

„ Beneficium quod appellatur duplex, illud est quod habet ju„ risdictionem in Clerum populumque, & administrationem „ rerum ecclesiasticarum: ejusmodi sunt Papatus, Episco„ patus, Abbatia sæcularis, Plebanatus, & omnia benefi„ cia Curata, seu quibus animarum regimen adnexum est „ & jurisdictio.

„ Beneficium electivum illud est quod a pluribus confertur per „ ellectionem, a Superiore confirmandam. Collativum a Su„ periore confertur. Missum, patrono designante, Episcopus „ instituit & confert.

„ Bestialitas est concubitus cum individuo alterius speciei.

„ Blasphemia est derogatio divinæ bonitatis.

„ Blasphemia hæreticalis ea est quæ mentis assensu Deo affin„ git quod nec habet, nec habere potest; vel removet ali„ quid ab eo quod ei convenit: seu est dictum contumelio„ sum contra Deum vel Sanctos, continens errorem in fide.

„ Blasphemia simplex ea dicitur quæ solo pravitatis affectu abs„ que mentis assensu aliquid Deo vel Sanctis ejus affingit, „ vel imprecatur.

„ Bona castrensia ea sunt quæ in castris, seu in militia, vel oc„ casione militiæ filius acquirit; nempe stipendia militaria, „ spolia hostium, dona Ducum vel commilitonum; item quæ „ obtinet propter obsequium Principis in aula.

„ Bona quasi castrensia ea sunt quæ filius acquirit ex minister„ rio publico, nempe Judicis, Advocati, Tabellionis &c. „ Item ex professione alicujus artis liberalis. Item quæ i„ psi proveniunt ex officio clericali, aut ex beneficio eccle„ siastico.

C

„ Calumnia est denigratio alienæ famæ, falsum crimen impo„ nendo.

„ Cambium est contractus commutationis pecuniarum pro pe„ cuniis cum lucro campsoris.

Cam-

„ Cambium reale seu verum est vera & realis permutatio pe-
„ cuniæ cum pecunia, æqualitate servata inter datum & ac-
„ ceptum; puta monetarum aurearum cum argenteis, &
„ præsentium cum absentibus, servato justo titulo lucri mo-
„ derati a lege taxati, aut a rationabili consuetudine appro-
„ bati.

„ Cambium siccum seu fictum est, quando datur quidem pe-
„ cunia pro pecunia, sed absque distantia loci, & propte-
„ rea larva usuræ est, seu mutuum palliatum titulo cam-
„ bii.

„ Caritas est virtus divinitus infusa, qua Deus propter se, &
„ proximus propter Deum diligitur.

„ Censura est pœna ecclesiastica medicinalis fori exterioris, qua
„ fidelis baptizatus privatur usu aliquorum bonorum spiritua-
„ lium: ut a contumacia discedat. Tribuitur in tres species
„ nempe in excommunicationem, suspensionem, & interdi-
„ ctum, de quibus suo loco.

„ Censura a jure illa est quæ a Superiore statuitur per modum
„ legis perpetuo duraturæ.

„ Censura ab homine illa est quæ non infligitur per modum
„ legis, sed ut præceptum transitorium contra inobedientes.

„ Censura latæ sententiæ illa dicitur quæ ipso facto ligat reum
„ absque alia judicis declaratione.

„ Censura ferendæ sententiæ illa est quæ solum post judicis sen-
„ tentiam incurritur.

„ Census est jus exigendi pensionem ex re alterius frugifera;
„ servatis conditionibus a summis Pontificibus appositis.

„ Cessatio a divinis est prohibitio Clericis imposita ut cessent
„ a celebratione divinorum officiorum, & abstineant ab ad-
„ ministratione sacramentorum, excepto necessitatis casu.

„ Character est signum spirituale indelebiliter impressum in ani-
„ ma: ac triplex est; nimirum Baptismi, Confirmationis,
„ & ordinis.

„ Circumstantia est id quod accidentaliter circumstat actum
„ humanum, qui speciem capit ab objecto, aut bono, aut
„ malo.

„ Circumstantiæ sunt septem hoc versiculo contentæ: *Quis*,
„ *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

„ Cognatio est conjunctio quarumdam personarum.

„ Cognatio triplex est. Legalis, spiritualis, & naturalis.

„ Cognatio legalis est conjunctio seu propinquitas personarum,
„ orta ex adoptione qua persona aliqua assumitur ad heredi-
„ tatem.

„ Cognatio spiritualis est propinquitas spiritualis personarum,
„ orta ex baptismo & confirmatione.

„ Cognatio naturalis est vinculum seu conjunctio personarum,
„ rum,

„ rum, qua per carnalem generationem ab eodem propinquo „ ſtipite ſeu principio deſcendunt.

„ Commodatum eſt rei alicujus quoad uſum dumtaxat gratui„ ta conceſſio ad certum tempus.

„ Compenſatio eſt occulta ablatio pecuniæ, vel rei pretio æſti„ mabilis, a ſuo debitore, ad effectum reparandi damnum „ injuſtum quod quis ab eo paſſus eſt.

„ Concilium eſt congregatio Prælatorum Eccleſiæ ad fidei mo„ rumque controverſias finiendas, legitimo Superiore convo„ cata.

„ Concupiſcentia eſt paſſio appetitus ſenſitivi proſequentis bo„ num ſenſibile ac delectabile.

„ Conductio eſt contractus, quo uſus rei vel perſonæ emitur „ pro pretio.

„ Confeſſio ſacramentalis eſt legitima accuſatio peccatorum co„ ram Confeſſario, ad veniam illorum virtute abſolutionis „ ſacramentalis obtinendam.

„ Confeſſio materialiter integra eſt accuſatio de omnibus pec„ catis commiſſis ab ultima confeſſione.

„ Confeſſio formaliter integra eſt accuſatio omnium peccato„ rum, quorum quis poſt diligens examen recordatur.

„ Confirmatio eſt unctio chriſmatis in fronte manu Epiſcopi „ facta, ut baptizatus in fide confirmetur.

„ Conſcientia eſt dictamen ſeu judicium intellectus practici, „ dictans quid hic & nunc agendum ſit, vel omittendum.

„ Conſcientia recta eſt judicium prudens, quo quis judicat bo„ num eſſe bonum, & malum eſſe malum.

„ Conſcientia erronea eſt judicium practicum & imprudens, „ quo quis judicat bonum eſſe malum, & malum eſſe bo„ num.

„ Conſcientia dubia eſt ſuſpenſio judicii, dum quis determinare „ neſcit an aliquod ſit bonum vel malum, ob rationes inter „ ſe oppoſitas.

„ Conſcientia probabilis eſt judicium practicum, quo quis ra„ tionibus non levibus aſſentitur uni parti cum formidine „ partis oppoſitæ.

„ Conſcientia ſcrupuloſa eſt levis quædam ſuſpicio peccati cum „ nimia operandi anxietate: ſeu eſt inanis anxietas animi du„ bitantis quaſi de qualibet re quod ſit peccatum.

„ Contentio eſt verborum altercatio, ſeu impugnatio veritatis „ cum confidentia clamoris.

„ Contractus eſt duplicis voluntatis, dantis & recipientis, de„ liberata conſenſio de re qualibet agenda, vel non agenda, „ ſigno aliquo exteriore manifeſtata.

„ Contractus ſocietatis eſt conventio inter duos vel plures, aſ„ ſignantes determinatam nummorum quantitatem; quæ no-

„ men

„ men habet sortis principalis, in aliquo negotio cum obli-
„ gatione dividendi fructus & damna cum proportione ad
„ sortem.

„ Contractus trium contractuum est contractus societatis cum
„ assecuratione capitalis, & cum assecuratione fructuum.

„ Contritio generatim accepta est animi dolor ac detestatio de
„ peccato commisso, cum proposito non peccandi de cete-
„ ro.

„ Contritio perfecta est dolor ac detestatio peccatorum propter
„ Deum super omnia dilectum, ob suam infinitam bonitatem
„ & amabilitatem.

„ Contritio imperfecta est attritio, de qua vide suo loco.

„ Contumelia est dehonoratio alicujus per verba, quibus id
„ quod est contra illius honorem, deducitur in notitiam ejus
„ & aliorum.

„ Correctio fraterna est spiritualis eleemosyna a caritate manans,
„ qua quis secreta admonitione malum proximi removere
„ studet.

„ Curiositas est inordinatus appetitus cognoscendi, sive per sen-
„ sum, ea quæ non conveniunt.

D

„ Damnum emergens est detrimentum quod quis patitur in bo-
„ nis suis, præcisa ratione mutui.

„ Debitum conjugale est copula reddenda ad alterutrius conju-
„ gis petitionem.

„ Decima est illa fructuum pars quæ quotannis Ecclesiæ mini-
„ stris persolvitur.

„ Decima realis ea est quæ solvitur de fructibus prædiorum,
„ agrorum, vinearum &c.

„ Decima personalis ea dicitur quæ solvitur ex bonis propria
„ industria acquisitis.

„ Decima mista ea est quæ partim realis est, partim vero per-
„ sonalis.

„ Delectatio morosa est voluntaria & deliberata complacentia
„ mentalis in re turpi sine ordine ad actum.

„ Depositum est contractus, quo sola rei custodia alterius fidei
„ committitur ut integra reddatur.

„ Desiderium inhonestum est actus voluntatis, quo quis deter-
„ minate cupit exsequi actum turpem.

„ Desperatio est voluntas efficax abjiciendi salutem æternam
„ ex divina misericordia consequendam.

„ Detractio est denigratio alienæ famæ per occulta verba, vel
„ attribuendo proximo crimen falsum, vel occultum reve-
„ lando.

„ De-

„ Devotio est voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ „ pertinent ad Dei famulatum.
„ Discordia est dissensio voluntatum a bono divino & proxi- „ mi, in quo debent convenire.
„ Dispensatio est juris seu legis relaxatio ab habente legiti- „ mam potestatem, ex justa caussa facta.
„ Divinatio est prædicto futurorum dæmonis ope.
„ Divortium est viri ab uxore, & uxoris a viro legitima se- „ paratio.
„ Dolus est quævis calliditas, fallacia, & machinatio ad de- „ cipiendum ordinata.
„ Dominum est facultas utendi re tamquam propria in omnes „ usus a lege permissos.
„ Donatio est liberalis alicujus rei traditio.
„ Dubium est suspensio judicii in utramque partem ob ratio- „ num æqualitatem.
„ Dubium juris est, cum quis dubitat da lege, seu de obliga- „ tione quacumque.
„ Dubium facti est, cum ambigitur, utrum aliquid factum sit „ nec ne.
„ Dubium speculativum est suspensio assensus circa objectum „ in universali & in genere, sit ne bonum, vel malum.
„ Dubium practicum est suspensio assensus circa objectum parti- „ culare ut tale, an sit bonum, vel illicitum, cum urget hic „ & nunc operandi occasio.
„ Duellum est pugna inter duos, ab utraque parte ex condi- „ cto accepta, loco ac tempore designato, cum periculo oc- „ cisionis aut gravis vulneris.

E

„ Ebrietas est excessus in potando usque ad violentam usus ra- „ tionis privationem.
„ Ecclesia est hominum societas ad Christi fidem vocata, quæ „ interius fide, spe, & caritate vivificatur; exterius vero „ ejusdem Christianæ fidei professione dirigitur, sub uno vi- „ sibili capite in terris, Christi Vicario, & S. Petri suc- „ cessore.
„ Eleemosyna est opus ex misericordia procedens, quo indi- „ gentiæ alicujus subvenitur.
„ Emphyteusis est contractus, quo rei immobilis dominium „ utile ad longum tempus transfertur, directo retento, one- „ re imposito annuæ pensionis solvendæ.
„ Emptio est pactio determinati pretii pro merce dandi.
„ Epikeja est legis correctio & emendatio, seu exemptio „ ca-

„ casus particularis, ob circumstantias, quæ si legislatori in-
„ notuissent, casum illum excepisset.
„ Error est adprobatio falsitatis.
„ Eucharistia est sacramentum veri corporis & sanguinis Chri-
„ sti, sub speciebus panis & vini realiter contentorum, ad
„ spiritualem fidelium alimoniam a Christo ipso institu-
„ tum.
„ Excommunicatio est censura ecclesiastica, qua baptizatus a
„ communione Ecclesiæ, quoad fructum & ejus suffragia,
„ & a qualibet licita fidelium communione excluditur.
„ Excommunicatio major est censura, qua quis separatur a
„ communione fidelium, & a passiva & activa sacramento-
„ rum participatione, & ecclesiastica sepultura.
„ Excommunicatio minor est censura, qua quis privatur pas-
„ siva sacramentorum participatione, eorumdem adminis-
„ tratione, juxta nonnullos, & passiva electione ad dignitates
„ & beneficia Ecclesiæ.
„ Excommunicatus vitandus ex constitutione Concilii Constan-
„ tiensis est notorius Clerici percussor, & reus per publicam
„ judicis ecclesiastici sententiam denuntiatus excommunica-
„ tus.
„ Excommunicatus toleratus est reus criminis, cui adnexa est
„ excommunicatio, a nullo judice talis declaratus.
„ Extrema unctio est sacramentum a Christo Domino institu-
„ tum ad conferendam salutem animæ, vel etiam corporis
„ ægroto periclitanti, per unctionem olei benedicti & ora-
„ tionem Sacerdotis.

F

„ Feudum est contractus, quo rei immobilis dominium utile
„ transfertur, retento dominio directo, seu potestate, sub
„ onere fidelitatis & obsequii personalis.
„ Fidejussio est alienæ obligationis in se susceptio, qua quis
„ se ad eam implendam obstringit, principali debitore defi-
„ ciente.
„ Fides theologica est habitus infusus, quo firmiter assenti-
„ mur veritatibus a Deo revelatis, & ab Ecclesia proposi-
„ tis.
„ Fides actualis est assensus supernaturalis, firmus, & certus,
„ omnem excludens dubitationem.
„ Fides habitualis est virtus infusa; ut supra.
„ Fides formata, seu viva, illa est quæ gratia habituali &
„ caritate alitur & perficitur.
„ Fides informis, seu mortua, illa est quæ gratia habituali &
„ caritate caret.

„ Fi-

„ Fides explicita illa est qua articulus a Deo revelatus expres-
„ se creditur.
„ Fides implicita ea est qua creditur articulus in altero reve-
„ lato, ut justorum resurrectio creditur in mysterio resurre-
„ ctionis.
„ Fornicatio est concubitus humanus naturalis soluti cum so-
„ luta corrupta.
„ Furtum est occulta acceptio rei alienæ, invito domino.
„ Furtum peculatus illud est quo patrimonium publicum di-
„ lapidatur.
„ Furtum plagium nuncupatum illud est quo homo liber in
„ servitutem reducitur, aut servus alienus surripitur.
„ Furtum abigeatus est abductio pecum, equorum, idque ge-
„ nus animalium.
„ Furtum sacrilegum est ablatio rei sacræ de loco sacro, vel
„ non sacræ de sacro, vel sacræ de non sacro.
„ Furtum, quod rapina dicitur, est rei alienæ violenta & in-
„ justa usurpatio facta præsente & invito domino.

G

„ Gratia sanctificans seu gratum faciens donum est supernatu-
„ rale animæ infusum, per quod redditur homo Deo gra-
„ tus, & filius ejus adoptivus.
„ Gratia sanctificans prima est infusio ejus; secunda vero ejus-
„ dem gratiæ præexsistentis augmentum.
„ Gratia sacramentalis ea est quæ superaddit gratiæ sanctifican-
„ ti quædam divina auxilia, ut pie, & sicut oportet, ob-
„ eantur munera sacramentorum propria.
„ Gratia gratis data illa est quæ ad aliorum utilitatem ordina-
„ tur, ut dona linguarum & miraculorum.
„ Gulla est inordinatus comedendi & bibendi appetitus.

H

„ Hæresis est error intellectus voluntarius & pertinax contra
„ aliquam veritatem fidei Catholicæ in eo qui fidem recepit.
„ Homicidium est injusta hominis occisio; sive publica fiat
„ auctoritate, sive privata.
„ Homicidium voluntarium illud est quod malo animo occi-
„ dendi committitur.
„ Homicidium necessarium illud est quod lege publica, vel ne-
„ cessariæ defensionis jure imperatur.
„ Homicidium fortuitum dicitur illud quod præter intentionem
„ accidit.
„ Horæ canonicæ sunt quædam laudes & preces, ab Ecclesia

„ institutæ ad Deum singulis diebus, certis & statutis horis „ laudandum.

„ Hypotheca est contractus quo res immobilis, nuda conven„ tione, absque traditione obligatur creditori in securita„ tem debiti, ut si alter non satisfactiat, inde satisfactio „ peti possit.

I

„ Idololatria est cultus divinus creaturæ exhibitus, non ut est „ imago Dei, sed ut creatura est.

„ Jejunium, generice acceptum, est quælibet abstinentia ab o„ mni cibo & potu, quocumque modo sumantur.

„ Jejunium naturale est abstinentia totalis a qualibet re sum„ pta per modum cibi vel potus.

„ Jejunium ecclesiasticum est parsimonia victus, & abstinentia „ ciborum, juxta formam ab Ecclesia prescriptam.

„ Jejunii ecclesiastici partes sunt tres: unica refectio, veluti „ pars essentialis; abstinentia a carnibus, ut pars secunda„ ria; ac tempus definitum.

„ Ignorantia est scientiæ privatio.

„ Ignorantia juris ea dicitur quæ legem vel præceptum igno„ rat.

„ Ignorantia facti ea dicitur quæ legis cognitionem admittit, „ sed factum hoc vel illud prorsus ignorat.

„ Ignorantia vincibilis est voluntaria & culpabilis carentia co„ gnitionis legis.

„ Ignorantia vincibilis affectata ea est, quæ scientiam repellit; „ crassa vero & supina ea dicitur quæ nullam diligentiam „ adhibet, ut sciat quæ scire tenetur.

„ Ignorantia invincibilis ea dicitur quæ nullo studio seu dili„ gentia valet superari.

„ Impedimentum matrimonii est indispositio contrahentium, „ reddens matrimonium illicitum, vel invalidum.

„ Impedimentum impediens est dispositio contrahentium, red„ dens matrimonium illicitum, non tamen invalidum.

„ Impedimentum dirimens est indispositio contrahentium, red„ dens matrimonium & illicitum, & invalidum.

„ Impedimenta impedientia alia sunt absque delicto, alia ve„ ro ex delicto proficiscuntur. Prioris generis sunt quinque „ his versibus contenta:

„ *Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,*
„ *Atque catechismus, sponsalia, jungito votum.*
„ *Impedi nt fieri, permittunt facta teneri.*

„ Posterioris generis sunt septem, his aliis versibus con„ tenta:

„ *In-*

„ *Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,*
„ *Susceptio propriæ prolis, mors presbyteralis,*
„ *Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem*
„ *Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.*

„ Impedimenta dirimentia post Tridentinum quindecim numerantur, his versibus expressa:

„ *Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
„ *Cultus disparitas & vis, Ordo, ligamen, honestas,*
„ *Amens, affinis, si clandestinus, & impos,*
„ *Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.*
„ *Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.*

„ Incestus est copula indebita cum persona cognata, vel affini, vel consanguinea, intra gradus ab Ecclesia prohibitos.

„ Indulgentia est remissio pœnæ temporalis, peccatis jam quoad culpam remissis debitæ, per applicationem meritorum Christi & Sanctorum.

„ Indulgentia plenaria seu totalis illa est, qua tota pœna peccatis debita remittitur.

„ Indulgentia partialis illa dicitur, qua pœna ex parte tantum remittitur.

„ Infidelitas negativa est mera carentia fidei in eo qui nullo modo fidem audivit.

„ Infidelitas positiva, seu contraria, ea est quæ resistit fidei prædicationi, recusatque fidem suscipere, ac errores veræ fidei contrarios obstirmate defendit.

„ Intentio est actus voluntatis in finem; seu est actus liber, quo voluntas sese determinat ad aliquid agendum, vel omittendum.

„ Intentio actualis est actus liber, quo quis se determinat ad aliquid agendum, vel omittendum, actualiter perseverans, & concomitans actionem vel omissionem.

„ Intentio virtualis est actus liber, quo quis se determinat ad aliquid agendum, vel omittendum, durans & perseverans in opere incepto virtute actualis præcedentis non retractatæ.

„ Intentio habitualis est prona facilitas seu consuetudo operandi.

„ Interdictum est censura ecclesiastica, qua prohibentur omnia divina officia, & aliquorum sacramentorum administratio, necnon ecclesiastica sepultura.

„ Interdictum locale est censura, qua prohibetur usus divinorum, & alia in aliquo loco.

„ Interdictum personale illud est quo usus divinorum determinatæ personæ prohibetur.

„ Interdictum mixtum illud est, quo divinorum usus & personæ & loco interdicitur.

„ Invidia est tristitia de bono alterius perinde ac si nostrum
„ malum foret, quatenus illo æquari nostram excellentiam
„ aut minui conspicimus.
„ Ira est injustæ vindictæ inordinatus appetitus.
„ Irregularitas est impedimentum canonicum, quo vir bapti-
„ zatus primo & directe interdicitur a susceptione Ordinum,
„ & secundario ab eorum usu.
„ Irregularitates ex defectu novem numerantur. 1. Ex defectu
„ animæ; 2. ex defectu corporis; 3. ex defectu natalium;
„ 4. ex defectu ætatis; 5. ex defectu libertatis; 6. ex defe-
„ ctu obligationis; 7. ex defectu sacramenti; 8. ex defectu
„ bonæ famæ; 9. ex defectu lenitatis.
„ Irregularitates ex delicto sunt octo. 1. Ex homicidio vo-
„ luntario injusto; 2. ex injusta & voluntaria mutilatione;
„ 3. ex homicidio aut mutilatione causali; 4. ex iteratione
„ baptismi; 5. ex violatione censurarum; 6. ex indigna re-
„ ceptione aut administratione Ordinum; 7. ex apostasia a
„ fide, vel ex hæresi externa; 8. ex delicto cui adnexa infa-
„ mia est.
„ Jubilæum est plenaria indulgentia omnium pœnarum tempo-
„ ralium peccatis debitarum cum variis privilegiis & facul-
„ tatibus, nimirum absolvendi a quibusdam reservatis, vo-
„ ta commutandi, juramenta relaxandi, &c. prout exprimi-
„ tur in Bulla Romani Pontificis.
„ Judicium temerarium est firmus assensus de aliquo proximi
„ peccato, ex levibus indiciis conceptus.
„ Juramentum est invocatio divini testimonii aut Sanctorum
„ in confirmationem veritatis.
„ Juramentum assertorium est invocatio divini testimonii in
„ confirmationem alicujus dicti vel facti præsentis, vel præ-
„ teriti.
„ Juramentum promissorium est invocatio divini testimonii in
„ confirmationem alicujus rei agendæ vel omittendæ, ad
„ quam quis se sponte obligat.
„ Juramentum comminatorium est invocatio divini testimonii
„ in confirmationem voluntatis, qua quis se obligat ad in-
„ fligendam alicui pœnam.
„ Juramentum execratorium est invocatio Dei vel creatura-
„ rum, ut ab illis puniatur in casu falsitatis illius, quod
„ asserit de præsenti, vel preterito, aut promittit de futuro.
„ Juramenti conditiones sunt veritas, judicium, & justitia.
„ Justitia est perpetua, & constans voluntas jus suum cuique
„ tribuendi.
„ Justitia commutativa est inter duos æquales homines emen-
„ tes, vendentes, locantes &c.
„ Justitia distributiva est totius ad partes, nempe Principis ad
„ sub-

„ ſubditos, in diſtribuendis gradibus, dignitatibus, præmiis „ &c. juxta meritorum proportionem.

„ Juſtitia legalis eſt partis ad totum, ſeu ſubditorum ad Prin„ cipem, quatenus omnes tribuunt quæ communitati con„ veniunt legum præſcripto.

L

„ Lex eſt ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui „ curam communitatis habet, promulgata.

„ Lex æterna eſt ratio divinæ ſapientiæ, ſecundum quod eſt „ directiva omnium creaturarum in ordine ad bonum com„ mune totius univerſi.

„ Lex naturalis eſt rationis practicæ in bonum commune or„ dinatio, menti noſtræ a Deo indita, eaque præcipiens aut „ vetans, quæ lumine naturali cognoſci poſſunt.

„ Lex divina poſita ea eſt quæ ſacris in Literis fuit conſigna„ ta.

„ Lex humana eccleſiaſtica eſt regularum collectio, ab Eccle„ ſia ſeu a Romano Pontifice conditarum & adprobatarum, „ quibus fideles ad tranquilitatem æternamque batitudinem „ diriguntur.

„ Lex humana civilis illa eſt quæ a Principe ſeu Magiſtratu „ ad publicas cauſſas & civium utilitatem fuit conſtituta.

„ Libertas eſt ratio voluntati proponens objectum cum indif„ ferentia judicii ad agendum, vel non agendum.

„ Locatio eſt contractus oneroſus, quo uſus vel fructus rei vel „ perſonæ venditur pro pretio.

„ Lucrum ceſſans eſt emolumentum quod quis ceſſat percipe„ re, præciſa ratione mutui.

„ Ludus eſt contractus, quo ludentes conveniunt ut victori „ præmium aliquod cedat ab ipſis depoſitum.

„ Luxuria eſt uſus venereorum contra rationem.

M

„ Magia generatim accepta ars eſt mira quædam & inſolida „ operandi.

„ Magia naturalis illa eſt quæ mira quædam operatur natura„ lium cauſſarum applicatione.

„ Magia ſuperſtitioſa eſt ars falſa, a dæmone inventa, ad effe„ ctum faciendi effectus mirabiles & extraordinarios ope i„ pſius dæmonis.

„ Maleficium eſt ars falſa, a dæmone tradita, ad finem no„ cendi aliis opere dæmonis.

„ Matrimonium, ut contractus naturalis, eſt conjunctio maritalis

„ viri & fœminæ, inter legitimas perſonas individuam vitæ „ conſuetudinem retinens.

„ Matrimonium, ut ſacramentum, eſt conjunctio viri & fe- „ minæ, divinitus inſtituta, in ſignum conjunctionis Chriſti „ cum Eccleſia, habens promiſſionem gratiæ ad uniendos „ conjugum animos, & prolem pie educandam.

„ Matrimonium legitimum illud eſt quod jure ſeu conſenſio- „ ne gentium, & juxta legum civilium normam contrahitur.

„ Matrimonium ratum illud eſt, quod ſecundum Eccleſiæ leges „ perficitur.

„ Matrimonium conſummatum illud eſt quo carnali copula „ ambo conjuges commiſcentur.

In Arbore Genealogica.

„ *Stipes eſt illa perſona a qua omnes, de quarum conjunctione* „ *quæritur, per ſanguinem deſcendunt, & originem du-* „ *cunt.*

„ *Linea eſt ordinata ſeries perſonarum conſanguinearum a ſtipi-* „ *te deducta, ſecundum quam perſona magis propinqua capi-* „ *ti & ſtipiti præponitur, & ſucceſſive alii eo ordine quo* „ *diſtant, poſtponuntur.*

„ *Linea recta eſt ordinata ſeries perſonarum a ſtipite deſcenden-* „ *tium, vel immediate, vel mediate; ita tamen, ut una ſit* „ *ab alia genita.*

„ *Linea collateralis eſt ordinata ſeries perſonarum a ſtipite de-* „ *ſcendentium, ſive immediate, ſive mediate: ipſæ autem* „ *perſonæ a ſe invicem per generationem non deſcendunt.*

„ *Gradus eſt talis diſtantia perſonarum ſanguine junctarum, qua* „ *cognoſcitur, quanta ſit proximitas vel diſtantia inter per-* „ *ſonas quæ in linea includuntur.*

„ Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione falſum „ ſignificandi.

„ Mendacium jocoſum illud eſt quod proprium vel alienum „ ſpectat oblectamentum.

„ Mendacium officioſum illud eſt, quod utilitatem propriam „ reſpicit, vel aliorum.

„ Mendacium pernicioſum illud eſt quod in aliorum detrimen- „ tum profertur.

„ Metus eſt mentis trepidatio cauſſa periculi inſtantis, vel „ futuri.

„ Metus gravis, ſeu cadens in conſtantem virum, ille dicitur, „ qui excitatur a malo gravi futuro & probabiliter eventuro.

„ Metus levis, qui etiam vocatur irrationabilis, ille dicitur „ qui a levi malo excitatur: vel ſi etiam a gravi malo, ta- „ men irrationabiliter apprehenſo.

„ Miſ-

„ Missa est sacrificium novæ legis, consistens in consecratione
„ panis & vini, sub quorum speciebus realiter continetur
„ Christus: & est actus latriæ, qui fit per recognitionem
„ supremi dominii Dei, & signum nostræ servitutis.
„ Mohatra est contractus venditionis ad pretium summum pe-
„ cunia credita, cum pacto retrovenditionis ad pretium in-
„ fimum pecunia numerata.
„ Monopolium est conventio seu conspiratio, qua plures deli-
„ berant de tali merce non vendenda nisi hoc ut illo pre-
„ tio, ab ipsis designato.
„ Moralitas est ordo seu respectus quidam actus liberi ad ob-
„ jectum subditum regulis morum, ut prosequendum, si bo-
„ num, vel ut fugiendum, si malum.
„ Moralitatis species sunt bonum & malum. Prius est regulis
„ morum conforme, legi nimirum ac rationi: posterius ve-
„ ro difforme.
„ Murmuratio est confabulatio de factis notis seu publicis,
„ quæ possent in bonam partem sumi, ea vertendo in ma-
„ lam partem, exaggerando rem ultra meritum caussæ.
„ Mutuum est traditio rei consumptibilis in consumptionis
usum, & dominium mutuatarii; ut aliquo elapso tempore
„ tantumdem restituatur.

N

„ Necessitas medii est necessitas absoluta & simplex, ita obli-
„ gans sub pœna mortis æternæ, ut nullam admittat excu-
„ sationem.
„ Necessitas præcepti est necessitas illa quæ obligat quidem sub
„ pœna mortis æternæ, sed ignorantiæ invincibilis excusa-
tionem admittit.
„ Necessitate medii credenda sunt hæc: Deus unus ac trinus;
„ remunerator bonorum & vindex malorum; incarnatio,
„ passio, & resurrectio Christi Domini.
„ Necessitate præcepti credendi sunt omnes articuli, qui con-
„ tinentur in Symbolo Apostolorum, omnia sacramenta, &
„ quidquid sancta mater Ecclesia proponit ut credendum.
„ Negotiatio est emptio alicujus rei, ut eadem invariata &
„ immutata, vel revendatur, vel permutetur cum lucro ne-
„ gotiantis.

O

„ Occasio peccandi remota illa est quæ remote tantum indu-
„ cere potest ad peccandum, & in qua non solet homo de-
„ linquere: puta aspectu faciei personæ alterius sexus.

„ Occa-

„ Occasio peccandi proxima ea est circumstantia, in qua homo
„ constitutus plerumque delinquere solet.
„ Occasio peccandi absoluta illa est quæ ex natura sua urgen-
„ ter incitare valet quemcumque ad peccandum letaliter;
„ exempli gratia, aspectus voluntarius & morosus verendo-
„ rum alterius sexus.
„ Occasio peccandi respectiva illa dicitur quæ magnam vim im-
„ pellendi habet ad peccandum, non respectu cujuscumque,
„ sed respectu talis personæ: puta aspectus liberatus faciei
„ alterius sexus; quam videns letaliter concupiscere, aut de-
„ lectari morose plerumque solet.
„ Occasio peccandi proxima libera illa est, quæ voluntarie re-
„ tinetur, ac dimitti libere potest.
„ Occasio peccandi proxima necessaria illa est, quæ moraliter
„ dimitti nequit, quia non est in potestate peccantis ab illa
„ recedere: puta soror a fratre.
„ Odium Dei est aversio a Deo, qua voluntas Deum detesta-
„ tur, prout peccata prohibet, & pœnas infligit.
„ Odium proximi est expressa malevolentia, qua illi quis ma-
„ lum peroptat.
„ Opinio probabilis est assensus intellectus uni parti cum for-
„ midine partis oppositæ, propter motivum probabile seu
„ non contemptibile in ordine ad veritatem.
„ Opinio probabilior illa est, quæ magis accedit veritati; mi-
„ nus vero probabilis, quæ minus accedit eidem.
„ Oratio est mentis elevatio in Deum, & petitio decentium.
„ Ordo est sacramentum a Christo Domino institutum, in quo
„ traditur spiritualis potestas ad sacrosanctum Missæ sacrifi-
„ cium perficiendum, vel immediate, vel mediate, plus mi-
„ nusve, juxta cujusvis Ordinis gradum & officium.

P

„ Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem
„ Dei æternam.
„ Peccatum originale est, quod ex peccato Adami primi pa-
„ rentis traducitur in posteros per generationem, vitio con-
„ cupiscentiæ infectam, contrahiturque in unione animæ
„ cum corpore infecto.
„ Peccatum personale illud est, quod propria peccantis volun-
„ tate committitur.
„ Peccatum mortale illud est, quod ex se opponitur caritati
„ Dei & proximi.
„ Peccatum veniale vocatur illud, quod ex se caritati non op-
„ ponitur, sed ejusdem fervori dumtaxat.
„ Peccatum commissionis est actio contra vel præter legem,
„ quæ opere sive interno, sive externo completur.

„ Pec-

„ Peccatum omiſſionis eſt voluntaria omiſſio operis præcepti,
„ ſine ulla cauſſa legitime excuſante.
„ Perjurium eſt mendacium juramento firmatum.
„ Pignus eſt contractus, quo res mobilis creditori traditur in
„ ſecuritatem debiti.
„ Pœnitentia, ut virtus, eſt virtus moralis ſupernaturalis,
„ qua dolemus de peccatis commiſſis, quatenus ſunt offenſa
„ Dei, ex ſupernaturali motivo, cum propoſito amplius non
„ peccandi.
„ Pœnitentia, ut ſacramentum, eſt ſactamentum a Chriſto
„ Domino inſtitutum, quo per juridicam Sacerdotis abſolu-
„ tionem homini contrito & confeſſo remittuntur peccata
„ poſt baptiſmum commiſſa.
„ Pœnitentiæ materia remota ſunt peccata confitenda, & per
„ confeſſionem & abſolutionem deſtruenda.
„ Pœnitentiæ materia proxima ſunt actus pœnitentis, qui pro-
„ xime ſubjici debent abſolutioni.
„ Pœnitentiæ materia neceſſaria ſunt peccata letalia, poſt ul-
„ timam confeſſionem commiſſa, quorum quis conſcientiam
„ habet, & quæ ſubdere confeſſioni tenetur.
„ Pœnitentiæ materia ſufficiens ſunt peccata venialia, vel pec-
„ cata mortalia alias confeſſa & abſoluta, quæ quis confite-
„ ri non tenetur.
„ Pœnitentiæ ſacramenti miniſter eſt Sacerdos, habens poteſta-
„ tem Ordinis & juriſdictionis.
„ Pœnitentiæ miniſtri poteſtas eſt ſpiritualis facultas ligandi
„ atque ſolvendi.
„ Pœnitentiæ miniſtri poteſtas Ordinis eſt facultas ligandi at-
„ que ſolvendi, ab Epiſcopo tradita in collatione Ordinis
„ Sacerdotalis.
„ Pœnitentiæ miniſtri poteſtas juriſdictionis eſt ſpiritualis fa-
„ cultas, ad certas ac determinatas perſonas in foro con-
„ ſcientiæ judicandas a Superiore conceſſa.
„ Pœnitentiæ miniſtri poteſtas juriſdictionis ordinaria eſt facul-
„ tas ligandi atque ſolvendi, quæ ſequitur officium habentis
„ curam animarum.
„ Pœnitentiæ miniſtri poteſtas delegata eſt facultas ligandi at-
„ que ſolvendi, quæ habetur per conceſſionem Epiſcopi.
„ Pollutio eſt deliberata ſeminis effuſio extra vas femineum.
„ Precarium eſt rei alicujus quoad uſum ſolum gratuita con-
„ ceſſio, ad nutum concedentis revocabilis.
„ Præſcriptio eſt adeptio dominii per continuationem poſſeſ-
„ ſionis bonæ fidei, toto tempore a lege definito.
„ Pretium eſt juſtus valor mercis in eo loco in quo venditur.
„ Pretium legitimum ſeu legale eſt valor mercis, taxatus ab
„ habente publicam auctoritatem taxandi.

Pre-

„ Pretium naturale eſt valor mercis, taxatus juxta communem
„ ominum exiſtimationem; & hoc dividitur in ſupremum;
„ medium, & infimum.
„ Probabilitas intrinſeca illa eſt quæ a rationum pondere de-
„ ſumitur; extrinſeca vero quæ ab auctoritate graviorum
„ Doctorum depromitur.
„ Privilegium eſt Superioris decretum, ſpecialem favorem per
„ manenter concedentis agendi vel non agendi aliquid con-
„ tra vel præter legem.

R

„ Raptus eſt violenta perſonæ abductio da loco ad locum, ex-
„ plendæ libidinis cauſſa.
„ Religio eſt virtus, quæ debitum cultum Deo exhibet tam-
„ quam primo omnium principio.
„ Repreſſaliæ ſunt compenſationes malorum, quæ ab hoſtibus
„ ſunt illata.
„ Reſervatio caſuum eſt ſubtractio facultatis abſolvendi a qui-
„ buſdam determinatis peccatis, relicta poteſtate abſolvendi
„ ab aliis.
„ Reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ, quo alicui reddi-
„ ditur quod ab eo injuſte ablatum vel acceptum eſt; vel
„ quo compenſatur damnum injuſte illatum.
„ Reſtitutionis radices ſunt tres. Res accepta: injuſta actio,
„ ſeu acceptio: damnum illatum.
„ Reſtrictio mentalis eſt animi ſenſus, ſive conceptus, nulla
„ circumſtantia ſeu exteriore ſigno manifeſtatus: & com-
„ mittitur dum quis aliud verbis exprimit, aliud vero reti-
„ net mente.
„ Reſtrictio dictionis ſeu vocis eſt verborum prolatio quæ plu-
„ res habent ſignificationes.
„ Rixa eſt quædam contradictio in factis uſque ad percuſ-
„ ſionem; ſeu privatum bellum, ex privata auctoritate ſu-
„ ſceptum.

S

„ Sacramentum novæ legis eſt ſignum ſenſibile practicum rei
„ ſacræ, nempe gratiæ ſanctificantis, a Chriſto Domino in-
„ ſtitutum.
„ Sacrificium eſt oblatio exterior rei ſenſibilis, legitima aucto-
„ ritate inſtituta, & a legitimo miniſtro facta, ſoli Deo, cum
„ reali mutatione ejuſdem rei oblatæ, in proteſtationem di-
„ vini dominii ſuper omnes creaturas.
„ Sacrilegium eſt violatio ſeu leſio alicujus rei ſacræ; ut ſunt
„ vaſa

„ vasa ad usum sacrificii pertinentia ; vel est injuria irro-
„ gata personæ sacræ ; ut sunt Sacerdotes vel Sanctimonia-
„ les : vel denique est injuria illata loco sacro ; ut sunt Ec-
„ clesiæ, vel Cœmeteria.

„ Satisfactio Sacramentalis est pœnæ acceptatio, & voluntaria
„ perpessio, a Confessario injuncta ad redintegrandam ami-
„ citiam cum Deo per peccatum læsam, & ad compensandam
„ injuriam ipsi irrogatam.

„ Scandalum activum est dictum vel factum minus rectum
„ præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis.

„ Scandalum passivum est ipsa ruina spiritualis, illius nempe
„ qui scandalum patitur, accepta occasione ex dicto seu fa-
„ cto alterius.

„ Schisma est deliberata ab unione Ecclesiæ separatio.

„ Scriptura sacra, quæ est prima regula fidei, est verbum Dei
„ scriptum ministerio Prophetarum, & Apostolorum, alio-
„ rumque divinorum Amanuensium.

„ Seditio est bellum aggressivum unius partis Reipublicæ con-
„ tra aliam partem, vel contra proprium Principem.

„ Sigillum est religiosa obligatio tacendi ea quæ audita sunt
„ in confessione sacramentali, orta a jure divino, naturali,
„ & ecclesiastico.

„ Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid
„ spirituale, vel spirituali adnexum.

„ Simonia mentalis est traditio temporalis pro spirituali, sine
„ pacto explicito, sed tantum mente retento.

„ Simonia conventionalis est conventio partium quæ paciscun-
„ tur de temporali tribuendo pro spirituali.

„ Simonia realis est ipsa traditio temporalis rei pro spiritua-
„ li, juxta explicitam promissionem, seu conventionem fa-
„ ctam.

„ Simonia confidentialis est renuntiatio, permutatio, aut re-
„ signatio beneficii, absque licentia legitimi Superioris, sub
„ confidentia rei temporalis acquirendæ.

„ Simonia ficta est ficta conventio dandi temporale pro spiri-
„ tulai, cum intentione non adimplendi.

„ Sodomia est concubitus ad non debitum sexum ; puta ma-
„ sculi ad masculum, vel feminæ ad feminam.

„ Sollicitatio est procuratio ad inhonesta sive inrer pœnitentem
„ & Confessarium, sive cum aliis, quomodolibet perpetran-
„ da in actu sacramentalis confessionis, sive antea, sive
„ post immediate ; seu occasione vel prætextu confes-
„ sionis, sive extra occasionem confessionis, in Confes-
„ sionali, aut alio loco ad confessiones audiendas ele-
„ cto.

„ Sortilegium sive sors est, dum ab homine aliquid fit, ut e-

„ jus

„ jus eventu considerato, innotescat aliquid occultum.
„ Spes theologica est virtus supernaturalis infusa, qua volun-
„ tas humana sperat æternam beatitudinem Dei auxilio obti-
„ nendam.
„ Sponsalia sunt promissio de futuro matrimonio, mutua,
„ & libera, externis signis expressa, obligationem pa-
„ riens.
„ Sponsio, Italice *Scommessa*, est quidam contractus, in quo
„ duo vel plures de veritate alicujus rei vel eventus conten-
„ dentes, sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus fiat qui fue-
„ rit veritatem assecutus.
„ Stuprum est concubitus cum femina virgine; seu est defiora-
„ tio puellæ virginis per fractionem clausuri virginalis.
„ Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.
„ Superstitio est vitium Religioni oppositum secundum excess-
„ sum: quia exhibet cultum divinum vel cui non debet,
„ vel eo modo quo non debet.
„ Suspensio est censura ecclesiastica, per quam Clericus pri-
„ vatur usu officii aut beneficii, in totum, vel in par-
„ tem; ad tempus, vel in perpetuum: a lege, vel ab ho-
„ mine.
„ Suspicio est infirmus assensus de malo proximi cum formidi-
„ ne alterius partis oppositæ.
„ Susurratio est verbum seminans inter amicos discordias.
„ Syndéresis est inclinatio a Deo nobis indita, qua de primis
„ principiis moralibus judicamus, quæ sunt sequentia: *Bo-*
„ *num est faciendum, Malum fugiendum, Quod tibi fieri non*
„ *vis, alteri ne feceris*: & id genus similia.

T

„ Tentatio Dei est actus contra Religionem, quo quis absque
„ justa causa aliquid agit, vel omittit, aut dicit ad capien-
„ dum experimentum de divina perfectione, puta justitia,
„ sapientia, omnipotentia.
„ Testamentum est ultimæ voluntatis dispositio, solemniter fa-
„ cta, cum institutione hæredis.
„ Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, vel quorum-
„ vis aliorum mobilium pretiosorum, quorum non exstat
„ memoria ad quem dominum ipsa pertineant.
„ Timor est fuga mali ardui quod vitari facile nequit.
„ Timor filialis, qui etiam castus nuncupatur, est donum Spi-
„ ritus sancti ex amore proficiscens.
„ Timor servilis ille est qui pœnam respicit quam timet, sed
„ Spiritus sancti donum non est.
„ Timor mundanus est humanus respectus, qui turpis est.

„ Tra-

„ Traditio Divino-Apostolica est doctrina Christi, oretenus A-
„ postolicis tradita, & ad nos usque per continuatam succes-
„ sionem derivata.
„ Transubstantiatio est totalis conversio substantiæ panis & vi-
„ ni in verum corpus & sanguinem Christi.

V

„ Vana observantia est superstitio, quæ vanis & ineptis me-
„ diis utitur ad aliquem exteriorem effectum producendum.
„ Vana observantia notoria illa est, qua quis utitur mediis im-
„ proportionatis ad acquirendam scientiam.
„ Vana observantia sanitatum illa est quæ media disparata ad-
„ hibet, nempe imagines astronomicas, orationes arbitra-
„ rias, & alia id genus, ad morbos curandos.
„ Vana observantia futurorum eventuum est prædictio prospe-
„ ræ, vel adversæ fortunæ, ex vanis prorsus signis ad ejus-
„ modi prædictionem prænoscendam derivata.
„ Venditio est pactio mercis dandæ pro determinato pretio.
„ Veneficium est ars ope dæmonis inducta, qua homini, aut
„ ejus animalibus corporale nocumentum infertur.
„ Violentia est vis a principio extrinseco illata subjecto contra
„ naturalem inclinationem ejusdem.
„ Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua
„ nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.
„ Vitium est mala qualitas mentis, qua male vivitur, qua ne-
„ mo bene utitur.
„ Voluntarium est id quod a principio intrinseco est cum co-
„ gnitione finis.
„ Voluntarium necessarium illud est quod a voluntate prosilit
„ non indifferente, sed ad unum determinata; ut patet in
„ amore beatifico, qui ex perfectissima cognitione summi
„ boni oritur.
„ Voluntarium liberum illud est quod a voluntate procedit ad
„ utrumlibet indeterminata, ut est amor hominis in via.
„ Voluntarium elicitum illud est quod a voluntate immediate
„ producitur.
„ Voluntarium imperatum illud est quod voluntate imperante
„ ab aliis potentiis efficitur.
„ Voluntarium directum illud est quod voluntatis reali influ-
„ xu producitur.
„ Voluntarium indirectum seu interpretativum, quod etiam
„ nuncupatur voluntarium in causa, illud est quod positive
„ expresse a voluntate non procedit, ei tamen imputatur
„ ex omissione, qua quis non impedit malum quod impedi-
„ re tenetur.

„ Vo-

„ Voluntas est facultas spiritualis indifferens ad agendum vel „ non agendum.

„ Votum est promissio Deo de meliore bono.

„ Votum simplex, est promissio facta Deo de meliore bono, „ absque solemnitate, seu Ecclesiæ acceptatione.

„ Votum solemne est promissio facta Deo coram Ecclesia; ut „ fit in professione Religiosa, vel in Subdiaconatus rece- „ ptione.

„ Votum reale est promissio facta Deo de aliqua re, quæ alia „ est a vovente.

„ Votum personale est promissio facta Deo de aliqua re, quæ „ voventis personam afficit, ut servare castitatem, jejuna- „ re &c.

„ Votum absolutum est promissio facta Deo ob simplicem vir- „ tutis amorem.

„ Votum conditionale est promissio facta sub conditione, vel „ quod aliquod bonum concedatur, vel aliquod malum a- „ vertatur.

„ Votum pœnale est promissio facta Deo de re aliqua adim- plenda in pœnam alicujus mali perpetrati.

„ Usucapio est acquisitio dominii rerum mobilium, per posses- „ sionem bonæ fidei continuatam tempore a lege definito. „ Immobilia vero respicit præscriptio.

„ Usum est lucrum perceptum ex mutuo vi mutui.

„ Usura realis illa est qua pactum fit de lucro, ipsumque ex- „ presse accipitur ratione mutui.

„ Usura mentalis illa est qua datur mutuum ea principali in- „ tentione aliquid recipiendi supra sortem, licet expresse „ nullum pactum intervenerit.

„ Usura formalis illa est qua ex mero mutuo accipitur lucrum „ nullo alio titulo antecedente.

„ Usura virtualis, quæ dicitur etiam palliata, illa est qua ex „ mutuo accipitur lucrum sub specie & pallio alterius con- „ tractus.

„ Usus est jus mere utendi aliqua re aliena, salva illius sub- „ stantia.

„ Ususfructus est jus nedum utendi, sed & fruendi aliqua re, „ salva illius substantia; unde ex fructibus perceptis potest „ quis diteſcere, aliis donare, vendere &c. quæ habenti me- „ rum usum minime conveniunt.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM
CUM NUMERO MARGINALI.

A

ABbatiſſa non poteſt diſpenſare in Votis ſuarum monialium. 593. nec diſpenſare in lege jejunii. 988.
Abbreviare vitam an liceat? 664.
Abiegatus 762.
Abortus 668. & ſeq. quas pœnas incurrat illum procurans. 670.
Abrogatio Legis 245.
Abſolutio moribundi 117. & ſeq.
Abſtinentia 987. & ſeqq.
Acceſſio quid ſit & quomodo fiat 880.
Acceſſoria, quando in dubio præſumantur 38.
Acedia 340. & ſeqq. Remedia contra acediam 342.
Actio humana unde dicatur bona vel mala, in Procemio. An actus mere interni per ſe ac directe a legislatore humano poſſint præcipi aut prohiberi 145. & ſeqq. An a ſuperiore vel confeſſario 162. Actio, ex qua prævidentur tentationes 304.
Actus voluntatis quomodo ſpecificentur ab objectis 13. Actus mere interni an poſſint præcipi 145. 146. & ſeq. 162. 163. quando actus dicantur moraliter uniri 29. 314. interruptio actuum. 292. Actus externus debet exprimi in confeſſione 738.
Advertentia requiſita ad peccatum 280. 282. 296.
Advocatus 116. 776.
Adulatio 315. n. 5.
Adulterium 746. ad quid teneatur adulter 66. 802. An in Adulterio deprehenſam marito liceat occidere. 673. & ſeq. ad quid obligetur adultera 801.
Ægrotus an teneatur ſumere medicinam 665.
Aeromantia 426.
Ætas quænam requiratur ad hoc, ut pueri obligentur LL. naturalibus & divinis 208. legibus humanis, ibidem. Quænam ætas ad obligationem jejunii 1001.
Æquivocatio in juramento 539.
Affinitas 747.
Ager in quo reconditus eſt theſaurus 853.
Aggreſſorem vitæ iniquum an liceat occidere? 659. 672. 674. & ſeq. de aggreſſore bonorum temporalium 676. & ſeq. aggreſſor famæ 678.
Aliena peccata 315.
Alluvio 880.
Ambitio 219.
Amentes an obligentur legibus 207. an liceat eos ad malum allicere 209.
Amor Dei ſuper omnia, vide charitas, actus amoris 402. gradus amoris 407.
Amor filiorum erga parentes 631. & 636.
Amplexus 725. 730. 732.
Antichreſis contractus 944.
Anxius de ſalute 391.
Appretiative ſuper omnia diligere Deum quid ſit 397.
Apoſtaſia 368.
Arbiter 113.
Ars notoria. 439. Ars punctatoria 437.

Aruſpicium 426.
Artificum obligatio 776.
Aſſaſinium 656.
Aſſecuratio 941.
Aſſumptio Divini Nominis licita & illicita 512. & ſeq.
Aſpectus turpis 305. 686. 729.
Aſtrologia judiciaria 427. 330.
Aſylum 467. gaudentes jure Aſyli. Excluſi ab hoc jure. ibid.
Atheiſmus 367.
Avaritia 322. 323. Remedia contra Avaritiam 324.
Auditio Miſſæ 17. 18. 198. 199. 201. 202. 240. 244.
Author unus junior an ſententiam reddat probabilem? 95. 96. An liceat varios Authores conſulere ad inveniendam favorabilem ſententiam 97. 98.

B

Bannitus an poſſit occidi 657.
Baptiſmi neceſſitas 344. quomodo adultus debeat eſſe diſpoſitus ad baptiſmum 345.
Bellum 657. 659. Bellidux minuta prohibens 181.
Beneficiati 99. 493. beneficiorum pluralitas 99.
Benedictionem S. Joannis bibere 422.
Beſtialitas 758.
Bibuli quomodo a Confeſſario dirigendi 332.
Blaſphemia 509. Eſt peccatum mortale ex genere ſuo 510. quid obſervandum, ſi pœnitens in genere dicat, quod blaſphemaverit 515. blaſphemantium excuſationes 516. Varii modi & formulæ blaſphemantium a n. 515. uſque 520. Remedia contra blaſphemias 521.
Bona Conjugum 795. filiorum 805. bonorum ſpiritualium quatuor genera 845.
Bona incerta, cui reſtituenda 778. Inventa ibid. derelicta 761. & ſeq. 879.
Bona temporalia diſſipantes Parentes 641.
Bona fides in rebus juris 883.

C

Caffeo potus an violet jejunium 1000.
Cambium 940.
Cantus turpes 726. 734.
Carceris effractio an reo ſit licita 191.
Carnes an liceat comedere ad diſſimulandam fidem 364. Comedens carnes die jejunii 987. 993.
Caſtratio an ſit licita 663.
Caſte vivendi media 759.
Caupo an licite vinum apponat ſe inebriaturo 331.
Cenſus 931. quæ requirantur ad cenſum juſtum 932.
Cenſura a quibus incurratur 234.
Certum quid ſit dicendum 75. Certum fide divina 75. ibid. de certitudine phyſica, metaphyſica, morali, perfecta, & imperfecta.
Charitas erga Deum 397. ejus eliciendæ obligatio 400. & ſeq. Modus 402. & ſeq. Præceptum Charitatis ut eſt affirmativum, ad quid obliget 398. prout eſt negativum, quid prohibeat 399. media proficiendi in Charitate Dei 404. quomodo dirigendi ſint anxii, an ſatisfaciant præcepto Charitatis 405. gradus Charitatis 407. non agit contra Charitatem, qui operatur intuitu mercedis 406. Charitas erga proximum a n. 700. per totum.
Chiromantia 432.
Chirurgus 671.

Choreæ 625.
Cioccolata potus an violet jejunium 1000.
Circumſtantiæ ſpeciem mutantes 288. & 312. de aggravantibus ibid.
Clerici an teneantur Legibus civilibus 178. Clerici percuſſio 473.
Coactio 239.
Codicillus 951.
Cogitationes peccaminoſæ, blaſphemæ &c. 20. laſcivæ 19. 727. quid confeſſario obſervandum, ſi pœnitens in genere ſe accuſet cogitationum turpium; 733.
Cognatio 747.
Columbas alienas capiens 859.
Commodatum 909. ad quid teneatur Commodatarius ibid. Commodans qui non aperit vitium rei commodatæ 910.
Communicatio privilegiorum 269. Communicatio cum Acatholico in Germania 380. & ſeq.
Commœdiæ obſcœnæ 303. 686.
Compenſatio occulta 769. & 808. an liceat famulo ob damnum a Domino illatum ibid. an ob tenue ſalarium. 309.
Conceptionem an liceat impedire 669.
Concubinatus 741.
Concupiſcentiæ motus quinam ſint peccata 300.
Conditio adjecta an deſideria faciat licita 302.
Conductio. Conductor 946. & ſeq.
Confeſſarius rudium 15. 27. Quando debeat examinare pœnitentem 359. ſi erraverit circa reſtitutionem 787. an contra propriam ſententiam debeat ſe conformare probabili pœnitentis 120. & ſeq. abſolvens cum juriſdictione tantum probabili 123.
Confeſſio. De ſigillo Confeſſionis 305.
Conjuges: quid iis liceat, quid non 731. 310. mutuo conſenſu vota irritare non poſſunt. 601.
Conſcientia quid & quotuplex 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. tenera, laxa phariſaica 8. Recta 9. recta phyſice, non ethice, & vice verſa 6. Invicibiliter erronea 6. 10. Vincibiliter erronea 6. 11. Erronea unde derivetur 24. Conſcientia conſequens 12. agens contra conſcientiam peccat. 13. 17. 18. ſciens actionem eſſe peccaminoſam, non tamen cogitans, an venialiter vel mortaliter 14. quid confeſſario agendum cum taliter peccantibus 15. quid agendum cum laborantibus conſcientia erronea 21. Unde dignoſcendum, an pœnitens laboret conſcientia vincibiliter, an invincibiliter erronea 26. de conſcientia dubia 33. 34. Conſcientia perplexa 32. 40.
Conſenſus imperfecti ſigna 297. perfecti 298. Conſenſus formalis, virtualis, interpretativus 299.
Conſilia Evangelica an poſſint præcipi 165.
Conſiliarius, Conſilium, Conſultatio 14. & ſeqq. ſecretum teneat 150.
Conſuetudo contra legem 247. deponenda 712.
Contemptus formalis legis 183.
Contractus quid ſit 887. quaſi contractus 776. Conditiones validi contractus 888. uſque ad 892. In ebrietate initus 892. Inducens ad peccatum 893. Juramento confirmatus 894. & ſeq. ex errore 896. Ex metu 897. Contractus ſocietatis 941. Contractus Antichreſeos 944.
Contritio perfecta 402.
Contumelia 964. Convitium 965.
Converſionis propoſitum differens Acatholicus 379. modus talem inſtruendi 383.
Convivarum certum numerum timere, ſuperſtitioſum 436.
Cooperari alterius peccato 689.
Cooperatio ad damnum 775. & ſeq.

Correctio ſive Correptio proximi 711.
Crapula 328. & ſeq.
Creditoribus quo ordine ſolvendum 781.
Credenda neceſſitate medii 346. Præcepti 347.
Crimen occultum manifeſtans 971. 972. Crimen læſæ majeſtatis 656.
Culpa Theologica, juridica, lata, latior &c. 774.
Cultus Sanctorum, & Imaginum 412. Signa cultus latriæ 413. Cultus ſuperſtitioſus 418. & ſeq.
Curator ad quid obligetur 642.
Cyngaros conſulere an liceat 431.

D

DÆmoni ſe conſecrare, credere &c. 415. pactum cum Dæmone 416. Damnum ſine culpa Theologica illatum an obliget ad reſtitutionem 774. & 790. Non impediens damnum an obligetur ad reſtitutionem 775. an damnum non præviſum ex poſita cauſa imputetur ad culpam 308.
Dataria Apoſtolica 493.
Debita 777. Debitum conjugale 68. Debitum ex ſententia judicis altera ſolutione extinctum 822. Debitor moroſus an teneatur ob moram ſolutionis ad omne damnum reſarciendum 839.
Decimæ 857.
Delectatio moroſa 293. 724. 727. 733. & ſeq. An circumſtantia de actu maritali ſit exprimenda 310. Delectatio dupliciter ſpectata circa peccaminoſum objectum 295. 724.
Depoſitum 911. Depoſitarii obligatio, ibid. de qua culpa teneantur caupones, nautæ, ſtabularii, molitores &c. circa res apud ſe depoſitas 912.
Derogatio 245.
Deſideria turpia 294. 726.
Deſperatio 316. 386. 394. Media contra deſperationem 395.
Detentio injuſta rei alienæ 779.
Detractio 14. 962. quot modis fiat 963. 972. & ſeq. Detrahens uni in diverſis materiis, item coram pluribus 314. de manifeſtante crimen occultum 966. 963. & 971. de affingente falſum crimen 969. & ſeq. detrahens inadvertenter 974. manifeſtans delictum ex charitate 976. leves de alio defectus dicens 977. an detrahat, qui delictum illi manifeſtat, a quo debet corrigi 978. uni tantum manifeſtans ſub ſilentio 979. & ſeq. de modo reſtituendi famam 982. & ſeq. cauſæ excuſantes a reſtitutione famæ 986. audientes detractorem 985. Defuncto detrahens 975.
Dictamen ultimum & practicum Conſcientiæ debet eſſe certum 92. Ex quibus principiis 93. Regula Bened. XIV. 93. dictamina operantis ex conſcientia invincibiliter erronea 24.
Dies Dominica ejuſque ſanctificatio 615. quid obſervandum, ſi pœnitens in genere ſe accuſat: non ſanctificavi diem Dominic. 619. varie delinquentes contra tertium præceptum decal. a. n. 620. uſque 630.
Dilectio Dei 397. Proximi 700. Inimicorum 704. quid confeſſario obſervandum circa dilectionem inimicorum 719. & ſeq.
Diligentia moralis 6.
Diſciplinæ Religioſæ neglectus 650.
Diſcipuli quid inſtructoribus debeant 650.
Diſcordias ſeminare 717.
Diſpenſatio quid ſit 248. quotuplex 249. 250. ut ſit valida & licita, quid requiratur 271. poteſtas diſpenſandi ordinaria, & delegata 251. & ſeq. quando ſit neceſſaria 262. Ejus ceſſatio 263. Cum vagis & pe-

& peregrinis 271. ob & subreptitia 271. super voto castitatis 605. & seq. dispensatio præsumpta non sufficit ad ordines 249. ibid. de impedimento matrimonii. Inferior dispensans in lege superioris 250. in dubio, an opus sit dispensatione 262. modo petendi dispensationem Romæ. Vide votum, & in secunda parte matrimonium. Petens temporale pro dispensatione 505. de dispensatione voti 593.
Disputans de fide indoctus 375.
Dissipantes bona quomodo peccent 641.
Distinctio specifica & numerica peccatorum: vide peccatum.
Distillatio venerea 751.
Distractio in orationibus 409.
Divinatio 416. species divinationis 426.
Domicilium & quasi domicilium 210.
Dominium 876. quomodo acquiratur 877. Dominorum erga famulos obligatio 647.
Donatio 902. & seq. inter vivos 905. quando possit revocari, ib. & seq. mortis causa 908. quomodo revocetur, ib. donatio metu exorta 844. liberali donatione non extinguitur debitum justitiæ 200.
Dormiens an possit peccare 309.
Dubium quid & quotuplex 28. 29. 30. 31. quid agendum in dubio practico 33. speculativo 34. 41. in dubio operans 33. 44. usque 48. quomodo deponendum dubium juris 35. 36. facti 37. 38. 42. 43. dubitans de articulo fidei 377. De ætate ad ordines 46. de inchoata die jejunii 44. de obligatione jejunandi 45. 46. 47. 48. dubius de jejunio naturali 49. De peccato in ipso actu 23. de peccato confesso 52. dubia de dolore in confessione præcedente 53. de homicidio an sit irregularis 55. quid in dubio præsumendum 54. 58. dubitans de voto 54. 60. 61. 62. dubium de sufficiente deliberatione ex defectu ætatis 58. dubium de voto, an sit impletum 63. de dubio, quis sit Pater 64. 65. 66. dubitans uxor de morte mariti 67. 68. dubium exortum de impedimento post contractum matrimonium 69.
Duellum 660. 679. & seq. propositiones de duello damnatas a Bened. XIV. vide in P. 2. n. 1429.
Duratio actus peccaminosi 314.

E

EBrietas 328. & seq. an aliquo casu licita 335. an liceat ad eam inducere alium 329. 330. ebriosi quomodo a Confessario dirigendi 332. & 336. Ebrii an sint subjecti præceptis Ecclesiasticis 207. signa plenæ ebrietatis 334. advertens periculum ebrietatis 332. 333. an liceat se inebriare ex gravi causa 335. remedia contra ebrietatem 336. ebrius damnificans 790.
Ecclesiæ quibus modis sacrilege tractentur 466.
Educatio filiorum duplex 634.
Electuaria an violent jejunium 1000.
Effectus mali non prævisi an debeant imputari 208.
Eleemosyna 705. & seq. quas Uxor licite possit distribuere 797. quas ancillæ 811.
Emphitheusis 948.
Emptio, Venditio 926. Emere die festo 617. obligatio venditoris 927.
Episcopi obligatio 648. Ejus potestas dispensandi 254.
Epikeia 172. quando valeat 274.
Error formalis & materialis 71.
Errorem pœnitentis quando confessarius corrigere vel dissimulare debeat 21.
Evangelica Consilia 165.
Evictio 928.

Evidens 75.
Eunuchus 743. 662.
Excommunicatus 371.
Executor Dispensationis 613.
Exorcismis coacto Dæmoni an sit credendum 415.

F

FAmæ aggressorem an liceat occidere 678.
Famulari Acatholicis an liceat 380. famulorum erga heros obligatio 644. & viciss. 647. famulus concurrendo ad peccatum heri peccat 645. & seq. famulum Acatholicum an liceat die festo ad labores adstringere 627.
Feripeta 860.
Festa quomodo celebranda 615.
Feudum 949.
Fidejussio 942. Fidejussor 943. fideicommissum 951.
Fides Theologica 343. Fides actualis ex & implicita 344. Ejus necessitas 345. Necessitas fidei explicitæ Dei existentis & remuneratoris 346. necessaria necessitate præcepti 347. præceptum fidei negativum 348. prout est affirmativum 349. 352. quid ad actum fidei requiratur ibid. & 353. quoties eliciendus actus fidei 352. 349. dubium circa fidem 41. 348. 377. fidem negare nunquam licet 350. fidem externe negans 374. signa negatæ vel non negatæ fidei 362. & seq. quando amittatur fides 374. fidei professionem differens 379. quinam teneantur ad professionem fidei 366. quid Confessario observandum, si pœnitens non sit instructus in rebus fidei 355. 256. & seq. 359. Verbis simulare fidem 361. facto 363. & seq. veram fidem tueri 365. media conservandi fidem 382. modus instruendi eos, qui se volunt convertere ad veram fidem 383.
Fiducia recte ordinata 461.
Filiorum erga parentes obligatio 631. & seq. filius in puncto vocationis an teneatur obedire parentibus 639. filii ad iram provocantes patrem, vel matrem 636. rixas seminantes 637. matrimonium contrahentes contra voluntatem parentum 638. quid confessario observandum, si liberi se accusent inobedientiæ, irreverentiæ &c. erga parentes 635. Filius an possit sibi clam surripere salarium pro labore 806.
Fœminarum superstitiosæ benedictiones 439.
Fœtum non licet expellere 659.
Forensia negotia die festo prohibita 617.
Formula dispensandi super voto 612. super voto castitatis ib. quid agendum Executori Dispensationis 613.
Fornicatio 737. An cum sponsa alterius sit speciale peccatum 739. ib. de fornicatione cum infideli. Modus naturalis non servatus 743. restitutio facienda ex fornicatione 800.
Fraterna Correptio 711.
in Fraudem legis agere, quid sit? 260.
Frigidus 743.
Fructus naturales, industriales, mixti 813.
Fugere an liceat reo 191. An Christiano liceat fugere ad evitanda damna propter fidem imminentia 360.
Furem an liceat occidere 675. & seq. furtum 761. & seq. quantitas requisita ad peccatum mortale furti 963. & 792. furta minuta 284. & 343. & 767. & 791. & 792. & seq. furta filiorum 803. & seq. furta cum aliis ex condicto sociis 767. furta domesticorum 807. ubi de ancilla sibi retinente crucigeros: Furta esculentorum & poculentorum 811. causæ excusantes 768. quid agendum Confessario, si pœnitens in genere se accusat furti 786. furtum ex joco commissum 788. furtum in ebrietate commissum 789.
Futura prædicere 431.

G

Gabella 855. & seq.
Gaudere de malo & delectari sub conditione an & quando liceat? 715.
Generationem prolis an liceat aliquando impedire 669. & 742.
Geomantia 426.
Gloria vana, quale peccatum 319.
Gratitudo 486.
Gula 328.

H

Habitatio 876.
Hæres ad quid obligetur 104. & 580. & 776.
Hæreditatem admittens, sed nolens solvere pia legata.
Hæresis & Hæreticus 367. & 371. cum Hæreticis an liceat communicare 372. iis famulari an liceat 380. Eorum funera, nuptias &c. honorare 381. Pœnæ in hæreticos statutæ 370. ad eas incurrendas quid requiratur 371.
Hæresin formalem unde dignoscas? 378. materialem 379.
Heri erga famulum obligatio 647.
Histriones 686. vide, Comœdiæ.
Homicidium 655. qualificatum 312. 317. 656. proditorium 656. de homicidio a se facto dubitans an sit irregularis 55.
Honor 965.
Horam Canonicam unam potes recitare, non item reliquas; An teneatis ad unam? 241.
Hydromantia 426.
Hypocrisis 319. & seq.
Hypotheca 942. Hypothecarii Debitores aliis in solutione præferendi 781.

I

Jactantia 319.
Idololatria 412.
Jejunium Ecclesiasticum 987. an præceptum jejunii sit divisibile 995. & seq. Constitutiones Ss. D. N. Bened. XIV. de jejunio 996. Jejunii dies, quando incipiat obligare 220. Dubitans an jam inceperit: An licite pergas comedere carnes 45. An toties peccet, quoties comedit quis carnes in die jejunii 993. Ipsa jejunii die dubitans, an audita sit duodecima, teneris abstinere 48. Jejunii die cogeris anticipare prandium, an tenearis nihilominus jejunare 244. Sæpe modicum quid comedis ad notabilem denique quantitatem, quomodo pecces? 284. 992. Singulis diebus jejunii modicum comedens an peccet graviter 283. Jejunare non potes hac die quadragesimæ, an & cras & de cætero liber sis? 241. Jejunare die Paschæ estne superstitio? 423. Causæ Excusantes a jejunio 988. & seq. an excusetur, qui ludo pilæ &c. se defatigatur, 998. quantum liceat sumere in collatiuncula 992. 999. quid de potu dicendum 1000. quonam senectus excuset a lege jejunii 1001. festo Nativitatis Christi, si hoc in diem veneris incidat, licet vesci carnibus, nisi obstet votum vel regularis observantia 994.
Ignorantia quid & quotuplex 222. & seq. An & quæ excuset a lege 228. & seq. Ignorantia pœnæ an excuset a pœna 231. & seq. Ignorantia mysteriorum fidei 374. & 375. ignorantia legum naturæ 230. Ignorantia prohibitionis, & pœnæ 231. & 232. exceptiones 233. & seq.
Illicitum 71.
Imaginum cultus licitus 412.
Impediens alterum a Consecutione boni 872. & seq. Impediens manifestando leves ejus defectus 874. impediens dignum a beneficio. Ibid. Impediens generationem prolis 742. 755.
Impedimentum 255. Ponens impedimentum servandi legem 256.
Impœnitentia 316.

Impotentia qualis excuſet a lege 240. 255.
Imprecatio, 15. 712. imprecationes diverſæ in uno æſtu 314. Imprecari rebus irrationalibus 713. Unde ſerius animus imprecantis dignoſci queat 714. parentibus mortem imprecari 715.
Improperium 965.
Improbabile 71.
Impugnatio agnitæ veritatis 316.
Incantatio 439.
Incertum quid dicatur 75.
Inceſtus 747. & ſeq. quomodo inceſtus differant, ib. 748.
Indignatio 337.
Infantes non habeantur a matribus in eodem lecto 641. Infantem exponere an ſit peccatum 641. tenetur mater alere per triennium, ib. Infantibus an liceat dare carnes die Veneris 208.
Infideles an obligentur legibus Eccleſiaſticis 221. An communicare cum iis liceat 372. infideles non peccant in omni opere 374.
Infidelitas 367. 369.
Infirmitas quando excuſet a lege 240. 261.
Inimicorum dilectio 704. 719.
Injuria illata 771. Injuria illata corpori per homicidium, mutilationem &c. quomodo compenſanda 359 & ſeq.
Innocentem an liceat occidere 659.
Inobedientia formalis 318.
Intemperantia 328
Intenſive ſuper omnia diligere Deum, quid ſit 397.
Intentio an & quæ requiratur ad ſatisfaciendum legibus & voto 196. Intentio bona quamdiu duret? 403. agere intuitu mercedis non diſplicet Deo 406.
Interpretatio legis 171. 273.
Interruptio peccatorum augens numerum 290. & ſeq. 314.
Invaſorem quando occidere liceat? 659. 669.
Inventæ res an & cui debeant reſtitui 778. 862.
Invidia 225. Invidentia gratiæ 316. 326. remedia contra invidiam 327.
Ira 337. iracundia ib. & n. ſeq. remedia contra iram 339.
Irreligioſitas 453.
Irregularitas in dubio commiſſi homicidii 55.
Irritare vota 592.
Iter facere diebus Dominicis & feſtis an liceat? 615.
Judaiſmus 367. Judæis liceatne communicare? 372. non obligantur legibus Eccleſiaſticis 221.
Judex ad quid teneatur? 88. 110. & ſeq. 776. Judici munera offerre pro patrocinio injuſtæ cauſæ an liceat? 684.
Judicium temerarium 961.
Juramentum quid, & quotuplex 522. & ſeq. quando ſit licitum 524. jurans quando peccat & quomodo 526. 541. jurans per falſos Deos 543. an obliget fictum juramentum 547. Conditiones imbibitæ in promiſſorio 549. Juramentum ſit quatuor modis 550. de interpretatione juramenti 551. materia juramenti 525. metu extortum an obliget 544. petere ab infideli & pejeraturo an liceat 548. 688. jurare ficte an liceat? 546. Jurans latroni & uſurario 544. quando ceſſet obligatio juramenti 527. quid obſervandum, ſi pœnitens in genere dicat, ſe juraſſe 528. in dubio, an verba ſint juratoria, nec ne 529. quænam formulæ ſint juratoriæ 522. 530. & ſeq. jurans cum reſtrictione mentali 536. & ſeq. cum æquivocatione 539. juramentum non implens 540. an liceat exigere juramentum, quem puto pejeraturum, vel per falſos Deos 548.
Juriſdictio in genere quid & quotuplex 167. jurisdictio præſumpta non ſufficit 249.

Jus in genere 875. ſpecies juris 876. Jus gentium 137.
Juris naturæ principium fundamentale 134. Jure naturæ quænam graviter vel legiter ſint prohibita, ibid.

L

LAborare die feſto non licet 615. Labores liciti 616. cauſæ excuſantes laborantes ſerviliter 618.
Lacticinia 994. & 987.
Lectio obſcœnorum 726.
Legalia V. T. 136.
Legatum annuum quamdiu duret 953. de piis Legatis 952.
Legislator quis 168. an obligetur legibus propriis 177. an poſſit ſecum diſpenſare 272.
Lex quid? 133. de lege naturæ 134. Lex poſitiva divina 135. & 136. lex humana 137. & ſeq. Conditiones ad veram legem 142. de promulgatione Legis 143. 149. & ſeq. quæ promulgatio requiratur ad LL. Pontificias 153. de acceptatione legis 144. 157. & ſeq. Leges Eccleſiaſticas quis poſſit condere 168. 169. quis civiles 170. An & quomodo lex humana obliget in conſcientia 137. quid requiratur ut obliget graviter 182. unde colligendum, quod legislator intendat obligare graviter 184. in Præſumptione fundata 193. militaris 184. præceptiva & pœnalis an obliget ante ſententiam judicis 189. 190. Circa rem diviſibilem an ſecundum patres obliget 241. & ſeq. an præcipiat pure interna 145. In fraudem legis quis agat 260. quando lex obligare incipiat 152. quando implenda 220. Ejus abrogatio 245. Ejus acceptatio 144. & 157. Cauſæ quæ excuſant ab illa 222. Diſpenſatio 248. Interpretatio 171. & 273. Legis ſubjectum 176. & 207. Legibus civilibus an obligentur Clerici & Religioſi 178. Legibus Eccleſiaſticis an Judæi, Catechumeni & Infideles obligentur 221. Eccleſiaſticis, item naturalibus & humanis quando incipis obligari 203. &c. his an pueri amentes & ebrii teneantur, ibid. Legum exequendarum tempus 220. diverſis legibus an uno actu & tempore poſſis ſatisfacere 175. 202. Ad ſatisfaciendum illis an & quæ requiratur intentio 196. an debeat impleri ex motivo charitatis 197. implens legem ex vana gloria 198. cum intentione adhuc implendi 199. coacte implens 201. Leges peregrinorum & vagorum 210. & ſeq. Unde colligendum ſit, an lex ſit mere pœnalis 180. Leges tributorum & vectigalium quomodo obligent 188. Ceſſatio legis 245.
Libellatici quinam dicti 369. Libellaticus contractus 950.
Libellus famoſus 965.
Liber alicujus junioris an faciat opinionem probabilem 95.
Liberorum erga parentes obligatio 631. & ſeq. furta invitis parentibus; item an teneantur reſtituere 803.
Libertas quænam requiratur ad peccatum 280.
Libertas an ſit in poſſeſſione, regulæ dignoſcendi 39.
Licitum 71.
Licentia præſumpta 264.
Locare, Locatio, Locator 946.
Ludere, Luſor, Luſus a num. 866. Luſor exponens pecuniam, alter miſſam 506. conditiones ad juſtum luſum requiſitæ 867. uſque 872.
Luxuria 723. remedia contra turpiſſimum vitium 759. & ſeq.

M

MAgia quid 417. cum Magis quomodo agendum confeſſario 450.
Magiſtratus ad quid teneatur 651. Huic quid ſubditi debeant 653. reos juſte plectit 657. Subditos ex gravi cauſa mortis periculo poteſt exponere ibid. an graviter peccet, non puniendo reos 652.
Magiſtrorum obligatio 650. Diſcipulorum ibid.
Mahometiſmus 367.

Majestatis læsæ crimen 656.
Maledictio vel imprecatio 712. & seq.
Malefactorem an & quando liceat occidere 657.
Magos vel sagas consulere 449. Confessarius Magi vel sagæ 450.
Maleficium 417. quomodo liceat dissolvere 445. & seq. media contra maleficia 448.
Malitiam in genere tantum cognoscis, præscindendo a gravi vel levi, quomodo peccas agendo? 14. Malitia gravis, an levis, rudium, quomodo discernenda a Confessario 15.
Manifestans crimen 662. 966. & seq.
Maritus an deprehensam in adulterio uxorem licite occidit? 673. dilapidans bona 799.
Martyrio se offerre an liceat? 678. 662.
Materia levis an potest sub mortali præcipi? 181. & 186.
Matres nimium indulgentes quomodo peccant? 640. non habeant in eodem secum lecto infantes 641. hos exponendo quomodo peccant? 641. an liceat dare nutrici ibid. Mater an teneatur pati sectionem, ut proles baptizetur 666.
Matrimonium clandestinum 194. contrahere invitis parentibus an filio licet? 638.
Medicorum obligatio 90. 109. 671. 776.
Membrum infectum potes, sed non teneris abscindere 664.
Mendacium 958. & seq.
Menstrua 641.
Mercatorum obligatio 926. & seq.
Merces operariorum defraudata 317.
Metus quid & quotuplex 227. An excuset a Lege 236. an excusat a culpa 235. & seq.
Militaris Disciplina an res leves sub pœna capitis possit præcipere 181.
Miles ob prædam injustam an teneatur ad restitutionem 841. & seq.
Minorum bona quomodo a curatoribus & tutoribus curanda 642. & 643.
Miraculi fictio 419. miracula absque necessitate petere 456.
Misericordiæ opera corporalia & spiritualia 769.
ad Missam in loco tuo unicam die Dominica venis post offertorium, an teneris audire reliquam? 244.
Moderamen inculpatæ tutelæ 659.
Mohatræ contractus 923.
Mollities 732. 742. 749.
Monetas adulterare vel privatim cudere 762.
Monomachia 660.
Monopolium 910.
Montes pietatis 925.
Moribundus dans tantum signa dubie pœnitentiæ 117.
Morosa delectatio 293. 298.
Mortem sibi inferre directe non licet 658. mortis periculo se exponere quando liceat? 663. imprecari mortem parentibus, & gaudere de morte 715.
Mortificare carnem 664.
Motivum absolute & comparative grave 72. prudens, temerarium, probabile, improbabile 71.
Motus turpes quando sunt peccata? 300. 736.
Mulierum ornatus 694.
Mutilatio sui ipsius 658. proximi 659.
Mutuum: Obligatio mutuatoris & mutuatarii 914.

N

Necessaria necessitate medii & præcepti 344.
Necessitas proximi 705. 709.

Necromantia 426.
Negligentia in resistendo tentationibus 301.
Negotiatio 929. Clericis specialiter prohibita. ibid.
Nominis Jesu licita & illicita pronuntiatio 511. & seq.
Nomen dæmonis ex consuetudine pronuntians 514.
Notorium notitia facti & juris 967.
Numerica peccatorum distinctio 288. & 313.
Nundinæ 617. 618.
Nuptiis Acatholicorum assistere an liceat 381.
Nutrici committere infantem an mater licite possit 641.

O

OBedientia filiorum erga parentes 631. Religiosorum 650. An superiori in dubio liceitatis præstanda 108. an lævia sub mortali possint præcipi 186.
Obligationibus diversis eodem tempore & actu an possis satisfacere 175. 202. & seq.
Observantia Vana 417. & 439.
Obstinatio 316.
Occasio peccandi 304. Occasionem peccati non auferens, ut deprehensus corrigatur 699.
Occidi an & ubi bannitus possit 657. iniquus aggressor 659. an & quomodo innocens possit 659. fur, adulter, invasor famæ &c. à 672. ad 678.
Occisio sui ipsius an liceat 658. 662. 663. an Ecclesiastica sepultura privet 667. pro injuria per occisionem illata quid debeat restitui 852. & seq. injusta occisio proximi 659.
Occultare fidem quando liceat? 351.
de Occupatione rei 879.
Odium Dei peccatum maximum 399. Odium abominationis, & inimicitiæ 399. 701. Odium proximi 314. 325. 701. & seq. Non licet odisse inimicos 704. media odium extinguendi 721.
Oenopola 933.
Offensa 720.
Opera diebus dominicis & festis prohibita 615. & seq.
Opera misericordiæ 710.
Opinio quid sit 70. vere probabilis 71. tenuiter probabilis 71. ex vel intrinsece probabilis 73. probabilis quoad se; & quoad nos 73.
Oppressio pauperum, viduarum, & pupillorum 317.
Orare, Oratio 409.
Orationes superstitiosæ 418. & seq.
Ordo Charitatis 722.
Originale peccatum 276. ibid. varia Decreta de immunitate B. V. Mariæ ab Originali.
Ornatus Mulierum 694. & seq.
Oscula 305. 725. & 728.

P

PActum cum Dæmone 416.
Paganismus 367.
Parentum erga liberos obligatio 349. 634. 640. & 641. Parentes quomodo honorandi 631. Parentibus succurrendum potius, quam votum religionis exequendum 609.
Parochi obligatio 119. & 648. Parochianorum obligatio erga Pastorem 649.
Parricidium 656.
Pars major quo sensu trahat ad se minorem 242.
Parturiens non potens parere, potest, non tenetur admittere incisionem 666.
Parvitas materiæ ubi non detur 305. 727.
Patresfamilias bona dissipantes quomodo peccent 641.

An contra paupertatem agat Religiosus admittens aliquid ex licentia præsumpta 264.
Pauperies quid in jure 655.
Peccatum quid 275. materiale, & formale ibid. mortale per se sive ex genere suo 277. 771. Veniale ex genere suo ibid. Ad mortale quæ requiratur cognitio 14. 280. 282. libertas 18. & 280. mortale potest fieri veniale quomodo 281. Venialia multiplicata non constituunt mortale 283. & 284. & seq. Disponunt tamen ad illud ibid. & fiunt mortale ratione materiæ, conscientiæ erroneæ, scandali &c. 284. & 285. Venialia omnia velle facere quale peccatum 283. peccatorum distinctio specifica 286. 288. 311. & 312. numerica distinctio 289. 313. & seq. Peccatum Philosophicum 278. quibus gradibus homo ad peccatum deducatur 293. desiderium peccati 294. unde desumenda gravitas peccati 306. 307. peccata aliena 315. peccata in Spiritum S. 316. peccata in cælum clamantia 317.
Peculatus 762.
Pecunia a dæmone accepta 452. accepta a mago vel saga pro labore superstitioso 452.
Peregrini qui sint 210. & quibus legibus teneantur 212. & seq. An egressurus e suo domicilio, ubi est dies festus, in locum, ubi festum non est, prius teneatur audire sacrum 211. an privilegiis gaudeant locorum 219.
Periculosa conversatio 304.
Perjurium 526.
Persecutionem fugere & pecunia se redimere an liceat 360.
Pertinacia 367.
Pharmacopœorum obligatio 671.
Philtrum 417.
Physiognomia 432.
Pignus 942.
Pingere die festo an liceat 629. pignere turpia quale peccatum 686.
Pisces ex alieno stagno capiens 861.
Plagium 762.
Pollutio 309. 749 750. 757. facta in templo 312. polluere Ecclesiam 468. 476. quid Confessario observandum circa reos hujus vitii 759. gaudens de involuntaria pollutione 753. excitare illam 754.
Possessio quid sit 876. quomodo acquiratur 878. quomodo amittatur ibid. juris & facti 886. quænam pars dicatur esse in possessione 39.
Possessor bonæ fidei, malæ, dubiæ 812. usque 821.
Præceptores ad quid teneantur 650. His quid discipuli debeant, ibid.
Præceptum quid sit? 133. formaliter diversa 287. 288.
Prægnans saltu, labore &c. fœtui nocens quomodo peccet 671. Ad servandam vitam propriam potest medicinam sumere, sed qualem? ibid.
Prælati 648. & 650.
Præscriptio 881. Conditiones requisitæ 882. usque ad n. 886.
Præstigium 426.
Præsumptio in casu particulari cessans, item præsumptio juris 195. præsumitur in dubio, quid & quando 54. præsumpta licentia 264. præsumptio opposita spei 387. & 393. 319. Remedia contra præsumptionem 396.
Precarium 909.
Pretium legitimum, & vulgare, justum, summum, infimum 926.
Princeps an reo condemnato impunitatem licite præstet 652.
Privilegium quid, quotuplex, quando strictæ interpretationis; item privilegiorum communicatio a n. 266. Privilegia vivæ vocis oraculo concessa 270.
Probabilis opinio a num. 71. tenuiter probabilis ibid. absolute & respe-

pective talis 73. speculative & practice probabilis 74. sola probabilitas extrinseca an sufficiat 103. probabilem quando sequi liceat 76. 94. probabilem in probabilem oppositam quando mutare liceat 104. & seq. probabilitas sola ad Religionem mutandam non sufficit 106. 107. 348. tenuiter probabilem non licet sequi 83. an liceat sequi probabilem alienam, relicta probabiliore propria 99. 101. & seq.
Procuratorum obligatio 116.
Professio fidei quando obligat 366.
Professio Religiosa ante decimumsextum annum est invalida 555.
Proles spuria patre dubio a quo sit alenda 65. & 66.
Promissio 898. quomodo obliget, ibid. 899. quando non obliget 900. quando cesset 901.
Promulgatio legis 143. & 151.
Proscriptum an & ubi liceat occidere 657.
Proximi dilectio a num. 700. ei debemus succurrere 705.
Pueri quibus legibus & quando obligentur 208.
Pulvis sympaticus 441.
Punctatoria Ars an & quando liceat 437.
Pupillis quid debeant Tutores 642. 643. & 776. hi quid debeant Tutoribus 643.
Purgatio Vulgaris quid & an licita 457. & seq.
Pyromantia 426.
Pythonismus 426.

R

Rapina 762.
Raptus 745.
Redemptio vexæ 501. & seq.
Regula morum proxima & remota ante num. 1.
Regulares absque licentia Superiorum, Principum obsequiis an possint se subjicere 265. tenentur servare festa diœcesi. 615. Regularis disciplinæ neglectus 650.
Religio quid sit, ante n. 343. objectum materiale & formale Religionis 408. Religio Catholica 106. Vitia religioni opposita partim per excessum, partim per defectum 409. Vovens Religionem strictiorem 59. Superior Religiosorum 650.
Religiosus sine licentia superioris se subjiciens alterius obsequio 265. agens ex licentia præsumpta 264.
Rerum sacrarum usus 425. Sacras Reliquias cum aliis permutans, vendens &c. 504.
Restitutio, ejus necessitas, radices &c. a n. 770. 772. usque 782. ex injusta acceptione quando oriatur obligatio restitutionis 774. bona incerta comparata ex delicto quomodo restituenda 778. quando restitutio facienda 779. an in eo loco ubi damnum illatum 780. diversis quando restitutio facienda, quo ordine ea fieri debeat 781. quid? si res aliena pereat casu fortuito 818. iniquus possessor tenetur restituere lucrum cessans, & damnum emergens 819. item compensare rei deteriorationem 820. item restituere fructus perceptos 821. Possessor bonæ fidei ad quam restitutionem teneatur 812. & seq. possessor dubiæ fidei 816. malæ fidei 817. & seq. positive cooperantes ad damnum 775. ibid. negative cooperantes 831. 838. restitutio in solidum a n. 832. quo ordine cooperantes teneantur restituere 777. De Restitutione ob damnum bonorum spiritualium 846. & seq. ex homicidio, Mutilatione &c. 852. & seq. Restituere an teneantur qui non solvunt vectigal, gabellas &c. 856. & seq. qui defraudant decimas 857. qui damnum inferunt sylvis, pascuis &c. 858. de feripetis 860. ancillæ furtivæ 807. Causæ excusantes a Restitutione 782. ex quibus causis differri queat restitutio 785. quando extinguatur obligatio 785. Praxis confessarii circa imperandam Restitutionem 786. Restitutio facienda ex

fornicatione 800. obligatio adulteræ 801. adulteri 802. creditor obtinens ex sententia judicis secundam solutionem, an teneatur ad restitutionem 822. Mandans quando teneatur ad restitutionem 823. & seq. quando consulens 825. quando consentiens 826. Palpo 827. dans recursum 828. participans 828. quæ restitutio a milite facienda ob prædas injustas 841. & seq. obligatio restituendi ex rebus inventis 862. de restitutione famæ 962. 966. per totum de modo restituendi famam 982. & seq.
Restitutio in integrum 928.
Restrictio mentalis 536. & seq.
Retractus gentilitius 928.
Reus an & quomodo teneatur fateri culpam 537. an fugere e carcere 191. & seq. an occidere ministros justitiæ 191.
Rixæ 718.

S

Sacerdotes honorandi 649.
In Sacramentorum susceptione an liceat sequi sententiam probabilem relicta tutiore 122. an in administratione 86.
Sacrilegium 312. 463. 471. personale 464. 472. & seq. quomodo committatur 468. 475. & seq. Reale 469. quomodo committatur 470. 477. locale 465.
Sagam an liceat repercutere 447. Confessarius Sagæ 450. & seq.
Salarium famulorum quodnam justum censeatur 810.
Sartor fragmenta retinens 793. & seq.
Scandalum 681. & seq. explicandum in confessione 685. regula Laymanni de scandalo 683. ad hoc evitandum quænam actiones debeant omitti 688. 690. 696. & seq. scandalosa loquens 22. ponentes scandala 686. alloquium scandalosum 693. vestitus scandalosus 694. & 695.
Scrupulus 124. Causæ scrupulorum 125. Signa scrupulosi 126. quid scrupuloso agendum 127. remedia contra scrupulos 128. Confessarius scrupulosi 129. scrupulosus circa confessiones præteritas 130. circa consensum in tentationibus 131. Archi-Scrupulosus 132.
Sententia judicis an transferat dominium 822.
Sepultura Ecclesiastica quibus neganda 467. 667.
Sequestrum 913.
Servilia opera 615.
Sigillum Confessionis 305.
Simonia 478. & seq. ejus pœnæ 488. 492. quis possit ab ea absolvere 493. Causæ excusantes a Simonia 500. & seq. Simoniace accepta an sint restituenda 494. quibus titulis licitum sit, aliquid dare, aut exigere pro functionibus sacris 498. quid agendum Confessario cum pœnitente simoniaco 499. quando a simonia excuset redemptio vexæ 501. Simonia Confidentialis 481. 508.
Simulatio, Simulare falsam religionem non licet 351. Signa simulatæ fidei. ibid.
Societatis Contractus 941.
Sodomia 756. & seq. Sodomiticum peccatum 317.
Solutio indebiti obligat ad restitutionem 776.
Somniis an sit habenda fides 428. & seq. an in somnio possit peccari 309.
Sortes divinatoriæ 433. & seq. Sortilegia specialiter prohibita Sacerdotibus 434. circa finem.
Speculum Magicum 438.
Spes 384. ejus necessitas, obligatio 385. actus spei 389. peccans contra spem 388. 390. 391. quomodo spes sit certa & incerta 392. indicia bonæ spei 392.
Sponsio 945. sponsis quid liceat 310. 730. fornicatio cum sponsa alterius 739.
Spuria proles dubio patre a quo alenda 65. 67. in dubio an sit spuria, an sit legitima ibid.
Stipendium 498.
Stuprum 744.

Suadere minus malum ad impediendum majus, an liceat 687.
Subditi ad quid obligentur 649. 650. subditus putans præceptum superioris esse licitum 108.
Superbia 318. 320. superbia in vestibus ibid. remedia contra superbiam 321.
Superior spiritualis quid debeat subditis 648. & 650. an possit rem levem sub mortali præcipere 186.
Superstitio 410. per totum, A superstitione non excusat protestatio contra pactum 435. consulere suspectos de mediis superstitiosis 440. in dubio, an medium sit superstitiosum, quid agendum 441. & seq. quid confessario, si pœnitens in genere se accuset de superstitioso usu 448.
Suspicio temeraria 960.
Susurratio 717.
Symbolum Apostolicum 347.
Sympathicus pulvis 441.
Syntereſis 1.

T

TActus & oscula 305. 725. tactus brutorum 719. sponsi & sponsæ 730. inter conjuges 731. inter eundem sexum 732. quid confessario observandum, si pœnitens in genere dicat: tactus habui impudicos 734.
Temeraria suspicio 960. temerarium judicium 961.
Tempus implendi legem 220.
Tentatio quandonam in peccatum transeat 27. 301. 304. Tentatio Dei 454. & seq. ibid. de variis modis tentandi Deum a num. 459. excusantur a tentatione Dei 460.
Tepiditas, tædium. Vide Acedia.
Testamentum 951. quotuplex 952. quinam non possint testari 955. an testamentum non solemne valeat pro foro interno 956.
Testimonium falsum 957.
Thee potus an violet jejunium 1000.
Thesaurus inventus ad quem pertineat 863. & seq. sciens in agro thesaurum latere, an possit agrum emere pretio vulgari 865.
Titulus in jure 884. Titulum ordinationis emere an sit Simonia 507.
Tonsura 474.
Torpor vide Acedia.
Tributum an pro libitu imponere principi liceat 114. Defraudans quomodo peccet 188. 855.
Tristitia de bonis proximi 326.
Turpiloquia 716. Turpium lectio, auditio &c. ibid. & 734. quid confessario observandum, si pœnitens in genere se accuset, quod turpia sit locutus 734.
Tutela inculpata 659.
Tutum quid sit & tutius 71.
Tutior Sententia an necessario & quando sequenda 84. 86. 81. 122.
Tutorum obligatio 642. & seq. 776.
Typographo licetne die festo laborare 629.

V

VAgi 210. quibus legibus teneantur 217. 271.
Vana gloria 319. 320.
Vectigal 855. Vectigalia fraudantes an peccent & ad restit. teneantur 188. 856.
Venari an die festo liceat 630.
Venditio 926. Obligatio venditoris 927. quomodo rescindi possit venditio 928. venditor vini aqua diluti ibid. 933. ad quid venditor obligetur, vendit rem vitiatam 935. Venditio majori pretio ob dilatam solutionem, vel pretium brevi diminuendum, item ob raritatem 936. 937. & seq. constitutus ad vendendum an possit sibi augmentum retinere 939.
Veneficium 417.
Veniale peccatum, vide peccatum.

Verba turpia, vide turpiloquia.
Veſtes infidelium an portare liceat 362.
Veſtitus ſcandaloſus 695.
Vexam redimere in officiis ſpiritualibus an ſit Simonia 501. &c.
Viduæ quid non liceat 310.
Vina an liceat adulterare & condire 179. item 913. 914. Bibulis ad ebrietatem apponere 331.
Vindicta 337.
Violentia ſeu Vis 239.
Virgini an liceat ſe occidere, ut evadat periculum corruptionis 662. 663.
Vitam quomodo debeamus conſervare 664. & ſeq.
Univerſitates Acatholicorum an liceat adire, gradum inibi ſuſcipere 381.
Voluntas Dei primaria, ſecundaria, antecedens, conſequens, quid? 25.
Voluntatis actus quomodo ſpecificentur ab objectis 13. 288. Voluntas ultima 951.
Votum quid ſit 552. quotuplex 553. requiſita ad votum 554. & ſeq. Materia voti 557. & ſeq. obligatio ex voto 560. Interpretatio obligationis ex voto 561. uſque 564. Tempus implendi votum 565. & ſeq. in dubio de obligatione 587. & ſeq. obligatio extinguitur ob mutationem materiæ 591. ſit ſoli Deo 556. 569. de re levi non obligat graviter 561. ex metu emiſſum an ſit reſervatum 606. Metu mortis extortum an ſit validum 572. & ſeq. Vota Summo Pontifici reſervata 595. 605. non reſervata 607. 609. reſervata urgente neceſſitate diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo 608. Diſpenſandi cauſæ 611. Diſpenſationis petendæ praxis 612. & ſeq. Vota impuberum 602. famulorum 603. filiorum ibid. Religioſorum 604. Votum an ad hæredes tranſeat 580. an poſt ſeptimum ætatis annum cenſeatur deliberatum 58. quando mutare liceat in Æquale 104. Conditionale quomodo obliget 589. Voti commutatio 596. irritatio voti 592. 599. 600. & ſeq. Diſpenſatio 593. 608. Executionem an differre liceat 578. De voto dubius, an emiſerit, ad nihil tenetur. 55. 570. Dubius de quantitate, de ſenſu Verborum ad quid tenetur 60. &c. Vovens rem tantum veniaſiter malam quomodo peccat? 558. Voviſti determinatam Religionem, ad hanc non admiſſus, non teneris ad aliam 610. Voviſti hac die te aliquid facturum, cras non teneris amplius, peccas tamen hodie non implendo 565. Voviſti Religionem, dubitas an ſtrictiorem, potes eligere minus ſtricta 59. Voviſti Religionem, ſed juſta de cauſa Novitiatu egrederis, ſatisfeciſtine voto? 610. Votum virginitatis an reſervatum Pontifici 606. Conjuges mutuo conſenſu voventes irritare vota ſibi invicem non poſſunt 601. quid obſervandum, ſi pœnitens in genere dicat, quod votum violarit 567. formulæ dubiæ 568. 569. quænam intentio requiratur ad votum 574. an & quando error vitiet votum 574. Votum pœnale 584.
Uſufructus: uſus 876. quomodo acquiratur, & amittatur 878. Uſucapio eſt adjectio dominii &c. 881.
Uſura quid, & quotuplex 915. mere lucratoria 916. ex quibus titulis liceat aliquid ſupra ſortem accipere 917. & ſeq. Mens Ss. D. N. Bened. XIV. de uſuris 919. Chirographa minoris emere, an ſit uſura 920. tituli prohibiti 922. 923. 924. an ab uſurario liceat petere mutuum 688. in fin.
Uxor adhibens bona contra voluntatem mariti 796. eleemoſynam diſtribuens 797. bona ſibi reſervans 798. adhibens bona ex licentia præſumpta 799. poſt mortem mariti pro ſuſtentatione ſubtrahens ibid.

KSIĘGOZBIÓR
MARCINA ZAMOYSKIEGO
3564 - KZ
3554 -KZ